VITT. EMANUELE
B
A
4
VIII.
M.V.1.
13-24, a, 36

Digitized by Google

TRACTATVS
DE PROFESSIONE
REGVLARI

Ad leges Iuris Communis, & conſtitutiones Summorum Pontificum, prę ſertim Sixti V. Gregorij XIV. Clementis VIII. & Vrbani item VIII.

In quo quæcumque difficultates præſertim recenter excitatæ breui methodo reſoluuntur pro vtroque foro perutilis non ſolum Regularibus, ſed quibuſuis perſonis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Adm. Reuer. Patri

F. CAROLO ROMBELLO
Lectori Theologo Ordinis Predicatorum S. Mariæ Gratiarum Mediol. vigilantiſſimo Priori.

AVCTORE

P. F. Franciſco Bordono ex Regularibus Tertij Ordinis D. Franciſci Doct. Theol. Collegij Parmenſis.

CVM PRIVILEGIO.

MEDIOLANI,
Ex Typographia Philippi Ghiſulphij. 1635.
Ad inſtan. Io. Baptiſtæ Cerri, & Caroli Ferrandi.
Superiorum permiſſu.

Adm. Reuer. Patri

F. CAROLO ROMBELLO LECTORI THEOLOGO

Ordinis Prædicatorum S. Mariæ Gratiarum Mediol. vigilantiſs. Priori.

OBſeruantiæ in te noſtrę primũ veluti pignus, quò carius, dulciuſq; accidat, tuo accommodatum genio, aptum ingenio prorſus eſt. Et cantus Muſicum, metra Poetam delectant. Tu pietati æque, ac ſapientiæ addictus patieris ingenuè ſub tui nominis vmbra hoſce ingenij cenſus R. P. F. Franciſci Bordoni apparere; vt non tàm ſuis ipſi laudibus, ac Religione, quàm tanti protectoris inſigni programmate commendentur, cõcilientq;

ſibi omnium gratiam. A plurimis enim celebrari pietatem tuam, præclare geſta, eruditionem, exantlatos in ſcientijs labores, cum intelligeremus, virtutis tantæ non immemores, ea offerre tibi ſtatuimus, quæ tuo plus ſaperent palato, vt non ſolùm tuorum meritorum, ſed etiam voluptatis habitam eſſe rationem perſpiceres. An verò diſſimulare potuimus ò litterarum, ac Religionis egregiè cultor? An non vbiq; duo hæc veluti ſemina felicibus auſpicijs ſeruiſti? Eduxiſti, produxiſti ad maturitatem copioſam meſſem, vberrimoq; prouentu Italiam fere totam aluiſti: Anconæ, Derthonæ, Nouocomi, Laudæ, Mediolani, & in omnibus fermè Italiæ Ciuitatibus peritiſſimus Doctor naturales ſcientias, & Diuinas interpretatus es ſumma cum laude, & Auditorum vtilitate, complanaſti ardua, difficillima enodaſti, adeo vt arbitrarentur feliciſſimo ſydere natos, qui in

talem

talem Præceptorem incidebant. Sexdecim annos in his laborum, ac vigiliarum ſpatijs fuiſti, antequàm metam quietis attingeres, doctoq; plenus puluere, admotus Gubernaculis, Regij primum, tum Papiæ Prior parem negotijs æquè, ac litteris mentem attuliſti. Oſtendiſti ex Platonis regula, te non tantùm tibi eſſe natum, ſed ſodalibus, & patriæ. Nolebas dignitates, ſed breuiſſima ad Honores per Honorum contemptum tibi eluxit via. Non acceſſiſti competitor ſpontè ad regimen, expectaſti neceſſitatem, Superiorum Imperia, vt ſapientiſſimus Socrates monebat. Noſti vero generoſi, ac magnifici eſſe iuuare, ac prodeſſe; & qui dant beneficia, imitari Deum, qui repetunt, fœneratores. Nihil te fugit eorum, quæ decent ſapientem: noueras proemio, & pœna Remp. Religioſam conſtare. Omnia ſumma prudentia, ſummoque conſilio geſta te demùm Patriæ reddiderunt

derunt cum imperio, tanquam ab immenſis erroribus prudentiſſimum Vlyſſem. Vendere laboribus omnia Iouem finxerat Homerus, tu emiſti. Accipe benigno vultu, quæ reddimus, vota, noſq; tuere, & ama. Vale.

Mediol. die 14. Septemb. 1635.

Tui addictiſſimi

Ioannes Baptiſta Cerrius
& Carolus Ferrandus.

PIO LECTORI.

TRactatum hunc de profeſſione Regulari, de qua in ſpecie, nullus, quod ſciam, opus ſegregatim hactenus confecit, ſed de illa doctores occaſione accepta, ſparſim verba fecerunt, à quibus ex induſtria accepi non tranſcriptum, ſed pleriſq; textibus vtriuſq; iuris confirmatum, ſolidiſq; rationibus vallatum, & nouis quæſitis extenſum typis ad communem vtilitatem committo præſertim perſonarum regularium. Si quid in eo, boni, & laude digni eſt, totum ad laudem, & gloriam eius, qui michi tribuit intellectum: ſi quid inconciliate dictum, parcat criticus linguæ, neminem offendet, corrigat perperam actum, verus cenſor erit; nec mirabitur humanæ conditionis memor, vt enim ſingulis rebus dotes inſunt, ita ſua non deſunt vitia. Ordinem magis exquiſitum tenere potuiſſem, oppoſiti in cauſa fuerunt emergentes de nouo

dif-

difficultates, quibus ingenij imbecillitas ſingulis gradatim occurrere plane non valuit, equidem potuiſſem tempore concedente, ſed nolui labore repugnante; ſi confuſus eſt ordo, clara reſponſio cuiq; quæſito: in probandis reſponſionibus ſingulis quæſtionibus ſubiectis, magis vſus ſum textibus, & rationibus, quantum potui, quam caterua ſcriptorum, aut phalange vtriuſq; iuris doctorum. Si quid in eo eſt pietati diſſonum, aut Chriſtianæ Religioni, quod abſit, aduerſum, id totum, & me ipſum ſubijcio cenſuræ Sanctæ Matris Eccleſiæ, vt debeo, & profiteor. Vale.

CAPVT PRIMVM

Quid, & Quotuplex Profeſſio, vbi de Tacita.

PRofeſſionis nomen pro artium exercitio ſiue Mechanicarum, ſiue liberalium, prout hanc vocem vulgus vſurpat, hic non accipitur, ſed pro quadam ſpirituali ſui ipſius in Deum publica oblatione, qua quis de ſtatu laicali ad ſtatum Religionis ſe transfert. Vt autem, quæ de ipſa ſunt deinceps dicenda, diſtinctè explicem, opus hoc in capita, & quæſita diſtribuam.

1 QVAERES igitur. Quot modis, & nominibus in iure exprimatur profeſſio, & profiteri?

℞. Multis modis. Primo dicitur tonſura, ſeu tonſurari ille, qui facit profeſſionem, ſic cap. Monaſterijs 19. q. 3. cap. Illud. 20. q. 1. & cap. 1. ead. q. 2. cap. 1. & 2. de Regul. eo quod in profeſſione ſoleant ingredientes tonſurari. Secundo, habitus Religionis cap. Ad noſtram cap. Super eo, cap. Cum virum cap. Conſulti, & cap. Statuimus de Regul. & hoc ad differentiam habitus, vel ſecularium, vel nouitiorum, & per huius ſuſceptionem nouitius euadebat profeſſus, iuxta quod dicam infra, vnde, & dicitur habitus profeſſorum cap. 3. de Regul. in 6. Habitus Monachalis reſpectu Monachorum cap. Cum ſimus cap. Sicut cap. Ex parte, de Regul. reſpectu vero Monialium dicitur habitus virginitatis reſpectu virginũ cap. Cum virum, de Regul. Velamen reſpectu fœminarũ cap. Illud 20. q. 1. iuncta gloſ. Velamen cap. Puella 20. q. 2. Tertio dicitur votum cap. Porrectum, de Regul. item votum profeſſionis cap. Significatum, eod. votum ſolemne cap. Qui poſt, de Regul. in 6. & cap. Vn. de voto in 6. quia aliquis non poteſt aſſumi ad ſtatum Religionis

cum effectu, niſi voueat, & promittat Deo, quæ in illo ſtatu ſeruaturus eſt. Quarto dicitur creatio Monachi cap. Si ad ſolum, de Regul. in 6. quia moritur mundo, & incipit Deo viuere, quod eſt quædam ſpiritualis creatio cap. Placuit 2. 16. q. 1. Quinto dicitur vita regularis cap. Veniens de Regul. quia nouitius per profeſſionem propriè incipit viuere vitam regularem. Sexto vocatur obſeruantia regularis, quia ad hanc ſolus profeſſus tenetur cap. Scripturæ, de voto. Septimo dicitur promiſſio obedientiæ cap. Conſuluit qui cler. non quia hæc ſola ſufficiat ad conſtituendum aliquem profeſſum, ſed quia inter tria vota de ſubſtantia Religionis; obedientia eſt principale virtualiter continens reliqua duo. Octauo dicitur Benedictio quæ datur virginibus cùm velantur cap. Cum virum, de Regul. & quia habitus profeſſorum vt diſtinguatur ab habitu nouitiorum benedicendus eſt, ex cap. Statuimus, in fine, de Regul. Nono profitens dicitur ingredi, ſeu tranſire ad Religionem cap. Quia ingredientibus, 19. q. 3. cap. Si qua mulier. eod. cap. Si quis incognitus 17. q. 2. & alibi, & forſan is modus loquendi alludit ad id, quod nunc ſeruatur, vt nouitij morentur in loco illis Deputato; ità quod illis non licet abſolutus, & liber tranſitus ad loca profeſſorum, niſi poſt emiſſam profeſſionem, de hoc ingreſſu ſignificante profeſſionem tangit Sanch. lib. 5. cap. 5. nu. 12. citans alios textus, & Doctores.

2 QVAERES quid ſit Profeſſio?

℞. Eſt ſolemnis promiſſio Deo voluntariè facta à nouitio poſt annum probationis, in legitima ætate conſtituto, de tribus votis, in aliqua approbata Religione, recepta ab habente poteſtatem incorporandi Religioni. Sic eam deſcripſi vt ex hac ſerie quiſq; elicere poſſit, quæ neceſſaria ſunt ad validam profeſſionem emittendam.

Dixi. 1. *Solemnis* quia non priuatim, ſed publicè fit cum quibuſdam ritibus, & cæremonijs ab eccleſia inſtitutis. In quo autem conſiſtat, & quo iure hæc ſolemnitas inſit voto dicam ſub q. 3.

Dixi. 2.

Dixi. 2. *Promiſſio* quæ ſic vocatur cap. Gonſaldus 17. q. 2. quia cum ſit ſpecies voti, promiſſionem neceſſario includit, per quam vouens ſe obligat inſeruire Deo in ſtatu Religionis, qui requirit vt tria hæc cadant ſub voto D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 6. Cruz de Statu Relig. lib. 1. cap. 2. dub. 3. concl. 4. Sanch. lib. 5. cap. 1. nu. 18. & alij communiter.

Dixi. 3. *Deo* quia omne votum Deo fit, eſt enim actus Religionis quæ circa Deum verſatur, & hoc ſaltem mediate, nam facta ſanctis, cenſetur facta Deo, in quibus ille laudatur, & honoratur iuxta illud Pſal. 150. Laudate Dominum in ſanctis eius, quam Deus non acceptat niſi mediante prælato, Sanch. lib. 4. cap. 1. n. 41. lib. 5. cap. 5. n. 92. Nau. cap. 12. n. 25. Bonac. p. 1. de voto nu. 17. & alij communiter.

Dixi. 4. *Voluntariè*, quia eſt actus humanus, qui voluntariè fieri debet, maximè cum ſit Deo emiſſus, qui coacta ſeruitia ſpernit cap. Iam vero 23. q. 6. Voluntarium enim militem ſibi legit Chriſtus cap. Non eſt 15. q. 1. debet ergo profeſſio fieri voluntariè non coactè cap. Præſens clericus 10. q. 3. cap. 1. & cap. Sicut, de Regul. & alibi. Et id ſignificat ipſum verbum profiteor quod ſignificat voluntariam pollicitationem ex Seruio teſte Calepino v. Profiteor. Quæ autem voluntas requiratur dicam cap. 2. q. 12.

Dixi. 5. *Facta à nouitio*. Nouitius autem eſt ille, qui per annum probatur an ſit bonus, & aptus ad ſtatum Religioſum cap. Ad Apoſtolicam de Regul.

Dixi. 6. *Poſt annum probationis*. Sacri Canones requirũt probationẽ vnius anni, antequam emittatur profeſſio cap. Gonſaldus 17. q. 2. cap. Ad noſtram cap. Super eo. Cap. Ad apoſtolicam de Regul. Concil. Trident. Seſſ. 25. cap. 15. De huiuſmodi anno probationis dicam cap. 4. q. 3.

Dixi. 7. *In legitima ætate conſtituto* quæ à Concil. Trid. cit. deinceps eſt inceptio decimiſeptimi anni, & non prius, de qua ætate dicam infra cap. 2. q. 46. & 47.

Dixi.8. *De tribus votis* nempè Obedientia, Caſtitate, & Paupertate, in quib. conſiſtit ſubſtantia profeſſionis cap. Cum ad Monaſterium §. Nec æſtimet iuncta Gloſa Adminiſtratione permiſſum, & cap. Monachi, de ſtatu Mon. Clem. 1. de Relig. dom. Nau. conſil. 12. de Regul. & com. 1. de Regul. n. 17. §. 23. & 24.

Dixi. 9. *In aliqua approbata religione*. Tit. de voto, & de Religioſ. dom. cap. fin. in decretalib. cap. 1. in 6. in quibus locis prohibetur creatio nouæ religionis, & noui habitus aſſumptio, ſine approbatione Romani Pontificis. Sanch. lib. 7. diſp. 25. nu. 10.

Dixi. 10. *Recepta ab habente poteſtatem &c.* Requiritur ergo conſenſus conuentus, vt poſſit profiteri valide in manibus ſuperioris, vt probabo infra cap. 3. q. 9. Et quod profeſſio fiat in manibus ſuperioris habetur cap. Vidua 20. q. 1. cap. Porrectum cap. Ad apoſtolicam, de Regul. cap. Inſinuante, qui cler. Vide interim Rodr. tom. 3. q. 17. art. 7. 11. & 12. Ex his conſtant, quæ neceſſaria ſunt ad veram, ac validam profeſſionem.

3 QVAERES. An ſolemnitas inſit profeſſioni ex natura ſua, an vero illi ſit extrinſeca ex inſtitutione Eccleſiæ?

℞. Solemnitas adiuncta fuit voto ex inſtitutione Eccleſiæ. Ita Bonifacius VIII. Cap. Vn. de voto illis verbis. *Nos igitur attendentes, quod voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione eccleſiæ, eſt inuenta, &c.* Ita ſentit Sanch. lib. 7. diſp. 25. in fine nu. 7. citans multos Doctores à nu. 2. Scotũ in 4. diſt. 38. Pallud. q. 4. art. 4. concl. 11. Nau. conſ. 11. de regul. nu. 3. Id autem ſuadetur, tunc quia iſta ſolemnitas, quæ inducit inhabilitatem in religioſo quoad proprietatem, & matrimonium, ſi non eſſet introducta ab eccleſia, ſed eſſet ex natura ipſius voti, ſemper induceret eoſdem effectus incapacitatis ad matrimonium, & proprietatem; ſed probatur antiquitus aliquos regulares matrimonium valide contraxiſſe, & habuiſſe dominium bonorum: ergo huiuſmodi ſolemnitas ad prædicta inhabilitans nõ ineſt voto ex ſua conditione, ſed illi ab eccleſia fuit adiuncta.

Minor inducitur Sanch. lib. 7. de matr. diſp. 26. n. 2. ex diuerſis concilijs contractum olim matrimonium à religioſis profeſſis tenuiſſe, tempore Concilij Ancyrani celebrati poſt Papam Marcellum de anno 303. item Concilij Elibertini ſub Siluestro Papa, & Constantino Imperatore de anno 322. Deinceps vero annullatum fuit matrimonium à profeſſis contractum, vnde Syricius Papa in cap. Si quis 2. 27. q. 1. §. Violatæ, mandat huiuſmodi matrimonia ſeparari, & dirimi his verbis. *Vnde, & verbo Domini, & canonica authoritate in hac ſancta Synodo præcipimus, vt omnino ſeparentur, & iuramento colligentur, vt vlterius non ſub vno coabitent tecto.* Syricius ergo videtur primo matrimonium à religioſis contractum irritaſſe, qui regnabat anno 385. deinceps reliqui pontifices illius nullitatem ſupponunt Alexander III. in cap. Meminimus, Qui cler. qui viuebat anno 1159. Item Cæleſtinus III. de anno 1191. cap. Rurſus cap. Inſinuante eod. Item Innocentius III. in cap. Vt lex 27. q. 1. inquit. *Huius namq; copulationem, quam contra eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contractam matrimonium non eſſe cenſemus.* Demum Bonifacius VIII. creatus de anno 1295. hanc ſolemnitatem matrimonium dirimentem eſſe de conſtitutione eccleſiæ aperte docet, ignoratur tamen origo huius conſtitutionis, quo non obſtante id certum ab omnibus ſupponitur. Scio Rodr. tom. 3. q. 1. art. 2. id tribuere Innocentio II. in Synodo Romana anno 1139. cui obſtant præmiſſa. Tum quia non minus tradit dominium ſui corporis Deo caſtitatem vouens extra religionem, quam in illa ex natura voti, cum vtriuſque par ſit obligatio ex cap. Rurſus, Qui cler. inducens abſtinentiam à quouis actu venereo, ergo ſi ſolemne dirimit matrimonium, & non ſimplex, aliunde habet hanc ſolemnitatem, quam ex natura voti.

Infertur ergo ex his, inhabilitatem ad matrimonium, & proprietatem, cum proueniat vti effectum ex ea ſolemnitate, eſſe de iure poſitiuo eccleſiaſtico, cum ſit ab ipſa ſolemnitate ſolo iure eccleſiaſtico adiuncta voto, vt no-

biſcum tenent citati in reſponſione quæſiti contra opinionem aliorum apud Sanch. lib. 7. diſp. 26. ad finem, cum quibus.

Dices. 1. Syricius Papa mox citatus mandat religioſos coniugatos ſeparandos eſſe verbo Domini, & canonica authoritate, ergo non ſolum ex canonica conſtitutione, ſed etiam iure diuino nullum eſt matrimonium, conſequenter ſolemnitas, ex qua ſequitur huiuſmodi nullitas ineſt voto de iure naturali diuino. Quod idem inſinuatur Seſſ. 24. de matr. can. 9. illis verbis. *Si quis dixerit clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumq; validum eſſe, non obſtante lege eccleſiaſtica, & voto, anathema ſit*. Ex quib. verbis nempe, *lege eccleſiaſtica*, inſinuatur nullitas matrimonij reſpectu clericorum, ex illis vero. *Et voto* oſtenditur eadem nullitas reſpectu religioſorum 2. Per votum ſolemne, quatenus votum eſt, religioſus totum ſuum corpus dedicat, & offert Deo, ergo non poteſt illud ſubijcere dominio alterius per matrimonium, nemo enim dat quod non habet, ex vulgatis iuribus.

℞. ad. 1. ex verbis illis. *Verbo Domini* ſolum inferri eccleſiæ prælatos habere facultatem à Domino ſeparandi iniuſte coniunctos in matrimonio, per eccleſiaſticam authoritatem in diuina fundatam, vt docet Sanchez lib. 5. cap. 1. nu. 9. vbi ait non obſtare canonem Sacri Concilij, in quo contra hæreticos determinatur ſolum nullum eſſe matrimonium contractum à clericis in ſacris conſtitutis, vel profeſſis, ſiue deinde hæc nullitas proueniat ab eccleſiæ cõſtitutione, ſiue ex vi voti, hoc opinionibus Doctorum relinquendo diſcutiendum. Vel dic tu, quod etiam exprimitur votum, non quia ab hoc præcisè ſit nullitas matrimonij, ſed quia ſolemnitas præcisè ſine voto non inducit hanc nullitatem, ſed cum voto coniuncta, ad quod ſe habet vt differentia ad genus. Ad rationem dico tam per votum ſimplex quam ſolemne tradere dominium ſui corporis Deo, ita quod alterius dominio ſubij-

cere

cere non poteſt licite, neq; valide ſi habeat adiunctam ſolemnitatem eccleſiæ, vtiq; vero valide, ſi abſit huiuſmodi ſolemnitas, non ergo votum vt votum facit nullam translationem ſui ſub dominium alterius.

4 QVAERES. In quo conſiſtat ſolemnitas profeſſionis ſolo iure eccleſiaſtico adiuncta voto?

℞. Conſiſtit in perpetua obligatione ex parte vtriuſq; nempe nouitij ſe perpetuo tradentis religioni, & religionis perpetuo acceptantis nouitium in religioſum, ita quod nouitius ſe obligat per profeſſionem ſemper ad inſeruiendum religioni, & religio illum acceptando perpetuo ſe obligat ad illum retinendum expræſsè Gloſ. Non faciat habitum cap. 13. de Regul. & Gloſ. Quod in manibus cap. fin. qui cler. Ratio eſt quia profeſſio eſt de genere contractuum Nau. conſil. 5. de Regul. Abbas in cap. Porrectum, de regul. nu. 10. ergo continet mutuam obligationem. Conſequentia patet quia contractus eſt vltro citroq; obligatio l. Labeo ff. de verbor. ſignif. Et in hoc differunt vota biennij in Societate Ieſu, quæ dicuntur ſimplicia, licet enim ex parte vouentium ſint perpetua, vt talia tamen non acceptantur ab ea religione, vt docet Ribadeneira de inſtituto Societ. cap. 17. in ſol. ad 5. & cap. 19. ad finem Vaſq. 1. 2. q. 96. art. 4. diſp. 165. cap. 8. n. 93. Azor. lib. 12. cap. 6. q. 2. in fine Valent. 2. 2. diſput. 6. q. 6. par. 7. quos citat, & ſequitur Sanch. lib. 5. cap. 1. num. 11.

Dices in eo conſiſtere difficultatem. 1. quia in expulſo à religione ceſſant huiuſmodi vota præſertim obedientiæ, & paupertatis. 2. tranſiens ad ſecundam religionem finē imponit prioribus votis. 3. authoritate Pontificis poſſunt omnino tolli vota huiuſmodi. 4. alij contractus non ſunt perpetui ergo neque iſte. 5. ſolemnitas profeſſionis conſiſtit in inhabilitate ad matrimonium, & dominium ergo non in perpetuitate mutuæ obligationis.

℞. Huiuſmodi perpetuitatem accipiendam, eſſe iure ordinario, nam per accidens, & extraordinaria via res aliter ſe habere poteſt, cum eccleſia huiuſmodi ſolemni-

atem in aliam ſine dubio transferre poſſit. Ad primum dico expulſione non obſtãte adhuc remanere religioſum, quia ſi redeat iterum profiteri non tenetur Rodr. tom. 1. q. 30. art. 29. & conuentum teneri illum etiam iuſte eiectum recipere cap. fin. de regul. nullis obſtantibus priuilegijs in oppoſitum, quibus ſufficienter fuit derogatum per decretum Sacræ Congr. de eiectis, & fugitiuis, apud Nald. in diſceptat. ad extr. com. de regul. Quare votum profeſſionis etiam in expulſo adhuc retinet huiuſmodi mutuam perpetuitatem. Ad 2. dico finem illis non imponere, ſi fiat tranſitus ad ſtrictiorem, ſed in melius commutari argumento cap. Scripturæ de Voto, ſi ad laxiorem adhuc remanet obligatio ex parte ſui, & ex parte nouæ religionis continuatur perpetuitas cepta in priori. Ad 3. dico non obſtare quia res quilibet per quas cauſas naſcitur per eaſdem diſſoluitur cap. 1. de Regul. iur. ſicut ergo hæc ſolemnitas habet eſſe à papa, ita eam auferre poteſt, & ſi pontifex in illis diſpenſaret, quod rariſſime accidere ſolet, & eſſet quid extraordinarium, & per accidens, quæ in conſiderationem legis non cadunt l. Nam ad ex ff. de leg. Ad 4. non obſtare, quia perpetuitas hæc pendet ab ordinatione eccleſiæ in eo vero quod mutua eſt refertur ad contractum. Ad 5. deniq; notum eſt præfatam inhabilitatem eſſe effectum huiuſmodi ſolemnitatis. Plura vide apud Sanch. lib. 5. cap. 1. à nu. 12.

5 QVAERES. An votum ſimplex, & ſolemne de eadem materia ſpecie differant? Affirmant Sotus 7. de iuſt. q. 2. art. 5. in ſol. arg. & alij, quos citat, ſed non ſequitur Sanch. lib. 7. diſput. 25. nu. 19. eorum ratio eſt, quia conſtituũtur in eſſe per actus ſpecie diuerſos ex quib. diuerſi ſequuntur effectus, vt notum eſt, nam ſimplex cõſtituitur in eſſe per nudam promiſſionem, ſolemne per traditionem, illud prohibet, ſed non dirimit matrimoniũ, ſicut ſolemne; quibus tamen non obſtantibus.

℞. Votum ſimplex, & ſolemne in ratione voti ſpecie non differunt, ſed ſolum extrinſecè per eccleſiaſticam conſtitutionem, quæ naturam rei non mutat, ſed confir-

mat, &

mat, & corroborat. Ratio eſt, quia in vtroq; par eſt promiſſio, & traditio, ſi ſpectetur in ratione voti, vt actus virtutis religionis, & videtur hoc ſupponere papa cap. Rurſus Qui cler. dum dicit quod votum ſimplex apud Deum non minus obligat quam ſolemne intellige quoad Deũ, & quatenus eſt actus virtutis religionis, quoad ſolẽnitatem vero adiunctam certum eſt augeri peccatum, quod tamen ſpecie non mutatur, quia magis, & minus non variant ſpeciem l. Si opportet ff. de fund. dot. Hanc ſequuntur Petrus Ledeſma de Matr. q. 53. art. 2. dub. vn. in ſol. ad 4. Caiet. 2. 2. q. 88. art. 7. A quibus non eſt alienus Scotus in 4. diſt. 38. q. Vn. dum cum alijs docet, quæcumq; reperiuntur in voto ſolemni quatenus eſt actus voluntatis transferentis dominium rei promiſſæ in Deũ, includi etiam in voto ſimplici de eadem materia, in hoc enim ſunt eiuſdem actus, & promiſſionis.

6 QVAERES, An alio modo, quam per profeſſionem ſolemnizetur votum?

℞. Bonifacius VIII. Cap. Vn. de voto in 6. declarat votum non ſolum ſolemnizari per profeſſionem expræſſam, vel tacitam factam alicui de religionib. per ſedem apoſtolicam approbatis, ſed etiam per ſuſceptionem Sacri Ordinis, quo nomine venit etiam hodie ſubdiaconatus ex Vrbano Papa Secundo, prout expreſſis verbis refert Innoc. III. Cap. A multis, de ætat. Et in hoc nulla difficultas.

7 QVAERES hac occaſione. An profeſſus ſimul, & ſacerdos, ſeu ſubdiaconus teneatur in confeſſione manifeſtare non ſolum ſe eſſe profeſſum, ſed etiam conſtitutũ in ordine ſacro, an vero ſufficiat alterum explicare, vel ſolum dicere ſe feciſſe contra votum caſtitatis, ſi fronicatus ſit?

℞. Sufficienter confeſſioni ſatisfacit, ſi dicat, ſe habere votum caſtitatis reticendo eius ſolemnitatem ſiue ex profeſſione, ſiue ex ordine ſacro contractam. Ratio eſt, quia religioſus luxurians ſolum facit contra vnicum caſtitatis votum, quod ſolum accidentaliter, & non ſpecie

diui-

diuiditur in ſimplex,& ſolemne,vt probaui ſub q.5.Neq; ſolemne ex profeſſione ſpecie differt à ſolemni ex ordine ſacro,immo conueniunt, cum ambo ſint non ſolum circa eamdem materiam caſtitatis,ſed etiam ex eodem eccleſiæ præcepto, quo licet moueatur ad id præcipiendum ob reuerentiam ſacri miniſterij,& votum obliget intuitu fidelitatis erga Deum, vti duo fines ſpecie diſtincti, votũ tamen caſtitatis,quod per fornicationem violatur, vnicã dicit obligationem,nempe fidelitatis erga Deum, & illã de reuerentia ſacri miniſterij excludit. Hanc reſponſionem ſequuntur Sanch.lib.7. de matr.diſp.27. à nu.27. & deinceps,& in ſumma lib.5.cap.6.n.14.Megal.de Pænit. lib.5.cap.11.n.8. Filliuc.tom.2.tract.20.cap.9. nu. 124. Lamas part. 3. cap. 8. §.14. quos citat,& ſequitur Diana par.1.tract.7.reſol.4.& parte 3.Tract.4.reſol.67.contra multos alios, quos vide apud citatos, quorum rationes tolluntur ex ſupra iactis.

8 QVAERES. An ſolemnitas profeſſioni adiuncta ſit de eſſentia ſtatus religioſi,itaut ſine illa,quis vere,& proprie non poſſit eſſe religioſus?

℟. Eſt, ſuadetur tum quia habitus nõ facit Monachũ, ſed profeſſio cap. Porrectum de regul. ſed profeſſio includit ſolemnitatem ex declarata definitione ſub q. 2. §. Dixi.1. & cap. Vnico de voto in 6. ergo ſtatus religionis includit ſolemnitatem in votis. Tum quia Clem. V. in Concil. Vienenſi relato Clem. I. de Relig.dom.damnat ſtatum Beguinarum aſſerendo eas non eſſe vere religioſas,eo quod nulli promittant obedientiam ,neq; proprijs renuntient,neq; profiteantur aliquam regulam ergo vt quis ſit vere religioſus debet eſſe ſolemniter profeſſus. Tum quia ſtatus religionis requirit perpetuitatem mutuam, & indiſſolubilem, tam ex parte tradentis, quam acceptantis,ex Cruz lib.1.cap.1.de ſtatu relig. dub.1.eſt enim religio,& Monachatus indelebilis, & quaſi quidã Character Cardin. in cap.fin.q.1.de regul. ex Nau.com. 2.de regul.n.33.§. Sed eſt. Sed in hac mutua traditione, & acceptatione ſolemnizatur votum ex cap. Porrectum

de

de regul. iuncta Gloſ. Non faciat habitum, & cap. Inſinuante, Qui cler. cum Gloſ. Quod in manibus ergo ſine hac ſolemnitate non ſubſiſtit religioſus. Hanc ſequuntur fere omnes, Caiet. 2.2.q. 188. art. 1. in ſol. ad 4. Sot. lib. 7. de Iuſt. q. 5. art. 1. concl. 8. Cruz cit. cap. 2. dub. 3. cócl. 5. Silu. Votum 4. q. 5. Angel. Arm. Tab. v. Religio quos citat ſed non ſequitur Sanch. lib. 7. diſp. 25. nu. 15. & in ſumma lib. 5. cap. 1. nu. 25. Ex eo quod Greg. 13. conſt. Aſcendente, decernit perſonas de Societate Ieſu nondum ſolemniter profeſſas eſſe vere, & proprie religioſos his verbis. *Non ſolum eos, qui in coadiutorum formatorum ſiue ſpiritualium ſiue temporalium Societatis gradus, & miniſteria admittuntur, ſed, & alios omnes, qui in ea biennio probationis peracto tria caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ vota publica ſcilicet ſimplicia emiſerint, emittentue in futurum vere, et proprie religioſos fuiſſe, & eſſe, & vbicunque ſemper ab omnibus cenſeri, & nominari debere, non ſecus, atque ipſos tum Societatis tum quorumbis aliorum regularium ordinum.* Hæc ibi. Ex his ergo infertur non eſſe neceſſarium adiungere votis ſolemnitatem ad conſtituendum aliquem in ſtatu regulari.

Sed facile omnia concordantur dicendo hoc eſſe ius ſpeciale illius Societatis, de iure enim communi neceſſaria eſt dicta ſolemnitas, ita quod ſi quis in alijs religionibus vellet ſic vouere ſimpliciter, etiam religione permittente, vt faciunt Ieſuitæ, non tamen eſſet proprie religioſus, niſi ſummi Pontificis accederet authoritas, ad quem ſicut ſpectat religiones approbare, & ſolemnizare vota, ex probatis q. 3. Ita ad eundem ſpectat variare hanc ſolemnitatem, & ſine illa aliquem conſtituere verum religioſum, res enim per quas cauſas naſcitur per eaſdem diſſoluitur. Neque terminus (eſſentiæ) phyſice accipiendus eſt quaſi ſit intrinſecus voto vti rationalitas homini, ſed moraliter, & vt affixa illi à ſummo Pontifice, ſine qua tamen adhuc aliquem religioſum facere poteſt, ſi velit.

9 QVAERES. An ad conſtituendum aliquem vere, & proprie religioſum requiratur profeſſio paupertatis, caſtitatis,

caſtitatis,& obedientiæ cadentium ſub voto?

℟. Prædicta tria cadentia ſub voto neceſſaria ſunt ad ſtatum religionis. Primum de illis tribus aperte colligitur ex textibus citatis ſub q. 2. verſ. Dixi 8. præſertim ex Clem. 1. de Relig. dom. Ratio eſt,quia religio eſt ſtatus perfectionis, ad quam aſſequendam illa tria neceſſaria ſunt, vt colligitur ex cap. 19. Matthæi. *Si vis perfectus eſſe vade,& vende omnia,quæ habes,& da pauperibus.* Quibus verbis inſinuat paupertatem;deinde ſubiungit. *Et ſequere me.* Per quæ ſignificatur obedientia. Demum narrat,quod aliqui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum cęlorum,hoc eſt,voluntarie abſtinuerunt ſe ab vſu venereorum,non per corpoream præciſionem membrorum, ſed per voluntarium caſtitatis votum. Neque obſtat cap. fin. Qui cler. vbi dicitur valida profeſſio eius,quæ vouit caſtitatem,addens quod in domo propria maneret cum omni ſubſtantia, quibus videntur excludi alia duo, quia limitantur,nempe manere in domo de obedientia prælati,retinendo vſum ſuorum bonorum. Sanch.lib.7. diſp. 25.nu.21.

Alterum ſuadetur,quia ad ſtatum perfectionis, in quo ſunt religioſi,requiritur obligatio ad ea,ad quæ religioſus tendere debet per hunc ſtatum,ſed tendit ad obſeruationem prædictorum trium, ergo ea debent partre cadere ſub voto,expreſſe D. Thom. 2.2.q.186.art.6. quem omnes ſequuntur cum Sanch.lib.5.cap. 1.num. 18.

10 QVAERES. An ad conſtituendum aliquem vere, & proprie religioſum,requiratur vt prædicta tria cadant ſub voto, ſecundum eam omnem perfectionem, quam includere poſſunt,itaut paupertatis votum ſit abdicatio omnis proprietatis dominij,& adminiſtrationis alteriuſue cuiuſuis iuris, caſtitatis ſit abſtinentia à quouis actu venereo ſiue illicito, ſiue licito; & obedientiæ ſubiectio in omnibus ſuo ſuperiori? Mouetur hæc difficultas propter religioſos militares,qui ſupradicta tria vota abſolute non promittunt,nam equites D. Iacobi, & de Alcantara,item de Calatraua poſſunt ducere vxores, vt ex

Mota

Mora lib.2.cap.2.§.19. nu. 18. inſinuat Diana reſol. 40. de dub. Regul. §. Quinto. Vnde fere omnes Thom. negant eos eſſe proprie religioſos apud Cruz lib.1. de ſtatu Relig. cap.2.dub.3.concl.2. Molina tom.1. diſp. 141. & tom. 3. diſp. 623. Azor. lib. 13. cap. 3. q. 2. contra quos tamen.

℟. Ad conſtituendum proprie quempiam religioſum ſufficit, ſi prædicta tria cadant ſub voto, ſecundum aliquã obligationem in profeſſo, conuenientem ſtatui, & regulæ iuxta finem, ad quem quælibet religio inſtituitur. Conſequenter militares præfati proprie, & vere religioſi sũt.

Primum, de huiuſmodi indefinita obligatione, ſuadetur, tum quia Ioan. 22. in extr. Ad conditorem, bis replicat, paupertatem, quam vouent Franciſcani ſub prima regula, eſſe altiorem, & perfectioris ſtatus, & prærogatiuæ præalijs mendicantibus, & tamen cæteri mendicantes ſunt vere, & proprie religioſi, ergo maior vel minor obligatio non tollit veram rationem religioſi. Tum quia ita ſtat cum voto paupertatis minor obſeruantia apud Canonicos Regulares, quam maior apud Capucinos, vtriuſq; enim obſeruatio prouenit ex voto paupertatis, ergo votũ quatenus conſtituit verũ religioſum, indefinite ſe habet ad obligationem, & talem inducit, qualem requirit Regula, quam quiſq; profitetur. Vnde Rodr. tom.1.q.44.art.2. §. Huic argumento docet votum paupertatis non æque conſtringere omnes quo ad vſum ex Concil. Trid. ſeſſ. 25.cap.2. vbi dicitur, quod religioſi habeant vſum mobilium conuenientem paupertati, quam profeſſi ſunt, non autem dicit, quod omnes in obſeruatione huius voti ſint pares. Tum quia Scholares Societatis Ieſu ſunt vere religioſi ex dictis ſub q.8. & tamen poſſunt ad tempus habere dominium bonorum de licentia prælati, ſine tamen vſu, & adminiſtratione, vt inſinuat Rodr. tom.1.q.1.art.4. ergo ad conſtituendum religioſum non requiritur omnimoda obligatio paupertatis. Tum quia triplex eſt caſtitas Virginalis, Coniugalis, & Vidualis, virginitas dicit abſtinentiam à quibuſcunque venereis in

perſona

perſona nondum corrupta; Coniugalis dicit abſtinētiam à quibuſcunq; venereis illicitis in coniugatis. Vidualis dicit abſtinentiam à quibuſuis venereis tam illicitis quam licitis in perſona iam corrupta, eſt doctrina ab omnibus Theologis recepta cum D. Thom. 2. 2. q. 151. & 152. Megal. v. Continentia n. 2. Bonac. ſuper 6. & 9. præcept. Decal. nu. 2. Quæcumq; autem illarum eſt ſufficiens ad conſtituendum aliquem religioſum ex parte ſua, non enim eſt neceſſaria Virginalis Rodr. tom. 3. q. 17. art. 4. aliter nullus corruptus eſſet proprie religioſus, neq; coniugalis aliter omnes religioſi deberent eſſe coniugati, neque vidualis, aliter nullus virgo poſſet eſſe religioſus, ergo quælibet illarum ſufficit ad creandum aliquem religioſum. Vnde quamuis communiter in forma profeſſionis, & in iure exprimatur ſimpliciter caſtitas, quæ quaſi vt genus contineat ſub ſe omnes ſpecies, non tamen in genere, & abſolute accipitur, ſed iuxta capacitatem vouentis, & præſcriptum ſuæ regulæ, ſi enim vouens eſt virgo, accipitur pro virginali, ſi corruptus pro viduali, genus enim quod non poteſt niſi in vna ſpecie verificari pro ſpecie reputatur l. 2. ff. de lib. & poſth. l. ſi optio ff. de opt. leg. arg. cap. 14. de off. de leg. Tum quia non eadem obedientia in omnibus religionib. promittitur, ſed in vna perfectiori modo, quam in alia, cum profiteatur ſecundũ regulam, & vna maiorem continet alia obligationem, vnde D. Bonau. in expoſ. primæ Reg. cap. 1. ſuper illa verba. *Viuendo in obedientia* docet quoſdam religioſos eſſe qui non tenentur obedire in excedentibus regulam, quoſdam vero alios eſſe, qui in omnibus obedire tenentur: ſed non minus ſunt religioſi, quorum obedientia ad minora ſe extendit, quam illi, quorum obedientia in plus ſe habet, ergo. Tum quia arguendo à ſimili ratione accepta à Phyloſophis, quorum doctrina tenetur, & allegatur ab eccleſiaſticis, & iuriſperitis cap. Turbat diſt. 37. l. Septimo menſe ff. de ſtatu hom. ſicut inter Analogata vnum perfectius participat rationem analogantis, quam alterum, & tamen vtrumq; vere, & proprie participat

ratio-

rationem Analogatus, vt cõſtat, apud Thomiſtas, exemplo ſubſtantiæ, & accidentis participantium proprie rationem entis, licet ſecundum magis, & minus; ita inter religioſos aliqui perfectius participant rationem religioſi in tribus votis, quam alij, & tamen omnes in communi ratione religioſi ſunt proprie religioſi, ergo militares licet ducant vxores non ideo non ſunt religioſi, quia licet eorum votum caſtitatis in minus ſe habeat, adhuc tamen promittunt caſtitatem cum reliquis duobus, quod ſufficit ad veram rationem religioſi.

Secundum ergo, quod militares ſint vere religioſi, iam probatum eſt ſufficienter. Vnde hanc reſponſionem tenent apud Sanch. lib. 4. cap. 16. quos citat, & ſequitur nu. 11. Nau. q. 1. de Reddit. nu. 95. & q. 3. nu. 29. & 30. Fortunius Garzia par. 2. conſil. pro Militia S. Iacobi §. Præterea Couuar. part. 2. Decret. cap. 3. §. nu. 18. & alij cum Diana tract. 2. de Immun. reſol. 49. & tract. 2. de dub. Regul. reſol. 30. & ego in hoc nullam facio difficultatem ob rationes ſuperius poſitas, quibus etiam patet ad oppoſita, ſi quæ obijci poſſunt.

11 QVAERES. An vt valeat profeſſio neceſſario exprimenda ſint in terminis obedientia, caſtitas, & paupertas, an ſolum implicite?

℟. Sufficit expreſſio talium verborum, quæ ſaltem implicite contineant promiſſionem illorum trium. Ratio eſt quia verborum diuerſitas non mutat formam rei in fine cap. 1. diſt. 99. Neq; rei ſubſtantiam mutat Menoch. conſil. 372. ex Barboſa litt. V. num. 34. Colligitur ex cap. fin. Qui cler. vbi ex ſola expreſſione voti caſtitatis iudicatur vere profeſſio. Gloſ. Propoſitum cap. Ex patre, de conuerſ. coniug. Quare in quibuſdam religionibus promittitur ſola regularis obſeruantia, quæ nihil aliud ſignificat, quam promiſſionem trium illorum. In alijs exprimitur ſola obedientia ſecundum Regulam, Rodr. tom. 3. q. 17. art. 4. & colligitur ex cap. Conſuluit. Qui cler. Nec obſtat cum Innoc. Graff. par. 2. lib. 3. cap. 29. nu. 65. dicens, ex promiſſione obedientiæ non inferri

profeſſio-

profeſſionem,quia id intelligendum eſt de ſola obedientia tantum,excludente reliqua duo. Hac tempeſtate fere in omnibus religionib. adeſt perfectiſſimus modus profitendi per formam exprimentem in terminis paupertatem,caſtitatem,& obedientiam ſecũdum regulam.

12 QVAERES. An profeſſio requirat determinata verba ſub certa forma prolata, aliter expreſſa ſit nullius momenti?

℞. Ad valide pr fitendum, non eſt neceſſaria determinata forma verborum, ſed ſufficiunt quæcumq; modo exprimant id,quod eſſentialiter conſtituit profeſſionem. Probatur, tum ex dictis præced. q. tum ex Gloſ. Profeſſio cap. Porrectum de Regul. tum quia licet vnaquæq; religio habeat propriam profeſſionis formam certis verbis præſcriptam,ſi profeſſurus eam mutet accidentaliter, non ideo tamen inualide profitetur, quia accidentalis mutatio non tollit ſubſtantiam actus ergo; Tum quia in illa ſerie verborum non conſiſtit ſubſtantia profeſſionis, ſed in illorum ſubſtantiali ſenſu, qui alijs terminis ſine dubio exprimi poteſt. Silu. Religio 3.q. 1. Angel. Profeſſio nu.1.Sanch.lib.5.cap.3.n.4. qui cum Azor. lib. 12. cap.5.q.7. aduertit prædicta non habere locum,quando in aliqua religione adeſt ſtatutum à ſede Apoſtolica approbatum, vt nulla ſit profeſſio aliter emiſſa, quam per formam præſcriptam. Verum quidem eſt, quod in tali caſu ſic profitens peccaret ſaltem venialiter,ſine rationabili cauſa peruertẽdo ordinem profitendi ſibi præſcriptũ.

13 QVAERES. An teneat profeſſio emiſſa de tribus votis in religione in communi præſuppoſitis cæteris requiſitis,eo excepto,quod nõ ſit in determinata religione?

℞. Non, probatur,tum ex cap. Vn. de Voto in 6. vbi dicitur quod votum ſolemnizatur per profeſſionem expreſſam, vel tacitam alicui de religionibus approbatis per ſedem Apoſtolicam, quod reperitur cap. Vn. de relig. dom. in 6. ſed profeſſio facta religioni in communi non eſt facta alicui, ergo nulla eſt. Tum quia profeſſio, vt valeat,debet fieri in aliqua ſpeciali religione approba-

ta;

Sed papa non approbat religionem in communi, ſed hanc, vel illam in ſpecie, actiones enim verſantur circa ſingularia, ergo. Tum quia deeſt acceptatio, & obligatio ex parte conuentus, cum nulla religio illum acceptauerit pro ſe, ergo nulla, requiritur enim acceptatio ex parte conuentus, aliter nulla eſt ex dictis ſub q. 2. §. Dixi 10. & probabitur infra cap. 3. q 9.

14 QVAERES. Quotuplex ſit profeſſio, ſeu quot modis fieri poſſit.

℞. Duplex eſt expreſſa, & tacita. Profeſſio expreſſa eſt illa, quæ verbis, nutibus, vel ſcriptura fieri poteſt, de qua fit mētio in iure pluribus in locis præſertim Cap. fin. 20. q. 1. Cap. Porrectum. Cap. Significatum de Regul. Cap. Nullus de elect. in 6. Et de hac præcipue locutus ſum non excludendo tamen tacitam de qua nonnulla ſunt ſubijcienda, non tamen penitus expreſſa omiſſa.

15 QVAERES. Quot modis in iure antiquo inducatur profeſſio tacita.

℞. Duobus modis. Primo per delationē habitus profeſſorum. Secundo per exercitium actuum ſolis profeſſis competentium. De primo fit mentio Cap. quod interrogaſti dict. 27. Cap. Deuotis 20. q. 1. Cap. Viduas 27. q. 1. Cap. de viduis 27. q. 1. Cap. Ad noſtram Cap. Super eo, Cap. Cum virum. Cap. Cum ſimus. Cap. Sicut Cap. Sicut à nobis. Cap. Ex parte de Regul. & cap. 1. 2. & 3. eod. in 6. & Clem. 2. eod. De ſecundo autem fit præcipue mentio Cap. Quem progenitores 20. q. 1. vbi legere, & canere in choro ſupponuntur actus profeſſorū. Cap. Vidua 27. q. 1. vbi de oratione, & oblatione panis ſicut, & in cap. Vidua. de Regul.

16 QVAERES. Quomodo delatio habitus profeſſorum inducat profeſſionem tacitam.

℞. Habitus profeſſorum inducens profeſſionem tacitam eſt in quadruplici differentia, prout colligitur ex Cap. 1. de Regul. in 6. & Clem. Eos. eod.

Primum genus habitus, quo ſolum profeſſi vtuntur, dicitur patenter, & manifeſte diſtinctus ab habitu nouitiorū

ſimplex ingrediendi aliquam religionem eſt, quia actus debet ſemper interpretari, vt aliquid operetur, non autē vt ſit inanis, & inutilis l. Quoties ff. de rebus dub. Sed poſt Concil. Trid. præfata obligatio ingrediendi aliquā religionem contracta ex nullitate profeſſionis infra annū probationis ſublata omnino fuit, vt videre eſt Seſſ. 25. cap. 15.

18 QVAERES. An ſic in genere religioni obligatus, ſi voluiſſet manere in ea, cuius primo habitum ſuſcepiſſet, teneretur religio illum retinere?

℞. ſic, tum quia id colligitur ex cap. ſuper eo, & Cap. Conſulti de Regul. in quibus dicitur, quod poteſt ſic profeſſus remanere in ea religione, cuius habitum ſuſcepit, ergo tenetur illum ſuſcipere. Tum quia religio dando illi habitum profeſſionis, de facto admiſit, ergo debet illū retinere, ſi velit manere. Ang. v. Nouitius nu. 14. Tab. q. 6. num. 7. Arm. num. 8. Azor. lib. 12. cap. 4. q. 5. quos citat, & ſequitur Sanch. lib. 5. cap. 3. nu. 29.

19 QVAERES. An illa tridui delatio habitus profeſſorum requiratur indiſtincte reſpectu omnium infra annum probationis recipiendorum?

℞. ſic, quia in cap. Ad noſtram, de Regul. & cap. Cōſtitutionem eod. in 6. indiſtincte fit mentio de ſuſcipientibus habitum profeſſorum infra annum probationis, & vbi lex non diſtinguit, neq; nos diſtinguere debemus. Cap. Solitæ, de Maior. Cap. quia circa, de Priuil. Angel. Nouitius 12. Tab. q. 5. num. 6. contra Ioannem Andr. in cit. cap. Ad noſtram, qui in duobus caſibus excludit tridui perſeuerantiam; primo, quando recipiens habitum jam vouerat ingredi: ſecundo quando recipitur ab infirmo, in his enim cenſetur perfecte deliberatus; ſed cita deliberatio perfecta cenſeri non poteſt, cum matura non ſit temporis diuturnitate.

20 QVAERES. An peracto probationis anno cum habitu profeſſorum ſtatim, & immediate ſit profeſſus, an vero requiratur tridui perſeuerantia, vel alterius temporis, vti vnius diei, ſicut triduum requiritur recipienti

habitum

habitum profeſſorum infra annum probationis ex cap. Ad noſtram, & cap. Conſtitutionem?

℟. Finito probationis anno integro recipiens habitum profeſſorum, vel ſi cum eo peregit illum annum, ſtatim, & immediate cenſetur tacite profeſſus, nullo quantumuis paruo tempore interiecto, quia iura tale tẽpus vltra probationis annum non requirunt, expreſſe Gloſ. Per annum. Clem. Eos. de Regul. & de communi docet Sanch. lib. 5. cap. 3. nu. 31. contra Ang. & Tabien. cit. proced. q.

21 QVAERES. An ille nouitius cẽſeatur tacite profeſſus, qui in fine anni probationis de more, coram patribus, petit admitti ad profeſſionem expreſſam, tranſacto ſaltem vno die poſt annum probationis, ſi geſtauit habitum profeſſorum?

℟. Non eſt tacite profeſſus, tum quia petit expreſſe profiteri, ergo hanc intendit, & non illam, actus enim agentium non operantur vltra eorum intentionem l. Nõ omnis ff. ſi cert. pet. argumento cap. fin. §. Cum igitur, de præbend. Tum quia intentio petentis non dirigitur ad tacitam, ergo non cenſetur tacite profeſſus, intentio enim profitendi tam neceſſaria eſt ad tacitam, quam ad expreſſam ex Nau. Com. 4. de Regul. num. 75. docet Sanch. lib. 5. cap. 3. num. 17. tum quia diuerſis modis emittuntur ergo petens expreſſam, quæ verbis fit, non poteſt dici facere tacitam, quæ factum requirit.

22 QVAERES. Quales ſunt illi actus proprij profeſſis, quibus inducitur iure antiquo profeſſio tacita?

℟. Sunt in duplici differentia, alij de iure, alij de conſuetudine, vt conſtat ex cap. Vidua, de Regul. vbi quędã fæmina dicitur tacite profeſſa, eo quod cum profeſſis obtulit quamdam oblationem quæ ex vſu competebat ſolis monialibus, vt docet ibi gloſ. v. oblationem. Præcipui autem actus ſunt eligere, & eligi, habere votum conſultiuum, deciſiuum, recipere quoſdam gradus, & honores &c.

23 QVAERES. An nouitius volens ſic profiteri, exercendo actus profeſſorum, debeat eſſe indutus habitu no-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

caſtitatis,& obedientiæ cadentium ſub voto?

℞. Prædicta tria cadentia ſub voto neceſſaria ſunt ad ſtatum religionis. Primum de illis tribus aperte colligitur ex textibus citatis ſub q. 2. verſ. Dixi 8. præſertim ex Clem. 1. de Relig. dom. Ratio eſt,quia religio eſt ſtatus perfectionis, ad quam aſſequendam illa tria neceſſaria ſunt, vt colligitur ex cap. 19. Matthæi. *Si vis perfectus eſſe vade,& vende omnia,quæ habes,& da pauperibus.* Quibus verbis inſinuat paupertatem;deinde ſubiungit. *Et ſequere me.* Per quæ ſignificatur obedientia. Demum narrat,quod aliqui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum cęlorum,hoc eſt,voluntarie abſtinuerunt ſe ab vſu venereorum,non per corpoream præciſionem membrorum, ſed per voluntarium caſtitatis votum. Neque obſtat cap. fin. Qui cler. vbi dicitur valida profeſſio eius,quæ vouit caſtitatem,addens quod in domo propria maneret cum omni ſubſtantia, quibus videntur excludi alia duo, quia limitantur,nempe manere in domo de obedientia prælati,retinendo vſum ſuorum bonorum. Sanch.lib.7. diſp. 25.nu.21.

Alterum ſuadetur,quia ad ſtatum perfectionis, in quo ſunt religioſi,requiritur obligatio ad ea,ad quæ religioſus tendere debet per hunc ſtatum,ſed tendit ad obſeruationem prædictorum trium, ergo ea debent patre cadere ſub voto,expreſſe D. Thom. 2.2.q.186.art.6. quem omnes ſequuntur cum Sanch.lib.5.cap. 1.num. 18.

10 QVAERES. An ad conſtituendum aliquem vere, & proprie religioſum,requiratur vt prædicta tria cadant ſub voto, ſecundum eam omnem perfectionem, quam includere poſſunt,itaut paupertatis votum ſit abdicatio omnis proprietatis dominij,& adminiſtrationis alteriuſue cuiuſuis iuris, caſtitatis ſit abſtinentia à quouis actu venereo ſiue illicito, ſiue licito; & obedientiæ ſubiectio in omnibus ſuo ſuperiori? Mouetur hæc difficultas propter religioſos militares,qui ſupradicta tria vota abſolute non promittunt,nam equites D. Iacobi, & de Alcantara,item de Calatraua poſſunt ducere vxores, vt ex

Mora

Mora lib.2.cap.2.§.19. nu. 18. inſinuat Diana reſol. 50. de dub. Regul. §. Quinto. Vnde fere omnes Thom. negant eos eſſe proprie religioſos apud Cruz lib.1. de ſtatu Relig. cap.2.dub.3.concl.2. Molina tom.1. diſp. 141. & tom. 3. diſp. 623. Azor. lib. 13. cap. 3. q. 2. contra quos tamen.

℞. Ad conſtituendum proprie quempiam religioſum ſufficit, ſi prædicta tria cadant ſub voto, ſecundum aliquã obligationem in profeſſo, conuenientem ſtatui, & regulæ iuxta finem, ad quem quælibet religio inſtituitur. Conſequenter militares præfati proprie, & vere religioſi ſũt.

Primum, de huiuſmodi indefinita obligatione, ſuadetur, tum quia Ioan. 22. in extr. Ad conditorem, bis replicat, paupertatem, quam vouent Franciſcani ſub prima regula, eſſe altiorem, & perfectioris ſtatus, & prærogatiuæ præalijs mendicantibus, & tamen cæteri mendicantes ſunt vere, & proprie religioſi, ergo maior vel minor obligatio non tollit veram rationem religioſi. Tum quia ita ſtat cum voto paupertatis minor obſeruantia apud Canonicos Regulares, quam maior apud Capucinos, vtriuſq; enim obſeruatio prouenit ex voto paupertatis, ergo votũ quatenus conſtituit verũ religioſum, indefinite ſe habet ad obligationem, & talem inducit, qualem requirit Regula, quam quiſq; profitetur. Vnde Rodr. tom.1.q.44.art.2. §. Huic argumento docet votum paupertatis non æque conſtringere omnes quo ad vſum ex Concil. Trid. ſeſſ.25.cap.2. vbi dicitur, quod religioſi habeant vſum mobilium conuenientem paupertati, quam profeſſi ſunt, non autem dicit, quod omnes in obſeruatione huius voti ſint pares. Tum quia Scholares Societatis Ieſu ſunt vere religioſi ex dictis ſub q.8. & tamen poſſunt ad tempus habere dominium bonorum de licentia prælati, ſine tamen vſu, & adminiſtratione, vt inſinuat Rodr. tom.1.q.1.art.4. ergo ad conſtituendum religioſum non requiritur omnimoda obligatio paupertatis. Tum quia triplex eſt caſtitas Virginalis, Coniugalis, & Vidualis, virginitas dicit abſtinentiam à quibuſcunque venereis in

perſona

perſona nondum corrupta; Coniugalis dicit abſtinētiam à quibuſcunq; venereis illicitis in coniugatis. Vidualis dicit abſtinentiam à quibuſuis venereis tam illicitis quam licitis in perſona iam corrupta, eſt doctrina ab omnibus Theologis recepta cum D. Thom. 2. 2. q. 151. & 152. Megal. v. Continentia n. 2. Bonac. ſuper 6. & 9. præcept. Decal. nu. 2. Quæcumq; aut. in illarum eſt ſufficiens ad conſtituendum aliquem religioſum ex parte ſua, non enim eſt neceſſaria Virginalis Rodr. tom. 3. q. 17. art. 4. aliter nullus corruptus eſſet proprie religioſus, neq; coniugalis aliter omnes religioſi deberent eſſe coniugati, neque vidualis, aliter nullus virgo poſſet eſſe religioſus, ergo quælibet illarum ſufficit ad creandum aliquem religioſum. Vnde quamuis communiter in forma profeſſionis, & in iure exprimatur ſimpliciter caſtitas, quæ quaſi vt genus contineat ſub ſe omnes ſpecies, non tamen in genere, & abſolute accipitur, ſed iuxta capacitatem vouentis, & præſcriptum ſuæ regulæ, ſi enim vouens eſt virgo, accipitur pro virginali, ſi corruptus pro viduali, genus enim quod non poteſt niſi in vna ſpecie verificari pro ſpecie reputatur l. 2. ff. de lib. & poſth. l. ſi optio ff. de opt. leg. arg. cap. 14. de off. de leg. Tum quia non eadem obedientia in omnibus religionib. promittitur, ſed in vna perfectiori modo, quam in alia, cum profiteatur ſecundũ regulam, & vna maiorem continet alia obligationem, vnde D. Bonau. in expoſ. primæ Reg. cap. 1. ſuper illa verba. *Viuendo in obedientia* docet quoſdam religioſos eſſe qui non tenentur obedire in excedentibus regulam, quoſdam vero alios eſſe, qui in omnibus obedire tenentur: ſed non minus ſunt religioſi, quorum obedientia ad minora ſe extendit, quam illi, quorum obedientia in plus ſe habet, ergo. Tum quia arguendo à ſimili ratione accepta à Phyloſophis, quorum doctrina tenetur, & allegatur ab eccleſiaſticis, & iuriſperitis cap. Turbat diſt. 37. l. Septimo menſe ff. de ſtatu hom. ſicut inter Analogata vnum perfectius participat rationem analogantis, quam alterum, & tamen vtrumq; vere, & proprie participat

ratio-

rationem Analogantis, vt cōſtat, apud Thomiſtas, exemplo ſubſtantiæ, & accidentis participantium proprie rationem entis, licet ſecundum magis, & minus; ita inter religioſos aliqui perfectius participant rationem religioſi in tribus votis, quam alij, & tamen omnes in communi ratione religioſi ſunt proprie religioſi, ergo militares licet ducant vxores non ideo non ſunt religioſi, quia licet eorum votum caſtitatis in minus ſe habeat, adhuc tamen promittunt caſtitatem cum reliquis duobus, quod ſufficit ad veram rationem religioſi.

Secundum ergo, quod militares ſint vere religioſi, iam probatum eſt ſufficienter. Vnde hanc reſponſionem tenent apud Sanch. lib. 4. cap. 16. quos citat, & ſequitur nu. 11. Nau. q. 1. de Reddit. nu. 95. & q. 3. nu. 29. & 30. Fortunius Garzia par. 2. conſil. pro Militia S. Iacobi §. Præterea Couuar. part. 2. Decret. cap. 3. §. nu. 18. & alij cum Diana tract. 2. de Immun. reſol. 49. & tract. 2. de dub. Regul. reſol. 30. & ego in hoc nullam facio difficultatem ob rationes ſuperius poſitas, quibus etiam patet ad oppoſita, ſi quæ obijci poſſunt.

11 QVAERES. An vt valeat profeſſio neceſſario exprimenda ſint in terminis obedientia, caſtitas, & paupertas, an ſolum implicite?

℞. Sufficit expreſſio talium verborum, quæ ſaltem implicite contineant promiſſionem illorum trium. Ratio eſt quia verborum diuerſitas non mutat formam rei in fine cap. 1. diſt. 99. Neq; rei ſubſtantiam mutat Menoch. conſil. 372. ex Barboſa litt. V. num. 34. Colligitur ex cap. fin. Qui cler. vbi ex ſola expreſſione voti caſtitatis iudicatur vere profeſſio. Gloſ. Propoſitum cap. Ex patre, de conuerſ. coniug. Quare in quibuſdam religionibus promittitur ſola regularis obſeruantia, quæ nihil aliud ſignificat, quam promiſſionem trium illorum. In alijs exprimitur ſola obedientia ſecundum Regulam, Rodr. tom. 3. q. 17. art. 4. & colligitur ex cap. Conſuluit. Qui cler. Nec obſtat cum Innoc. Graff. par. 2. lib. 3. cap. 19. nu. 65. dicens, ex promiſſione obedientiæ non inferri

profeſſio-

profeſſionem, quia id intelligendum eſt de ſola obedientia tantum, excludente reliqua duo. Hac tempeſtate fere in omnibus religionib. adeſt perfectiſſimus modus profitendi per formam exprimentem in terminis paupertatem, caſtitatem, & obedientiam ſecũdum regulam.

12 QVAERES. An profeſſio requirat determinata verba ſub certa forma prolata, aliter expreſſa ſit nullius momenti?

℟. Ad valide pr[o]fitendum, non eſt neceſſaria determinata forma verborum, ſed ſufficiunt quæcumq; modo exprimant id, quod eſſentialiter conſtituit profeſſionem. Probatur, tum ex dictis præced. q. tum ex Gloſ. Profeſſio cap. Porrectum de Regul. tum quia licet vnaquæq; religio habeat propriam profeſſionis formam certis verbis præſcriptam, ſi profeſſurus eam mutet accidentaliter, non ideo tamen inualide profitetur, quia accidentalis mutatio non tollit ſubſtantiam actus ergo; Tum quia in illa ſerie verborum non conſiſtit ſubſtantia profeſſionis, ſed in illorum ſubſtantiali ſenſu, qui alijs terminis ſine dubio exprimi poteſt. Silu. Religio 3.q. 1. Angel. Profeſſio nu.1. Sanch.lib.5.cap.3.n.4. qui cum Azor. lib. 12. cap.5.q.7. aduertit prædicta non habere locum, quando in aliqua religione adeſt ſtatutum à ſede Apoſtolica approbatum, vt nulla ſit profeſſio aliter emiſſa, quam per formam præſcriptam. Verum quidem eſt, quod in tali caſu ſic profitens peccaret ſaltem venialiter, ſine rationabili cauſa peruertẽdo ordinem profitendi ſibi pręſcriptũ.

13 QVAERES. An teneat profeſſio emiſſa de tribus votis in religione in communi præſuppoſitis cæteris requiſitis, eo excepto, quod nõ ſit in determinata religione?

℟. Non, probatur, tum ex cap. Vn. de Voto in 6. vbi dicitur quod votum ſolemnizatur per profeſſionem expreſſam, vel tacitam alicui de religionibus approbatis per ſedem Apoſtolicam, quod reperitur cap. Vn. de relig. dom. in 6. ſed profeſſio facta religioni in communi non eſt facta alicui, ergo nulla eſt. Tum quia profeſſio, vt valeat, debet fieri in aliqua ſpeciali religione approbata;

Sed papa non approbat religionem in communi, ſed hanc, vel illam in ſpecie, actiones enim verſantur circa ſingularia, ergo. Tum quia deeſt acceptatio, & obligatio ex parte conuentus, cum nulla religio illum acceptauerit pro ſe, ergo nulla, requiritur enim acceptatio ex parte conuentus, aliter nulla eſt ex dictis ſub q. 2. §. Dixi 10. & probabitur infra cap. 3. q 9.

14 QVAERES. Quotuplex ſit profeſſio, ſeu quot modis fieri poſſit.

℞. Duplex eſt expreſſa, & tacita. Profeſſio expreſſa eſt illa, quæ verbis, nutibus, vel ſcriptura fieri poteſt, de qua fit mẽtio in iure pluribus in locis præſertim Cap. fin. 20. q. 1. Cap. Porrectum. Cap. Significatum de Regul. Cap. Nullus de elect. in 6. Et de hac præcipue locutus ſum non excludendo tamen tacitam de qua nonnulla ſunt ſubijcienda, non tamen penitus expreſſa omiſſa.

15 QVAERES. Quot modis in iure antiquo inducatur profeſſio tacita.

℞. Duobus modis. Primo per delationẽ habitus profeſſorum. Secundo per exercitium actuum ſolis profeſſis competentium. De primo fit mentio Cap. quod interrogaſti dict. 27. Cap. Deuotis 20. q. 1. Cap. Viduas 27. q. 1. Cap. de viduis 27. q. 1. Cap. Ad noſtram Cap. Super eo, Cap. Cum virum. Cap. Cum ſimus. Cap. Sicut Cap. Sicut à nobis. Cap. Ex parte de Regul. & cap. 1. 2. & 3. eod. in 6. & Clem. 2. eod. De ſecundo autem fit præcipue mentio Cap. Quem progenitores 20. q. 1. vbi legere, & canere in choro ſupponuntur actus profeſſorũ. Cap. Vidua 27. q. 1. vbi de oratione, & oblatione panis ſicut, & in cap. Vidua. de Regul.

16 QVAERES. Quomodo delatio habitus profeſſorum inducat profeſſionem tacitam.

℞. Habitus profeſſorum inducens profeſſionem tacitam eſt in quadruplici differentia, prout colligitur ex Cap. 1. de Regul. in 6. & Clem. Eos. eod.

Primum genus habitus, quo ſolum profeſſi vtuntur, dicitur patenter, & manifeſte diſtinctus ab habitu nouitiorũ

hæc autem diſtinctio apparet in trib. prout habet Cap. 1. §. diſtinctos, de Regul. in 6., & Clem. Eos. eod. Primo in colore vt ſi habitus profeſſorum ſit vnius coloris, & nouitiorum alterius. Secundo in ſciſſura, vt in ordine Minorum profeſſorum Capucium eſt aſſutum habitui, non autem nouitiorum, vt notat gloſ. v. in ſciſſura in Clem. cit.

Tertio in forma, ſeu figura, vt ſi nouitiorum habitus ſit breuior, profeſſorum longior; item ſi careat aliqua parte; nam apud Canonicos Regul. rochetum nouitiorũ caret manicis; apud Minimos poſterior pars capucij plicatur; apud nos extremis partibus Caputij appenditur fruſtulum panni nouitiorum.

Portans ergo hunc habitum in legitima ętate conſtitutus, quæ eſt poſt decimum quartum annum, & per triduum cum illo perſeuerans etiam infra annum probationis, eſt ſtatim tacite profeſſus, non tamen illius religionis cuius habitum ſuſcepit, ſed religioni in genere obligatur Cap. Ad noſtram ibi Abbas nu. 5. de Regul. vbi docet, hunc poſſe eligere quamcumq; etiam laxiorem, vt etiã expreſſe dicitur. Cap. Super eo, de Regul. de hac eadem obligatione aperte Cap. Conſtitutionem eod. 6. Suſceptus vero peracto nouitiatus anno inducit profeſſionem obligantem illũ ad eam ſpecialem religionẽ, cuius habitum ſuſcepit, vt docet Alex. de Neuo in Cap. Conſuluit qui cler. num. 13. cum Sanch. lib. 5 cap. 3. nu. 27.

Secundum genus eſt habitus quidem communis nouitijs, & profeſſis ſecundum, quod apparet, quia, in colore, ſciſſura neque forma eſt diuerſus ſed ſolum diuerſus eſt extrinſece vel ratione benedictionis, quia habitus profeſſorum benedicitur non nouitiorem Cap. Statuimus in fine, vel è contra benedicitur habitus nouitiorum non profeſſorum, vt in noſtra religione; vel quia idem habitus nouitijs tribuitur in vno loco, ab vno ſuperiore, vel cum tali ſolemnitate, quibus non conceditur profeſſis. Vide gloſ. deinceps Clem. Eos. cit. de Regul. vbi ſic habetur *Eos, qui deinceps in diſcretionis conſtituti*

ætate

ætate 1. poſt decimum quartum annum, *nouitiorum habitum* (intellige huius ſecundi generis) *in aliqua religione per annum portauerint, decernimus eſſe profeſſos.*

Tertium genus eſt habitus idem, & communis nouitijs & profeſſis nequaquam diuerſus neq; patenter neq; latenter, qui per vnius anni delationem inducit tacitam profeſſionem Cap. Ex parte de Regul. & cap. 1. eod. in 6. §. quod ſi, vbi papa ponit hanc differentiam, quod nouitius habitum communem profeſſis, & nouitijs non autem alijs habitantibus in conuentu, qui diuerſum portant, deferens per totum annum decimumquintum, ſiue illum receperit ante, ſiue non, anno finito, eſt ſtatim tacite profeſſus. In ſequenti vero §. qui vero, vt quis tacite ſit profeſſus deferendo.

Quartum genus habitus, qualis eſt ille, qui non ſolũ nouitijs, & profeſſis, ſed etiam alijs commorantibus communis eſt, debet illum acceptum in anno decimo quinto, & non ante per annum deferre, quo peracto ſtatim tacitè profeſſus, vt ibidem expreſſe dicitur.

17 QVAERES. An tacita profeſſio, quæ olim fiebat per ſuſceptionem habitus primi generis ante cõpletum annum probationis eſſet vere profeſſio ſolemnis, an vero ex illo facto inſurgeret ſolum obligatio ingrediendi aliquam religionem ratione voti ſimplicis?

℞. Erat ſolum votum ſimplex ingrediẽdi aliquam religionem, quam maluiſſet ſic profitens. Probatur, tum ex cap. Super eo, & Cap. Conſulti, de Regul. datur libertas permanẽdi, vel tranſeundi ad laxiorem, ergo ſignũ eſt, quod vere non fecit profeſſionem; quia vere profeſſo non datur libertas, ſed neceſſitas tranſeundi ad laxiorem ſi nolit remanere; tum quia Cap. Conſtitutionem eod. in 6. dicitur, quod ſic profitens non eſt profeſſus illius religionis, cuius habitum ſuſcepit, ſed ſolum quod obligatur religioni in genere, quod non arguit profeſſionem factã in genere tenere, ex probatis ſub q. 13. & hanc ſequitur Sanch. lib. 5. cap. 3. nu. 28. citans ſeipſum lib. 7. diſp. 25. num. 22. Ratio autem, cur tunc inducebat votum

ſimplex ingrediendi aliquam religionem eſt, quia actus debet ſemper interpretari, vt aliquid operetur, non autẽ vt ſit inanis, & inutilis l. Quoties ff. de rebus dub. Sed poſt Concil. Trid. præfata obligatio ingrediendi aliquã religionem contracta ex nullitate profeſſionis infra annũ probationis ſublata omnino fuit, vt videre eſt Seſſ. 25. cap. 15.

18 QVAERES. An ſic in genere religioni obligatus, ſi voluiſſet manere in ea, cuius primo habitum ſuſcepiſſet, teneretur religio illum retinere?

℞. ſic, tum quia id colligitur ex cap. ſuper eo, & Cap. Conſulti de Regul. in quibus dicitur, quod poteſt ſic profeſſus remanere in ea religione, cuius habitum ſuſcepit, ergo tenetur illum ſuſcipere. Tum quia religio dando illi habitum profeſſionis; de facto admiſit, ergo debet illũ retinere, ſi velit manere. Ang. v. Nouitius nu. 14. Tab. q. 6. num. 7. Arm. num. 8. Azor. lib. 12. cap. 4. q. 5. quos citat, & ſequitur Sanch. lib. 5. cap. 3. nu. 29.

19 QVAERES. An illa tridui delatio habitus profeſſorum requiratur indiſtincte reſpectu omnium infra annum probationis recipiendorum?

℞. ſic, quia in cap. Ad noſtram, de Regul. & cap. Cõſtitutionem eod. in 6. indiſtincte fit mentio de ſuſcipientibus habitum profeſſorum infra annum probationis, & vbi lex non diſtinguit, neq; nos diſtinguere debemus. Cap. Solitæ, de Maior. Cap. quia circa, de Priuil. Angel. Nouitius 12. Tab. q. 5. num. 6. contra Ioannem Andr. in cit. cap. Ad noſtram, qui in duobus caſibus excludit tridui perſeuerantiam; primo, quando recipiens habitum jam vouerat ingredi: ſecundo quando recipitur ab infirmo, in his enim cenſetur perfecte deliberatus; ſed citra deliberatio perfecta cenſeri non poteſt, cum matura non ſit temporis diuturnitate.

20 QVAERES. An peracto probationis anno cum habitu profeſſorum ſtatim, & immediate ſit profeſſus, an vero requiratur tridui perſeuerantia, vel alterius temporis, vti vnius diei, ſicut triduum requiritur recipienti

habitum

habitum profeſſorum infra annum probationis ex cap. Ad noſtram, & cap. Conſtitutionem?

℞. Finito probationis anno integro recipiens habitum profeſſorum, vel ſi cum eo peregit illum annum, ſtatim, & immediate cenſetur tacite profeſſus, nullo quantumuis paruo tempore interiecto, quia iura tale tẽpus vltra probationis annum non requirunt, expreſſe Gloſ. Per annum. Clem. Eos. de Regul. & de communi docet Sanch. lib. 5. cap. 3. nu. 31. contra Ang. & Tabien. cit. proced. q.

21 QVAERES. An ille nouitius cẽſeatur tacite profeſſus, qui in fine anni probationis de more, coram patribus, petit admitti ad profeſſionem expreſſam, tranſacto ſaltem vno die poſt annum probationis, ſi geſtauit habitum profeſſorum?

℞. Non eſt tacite profeſſus, tum quia petit expreſſe profiteri, ergo hanc intendit, & non illam, actus enim agentium non operantur vltra eorum intentionem l. Nõ omnis ff. ſi cert. pet. argumento cap. fin. §. Cum igitur, de præbend. Tum quia intentio petentis non dirigitur ad tacitam, ergo non cenſetur tacite profeſſus, intentio enim profitendi tam neceſſaria eſt ad tacitam, quam ad expreſſam ex Nau. Com. 4. de Regul. num. 75. docet Sanch. lib. 5. cap. 3. num. 17. tum quia diuerſis modis emittuntur ergo petens expreſſam, quæ verbis fit, non poteſt dici facere tacitam, quæ factum requirit.

22 QVAERES. Quales ſunt illi actus proprij profeſſis, quibus inducitur iure antiquo profeſſio tacita?

℞. Sunt in duplici differentia, alij de iure, alij de conſuetudine, vt conſtat ex cap. Vidua, de Regul. vbi quędã fæmina dicitur tacite profeſſa, eo quod cum profeſſis obtulit quamdam oblationem quæ ex vſu competebat ſolis monialibus, vt docet ibi gloſ. v. oblationem. Præcipui autem actus ſunt eligere, & eligi, habere votum conſultiuum, deciſiuum, recipere quoſdam gradus, & honores &c.

23 QVAERES. An nouitius volens ſic profiteri, exercendo actus profeſſorum, debeat eſſe indutus habitu no-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

nitiorum, an ſufficiat quilibet habitus, etiam ſecularis?

℞. debet eſſe indutus habitu vel nouitiorum, vel profeſſorum, nam aliter clericus, vel ſecularis ingerens ſe actibus profeſſorum cenſeretur profeſſus, quod eſt abſurdum, Abbas in cap. Vidua, de Regul. nu. 7. Roſella Nouitius num. 16. Silu. v. Religio 3. q. 19. Nau. Com. 4. de Regul. num. 73. Non eſt autem neceſſe vt hæc præſtet quatenus nouitiatum peragit, quia in cap. Vidua cit. non fit mentio de hac formali ratione nouitiatus, vt docent Silu. & Nau.

24 QVAERES. An ad tacitam profeſſionem per exercitium actuum ſolis profeſſis competentium requiratur perſeuerantia tridui?

℞. Requiritur infra annum probationis, non vero ſi actus fiant poſt annum probationis, ſed hoc ipſo, quod quis ſe ingerit in actibus profeſſorũ intentione profitendi, eſt tacite profeſſus, vt colligitur ex citatis textib. ſub q. 20. Triduum enim ſolum exigitur in profitente tacite infra annum probationis, & non vltra. Vide Sanch. lib. 5. cap. 3. nu. 21. vbi hoc triduum non requirit, quando ſimul cum exercitio actuum aſſumptus fuit habitus profeſſorum; ſed non placet, quia reuera fit mentio de triduo ſolum, quando inducitur profeſſio infra annum probationis, & non eſt maior ratio requirens illud triduum, quando actus profeſſorum exercetur ſine illorum habitu, quam non requirens cum exercetur cum illorum habitu, ſiquidem vt mox probatur, exercitium illorũ actuũ independenter ab habitu profeſſorum, & is ab illorum exercitio, inducunt profeſſionem.

25 QVAERES. An vterq; modus tacite profitendi independenter ab altero ſufficiat ad profeſſionẽ tacitã?

℞. Sic, quia in citatis iurib. ſub q. 15. fit mentio de vno, ſine altero, & profeſſio tacita decernitur valida, ergo ſufficit vnus ſine altero modo.

26 QVAERES. An ſufficiat facere vnicum actum cum intentione profitendi?

℞. Sic, Nam cap. Quem progenitores, dicitur quod quidam

quidam cæpit canere,& legere in Eccleſia, inceptio autē contingit per vnicum actum, & arguit vnitatem, & in cap. Vidua de Regul. dicitur quod hæc oblatione inter velatas fuit tacite profeſſa, loquitur enim in ſingulari, ergo vnico actu profeſſorum inducitur tacita profeſſio.

27 QVAERES. An alius modus tacite profitendi, pręter ſupra dictos duos hactenus explicatos reperiatur?

℞. Non,nam quod aliqui volunt, recipientem habitū nouitiorum animo mutandi vitam,& perpetuo manendi in religione profiteri votum non eſt profeſſionis, ſed voluntas potius profitendi, ad votum enim non ſufficit voluntas,& propoſitum,ſed præterea requiritur promiſſio, & ita docet Sanch. lib 9.de Matr.diſp. 33. nu. 19. contra multos canoniſtas,quos ſequitur Graff. par. 2. lib. 2. cap. 12. nu. 41. & 42. qui volunt hunc tacite profiteri per dictam voluntatem,ex cap. Conſulti,& cap. Statuimus, de Regul. ſed gloſ. v. Niſi euidenter, dicti cap. Statuimus requirit habitū profeſſorum, & Alex.4.in cap.2.de Regul.in 6.requirit competentia indicia, quæ alia eſſe non poſſunt, niſi habitus profeſſorum ſuſceptio, vel actuum exercitium.

28 QVEARES. An ſola habitus profeſſorum delatio inducat profeſſionem tacitam, an præterea aliquæ conditiones exigantur, tam ex parte profitentis, quam recipientis?

℞. Omnes conditiones requiſitæ ad profeſſionem expreſſam,ſunt etiam neceſſariæ ad tacitam, Tum quia eadem eſt virtus taciti,& expreſſi, ex vulgatis iuribus apud Barboſam lit. T. nu. 3. ergo quot conditiones habet expreſſa, tot requirit tacita. Tum, quia tacitum non plus operatur,quam expreſſum,vt docent in l. Cum quid ff. ſi cert. pet. Sanch. lib. 5. cap. 3. num. 14. ad 19. Huiuſmodi autem conditiones requiſitæ ad vtramq; colliguntur ex definitione profeſſionis ſuperius allata, & explicata ſub q.2.vtriq; communi,& reduci poſſunt ad tria capita.

Primo ſiquidem aliquæ ſe tenent ex parte profitentis, vt intentio, conſenſus,libertas, & cognitio eius quod fit.

Requiritur ergo intentio, quia cum profeſsio ſit actus humanus, non poteſt conſiſtere abſq; intentione, & voluntate agentis argumento cap. 23. de off. deleg. omnis enim actus à fine iudicatur l. Verum ff. de furt. Debet accedere conſenſus, quia conuentione, & conſenſu cõtractus omnes perficiuntur 85. de regul. iur. Profeſsio autem eſt quidam contractus, vt probatur infra ſub q. 39. ergo ad eius valorem requiritur intentio, ſeu conſenſus. Libere autem fieri debet, ſiue ſit tacita, ſiue expreſſa, vt exprimũt textus citati ſub q. 2. §. Dixi 4. & probatur infra cap. 2. q. 12. Scienter autem debet profiteri, ſciendo per talem habitus delationem, vel actuum profeſſorum exercitium induci profeſsionem, ex cap. Conſtitutionem, & cap. Beneficium, de regul. in 6., quia actus humanus, cuiuſmodi eſt profeſsio, non eſt ſine aduertentia, & cognitione Ariſt. 2. Aeth. Cap. 1. & quia aliter non conſentiret in illam, ſi ignoraret per illos actus induci profeſsionem, quia errans non conſentit l. Si per errorem ff. de iur. om. iud. Nau. Com. 4. de regul. nu. 75. Rodr. Tom. 3. q. 17. art. 1. §. Quartum.

Secũdo aliæ ſe tenent ex parte cõuẽtus, & ſuperioris, quorum conſenſus neceſſarius eſt, & authoritas recipiẽtis, vt probatur cap. 3. q. 9.

Tertio reliquæ petuntur ex iure pontificio, vt legitima ætas, quæ iure antiquo incipiebat à decimoquinto anno incæpto dicta pubertas in maſculo; in fæmina initium decimitertij anni, ex gloſ. Cæperit cap. 1. 20. q. 1. Cap. Illud 20. q. 1. & cap. Ad noſtram cap. Significatum, de regul. Gloſ. Aetate Clem. Eos eod. Nunc vero ex iure nouo Concil. Trident. Seſſ. 25. cap. 15. eſt decimus ſeptimus cæptus, & non ante tam in viris, quã in fæminis de quib. infra cap. 2. q. 46. & 47. Quam ætatem neceſſario debet præcedere annus integer legitimæ probationis perfectus in loco pro nouitiatu deputato. De quo agam infra cap. 4. q. 10. & 11. de loco deputato q. 21.

29 QVAERES. An habitus nouitiorum diſtinctus à prædictis quatuor generibus habituum profeſſorum,

de

de quib. dixi ſub q. 16. delatus aliquando inducat tacitam profeſsionem?

℞. Non, per quamcumq; eius longam delationem, quia is non dicitur habitus profeſſorum, aut Monachalis, ſeu religionis, & hoc expreſsè habet gloſ. Deinceps, Clem. Eos, de regul. Ang. v. Nouitius Tab. q. 5. num. 6. Nau. Com. 4. de regul. nu. 74. Et huc ſpectat illud commune dictum acceptum ex capite porrectum, de regul. Habitus, intellige ſolius nouitiorum proprius, non facit religioſum.

30 QVAERES. An profeſsio tacita, ſiue in totum, ſiue ex parte ſublata ſit per Concilium Tridentinum Seſſ. 25. cap. 15. & 16.?

℞. Sublata non fuit per illa citata capita, quia poteſt nouitius finito probationis anno, & expleto decimoſexto anno, recipiendo habitum profeſſorum, ſi cum illo nouitiatum non perfecit tacite profiteri, ſi ſuperior ſaltem cũ maiori parte conuentus conſentiat, ſi ſit habilis, alitor reijci poteſt, vt dicitur cap. 16. his verbis. *Finito tempore nouitiatus ſuperiores nouitios, quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, aut è Monaſterio eos eijciant.* Hæc ibi. Quæ non vrgent, quia ad vtramq; profeſsionem æque applicari poſſunt, ſiquidem etiam in tacita requiritur conſenſus conuentus, & admiſsio ſuperioris, qui ſolum habiles admittunt, & inhabiles reijciunt. Eſt communis opinio apud Nau. Conſil. 28. de regul. nu. 5. Azor. lib. 12. cap. 6. q. 6. Sanch. lib. 5. cap. 3. nu. 36.

Dices iure antiquo anrus probationis decernitur decimusquintus, quo peracto cum habitu profeſſorum ſtatim nouitius cenſetur tacite profeſſus, ex probatis ſub q. 16. & 20. Sed nullus poteſt profiteri, niſi poſt decimum ſextum annum, ergo profeſsio tacita hic locum habere non poteſt. Deinde etiam anno probationis continuato ad decimumſextum annum completum, adhuc non poteſt immediate dici tacite profeſſus, quia finito tempore nouitiatus ſuperiores habent optionem admittendi, vel reijciendi illum, ſi ſit inhabilis, vt conſtat ex relatis ver-

bis

bis cit. Cap. 16. mox, ergo nulla eſt profeſsio tacita.

℟. Ad 1. illam ætatem non limitari quo ad futurum tempus, ſed ſolum quo ad præteritum, ita quod legitima ætas incipit ab anno decimoquinto, & deinceps, non autem ante id tempus, non excludendo ſequens tempus, vnde eo finito, debet perſeuerare cum habitu vſq; ad decimumſextum expletum, & ſtatim ex hoc euadit tacite profeſſus, ſuppoſito conſenſu conuentus, & authoritate ſuperioris. Et de hac ætate ita obſeruant Nau. conſil. 20. de regul. & Sanch. cit. nu. 38. Ad 2. dico etiam profeſsionem expreſſam immediate poſſe ſubſequi ſi adſint cætera requiſita, vti ætas, & conſenſus partium, & quando Doctores docent delationem habitus profeſſorum per anuum legitimum probationis ſtatim inducere profeſsionem tacitam, hoc intelligendum eſt, ſi adſint cætera requiſita ex probatis ſub q. 28.

31 QVAERES. An ſaltem ex alio capite ſublata ſit, aut ſaltem nulla ſit ex contraria conſuetudine, ſeu ſtatuto religionum?

℟ Eſt nulla, & ſublata reſpectu illarum religionum, in quibus eſt ſtatutum, vel conſuetudo expellendi nouitios ante expreſſam profeſsionem, vel eos non admittendi niſi ad profeſsionem expreſſam, in his enim caſibus cũ deficiat conſenſus ex parte conuentus, conſequenter nulla eſt profeſsio tacita. Ita docet Nau. conſil. 20. num. 3. Quem ſequitur Sanch. lib. 5. cap. 3. n. 40. vnde is Doctor citatus nu. 13. ait rariſsime contingere eam eſſe validam, & Homob. alijs citatis par. 4. Reſp. 17. affirmat, illam non eſſe amplius in vſu. Clem. VIII. in inſtit. ſuper recept. nouit. §. Ad hoc tamen, mandat nouitios poſt profeſsionem manere adhuc in eodem loco, vel alio deputato ad profeſſorium, & interim non ſe intromittere in negotijs conuentuum, neq; communibus tractatib. intereſſe, nec alicuius exterioris obedientiæ officium exercere, ergo ſaltem per exercitium actuum ſolis profeſſis propriorum non amplius inducitur profeſſio tacita.

32 QVAERES. An in religione Tertij Ordinis D.

Franciſci habeat locum tantummodo profeſsio expreſſa, & nullatenus tacita?

℞. Solum expreſſa, ſuadetur, quia quoties mentio fit de profeſsione huius religionis, tam in eorum ſtatutis, quam in Conſtitutionibus papalibus, ſemper verba diriguntur ad expreſſam tantum, ergo ſignum eſt excludi tacitam. Antecedens conſtat ex eo, quia ita expreſsè habetur, ex regulis Nicol. 4. & Leon. X. Cap. 2. & Conſt. Perſonas vacantes Ioann. 22. Dat. 26. Aug. anno 1320. in qua confirmans huius ordinis ſtatuta mandat, vt profeſsio alio modo non fiat niſi in hæc verba. *Ego N. voueo, et promitto Deo, & B. M. V. Beato Franciſco, & omnibus Sanctis, & tibi pater N. omnib. diebus vitæ meæ eſſe obediens Domino Ioanni Papæ, & ſuis ſucceſſoribus canonice intrantibus, & viuere in obedientia, paupertate ſine proprio, et in caſtitate, & obſeruare Regulam &c.* Et hanc formam obſeruandam mandat degentibus in partibus Flandriæ. De eadem expreſſa profeſsione mentionem fecit Eugen 4. Conſt. Iniunctum nobis, pro religioſis degentibus in regnis Caſtellæ, & Legionis. Dat. 6. Febr. 1442., de qua iuxta dictũ Eugen. loquitur Nicol. 5. Conſt. Apoſtolicæ Sedis. Dat. 23. Apr. 1450. Quas cõſtitutiones Eugenij, & Nicolai Paulus II. extendit ad eoſdẽ in Lombardia conſiſtentes Conſt. Excitat arcanũ. Dat. 26. Maij anno 1467 & Sixtus IV. Conſt. Sedes Apoſtolica. Dat. 29. Nou. anno 1471. qui idem Sixtus declarauit eorum profeſſionem, in qua promittunt tria vota, eſſe ſolemne votum. Conſt. Ad Chriſti. Dat. 1. Decemb. 1480. Demum cap. 9. regulæ, ſeu Statutorũ, quæ pro regula habẽtur, dicitur, quod peracto probationis anno, ſi eorum vita religioni apta fuerit iudicata recipiantur de aſſenſu Fratrum ad profeſſionem, in qua promittant tria vota ſubſtantialia. Ex his ergo omnibus conſtat in hoc ordine peti ſolam profeſſionem expreſſam, quare tacita locũ non habebit.

33 QVAERES, Publicato Breui Santiſſimi Vrb. ſuper profeſſionibus nulliter emiſſis, præmiſſo nouitiatu in loco

non

non deſignato, detectum fuit, multos religioſos eſſe inualide profeſſos ad condictum capitulum pro electione officialium ex illis pleriq; conuenerunt, præſidens illis proteſtatus fuit ſimul congregatis, & audientibus, ſe nolle, vt nulliter profeſſi interueniant, aliter intendit per actum illorum ſuffragiorum non valide profeſſos incurrere profeſſionem tacitam, ſeu eius ratificationem, illi autem talem proteſtationem diſsimulantes de facto ſuffragati ſunt. An ab illis incurſa ſit tacita profeſſio, ita quod non poſſint amplius reclamare?

℞. In foro conſcientiæ, ſi deſit animus profitendi neceſſario requiſitus ex q. 28. non profitetur ſuffragans, & hoc certum eſt, cum deſit intentio, & conſenſus illi eſſentialia. In foro autem externo præſumitur tacite profiteri, ita quod amplius reclamare non poteſt. Suadetur. Tum quia qui vult antecedens vult etiam conſequens l. 2. ff. de iur. om. iud. arg. cap. 5. de off. deleg. Euet. in loco à conceſſ. antec. ſed iſti voluerunt ferre ſuffragium ſolis profeſſis proprium, quod eſt antecedens, ergo etiam conſequenter voluerunt tacite profiteri. Tum quia nullus præſumitur peccare l. 2. ff. de pænis l. qui accuſare C. de edend. ergo ſic ſuffragantes præſumuntur ratificaſſe profeſſionem, aliter præſumerentur peccaſſe. Tum quia tacens conſentire videtur Reg. 43. maxime quando ſufficit tacitus conſenſus Gloſ. in Reg. 44. & quando agitur de re meritoria, Gloſ. ibi, vt eſt profeſſionis emiſsio, præcipue cum poſſit reſiſtere proteſtando ſe nolle per illum actum profiteri, valens enim impedire, tacendo conſentire videtur. Maſcard. concl. 1158. Menoch. lib. 3. de Præſumpt. q. 99. num. 15. cum illis Barboſa lit. T. nu. 1. quod ſi & ipſi proteſtentur, ſe nolle incurrere profeſſionem tacitam prodeſt proteſtatio, vt probatur infra q. 36. Verum quidem, quod in eo caſu nulliter profeſſi, vt tales cogniti, expellendi ſunt à capitulo, in quo nullum ius habent, aliter ſecuta electio non tenet ex ijs, quæ habet Sigiſm. de elect. prælat. Regul. dub. 90.

34 QVAERES. An in omnibus caſibus, in quibus expreſſa

expreſſa eſt nulla, ſit etiam inualida tacita?

℞. ſic, tum quia non eſt maioris efficaciæ tacita, quam expreſſa, & ſolum in eo differunt, quod illa fit factis, hæc autem verbis; tum quia valor vtriuſq; æquales requirit conditiones, & ad hoc faciunt dicta ſub q. 28. & inſinuat Sanch. lib. 5. cap. 3. num. 18.

35 QVAERES. An vtraq; parem inducat obligationem, & æquales effectus?

℞. Inducit parem obligationem, non pares effectus; primum ſuadetur, quia vtraq, inducit votum ſolemne ex cap. Vn. de Regul. in 6. & deuouet profitẽtem perpetuo religioni. Sanch. lib. 5. cap. 3. initio, ex cap. Vidua, & cap. ad noſtram, de Regul. Secundum conſtat ex præced. q. 33. vbi habetur profeſſionem tacitam dare ſolum ius eligendi, expreſſam vero etiam vt quis eligatur. Alia conſtabunt ſub capite 4. de effectibus, & priuilegijs profeſſionis.

36 QVAERES. An exercendo actus profeſſorum, vel illorum habitum ſuſcipiens cum proteſtatione nolendi tacite profiteri, ſit nihilominus tacite profeſſus?

℞. Nõ eſt profeſſus, quia proteſtatio illi prodeſt. Cap. Conſulti, iunctis gloſ. in primo caſu, & gloſ. Proteſtetur; & gloſ. Per annum cap. Ex parte, de Regul. & gloſ. in cap. perlatum de ijs, quæ vi &c. Rodr. Tom. 3. q. 17. art. 15. Sanch. lib. 5. cap. 3. num. 35. Quod autem aliqui aiunt proteſtationem contrariam facto non releuare proteſtantem, non habet locum, quando factum dependet à voluntate proteſtantis, vt ex Bartolo in l. Non ſolũ §. Morte num. 17. ff. de noui oper. nunt. docet Barboſa lit. P. num. 70.

37 QVAERES. An quis cogi poſſit ac faciendam expreſſam profeſſionem in ſcriptis, licet tacite profeſſus ſit?

℞. Profeſſio ſiue tacita, ſiue expreſſa redigenda eſt in ſcriptis, & ad eam etiam tacite profeſſus cogi poteſt. Primum ex cap. Vidua 20. q. 1. illis verbis. *Profeſſionẽ faciat, à ſe aut ſigno, aut ſubſcriptione ſignatam*; dicit ſi-

gno

gno propter eos qui neſciunt ſcribere. Cap. omnes fœminæ 27.q.1. Id quod, & Clem. VIII. in Inſtitut. Nouit. §. Superior, mandat profeſſionem regiſtrandam eſſe in particulari libro ſubſcriptam manu propria nouitij, & duorum teſtium, & in noſtra regula Nicol. 4. cap. 2. & in Statutis cap. 9. Ratio deſumitur ex cit. Cap. omnes fœminæ, ne ſlz. ſinantur relabi in prę̨uaricationis audaciam, & ſi reclamare voluerint, illis obuiet propria profeſſio per ſcripturam facta. Cap. Saluberrimum 1. q. 7. Secundum ducitur, tum quia lex præcipit vt ſcribatur ergo cogi poteſt, tum quia profeſſio eſt actus publicus ergo publice de eo conſtare debet per ſcripturam, Sanch. lib. 5. cap. 3. num. 6. ex Abbate in cap. cum cauſam. de elect. Vide infra cap. 2. q. 42. & cap. 6. q. 14.

38 QVAERES. An profeſſio ſit opus excellentiſſimum, & quid maius, & perfectius martyrio?

℞. Eſt opus excellentiſſimum non tamen excellentius martyrio. Illud docet D. Bernardus lib. 1. de præcepto, vbi profeſſionem appellat perfectiſſimam ſeculi renunciationem, & opus excellentiſſimum excedens omnia alia humanæ vitæ opera. Ratio eſt, quia illud eſt opus præſtãtiſſimum, quod conſiſtit in actionibus heroicis, multum laborioſis, & maximi momenti, in quibus conſiſtit profeſſio, per hanc ſiquidem profeſſus non ſolum exteriora bona à ſe abdicat, ſed etiam interiora, & ſemetipſum abnegat mancipando ſe diuinis ſeruitijs, ita quod nolle, neq; velle habet, vt dicunt iura, vnde D. Greg. Papa Homil. 32. in Euang. dicit, quod fortaſſe laborioſum non eſt homini relinquere ſua, ſed valde laborioſum eſt relinquere ſemetipſum, minus quippe eſt abnegare, quod habet, valde autem multum eſt abnegare, quod eſt. Hoc D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 3. Nau. Conſil. 4. de Regul. num. 11. ad 3. & ratio eſt, Tum ex modo abrenuntiãdi nam per martyrium propter abrenuntiationem externorum, & internorum homo ſe ſupponit cruciatibus, & morti, quibus non ſubditur per profeſſionem. Tum ex effectibus, nam martyrium infert remiſſionem culpæ, &

pœnæ

pœnæ in patiente mortem Bellar. de Baptiſmo cap. 6. Regin. lib. 27. num. 3. Medina C. de Pænit. q. 2. & omnes. Tum ex laureola martyribus collata, in quibus dicit decus cicatricum, & quoddam accidentale gaudium Sot. in 4. diſt. 49. q. 5. art. 4. quæ non confert profeſſio.

39 QVAERES. An profeſſio ſit contractus mutuus. Inducens vtrinq; obligationem?

℞. Profeſſio eſt contractus reciprocus verus, & realis; & ſuadetur, quia de ratione contractus eſt, quod ſit obligatio vltro, citroq; ex voluntate, & pacto partium proueniens l. Labeo ff. de verb. ſign. Tabiena v. Contractus; ſed ex profeſſione conſurgit huiuſmodi voluntaria obligatio in vtriſq; nam per eam profeſſus ſe obligat religioni ad perſeuerandum in illa, & vice verſa religio ſe obligat ad illum retinendum, & tractandum vti filium, igitur profeſſio vere eſt contractus, tam reſpectu profitentis, quam admittentis. Faciunt dicta ſub q. 4. Ita omnes cum Sanch. lib. 5. cap. 4. nu. 62. Rodr. Tom. 3. q. 25. art. 12. §. Circa eandem. Nau. conſ. 26. de regul. n. 1.

40 QVAERES. An profeſſio ſit Sacramentum? Nam remittit peccata, quod eſt proprium Sacramentorum, vnde D. Hier. Epiſt. 8. & 25. & D. Bern. lib. de præcept. vocant ſecundum Baptiſma.

℞. Nullatenus Sacramentum eſt. Tum quia Sacramēta ſunt ſeptem, inter quæ non connumeratur Profeſſio. Tum quia Sacramentum ex opere operato confert primam gratiam, delendo culpam; profeſſio autem ſolum delet pœnam peccatis debitam non ex opere operato, ſed virtute ſatisfactionis conſiſtentis in hac perfectiſsima actione, per quã profitens nichil aliud maius Deo offerre poteſt, quam ſeipſum totum tradendo. Quare patet ad rationes dubitandi, ſiquidem profeſſio remittit tantum pœnam debitam peccatis iam quo ad culpas remiſsis alio medio, & dicitur ſecundum Baptiſma, quia ſicut per baptiſma homo regeneratur Deo, ita per profeſſionem mundo mortuus, viuit Deo, vt dicitur cap. 8. 16. q. 1. De hac pœnæ remiſſione dicam infra cap. 5. De effectibus

pro-

profeſſionis ſub q. 8. Interim vide Sanch. lib. 5. cap. 5 vſq; ad nu. 9. Rodr. Tom. 2. q. 87. art. 1.

41 QVAERES. An profeſſio ſimoniace facta ſit nulla? ratio dubitandi poteſt eſſe, quia cap. Ea quæ. 1. q. 3. irritantur ſimoniace acta his verbis: *Quicquid ergo, vel in ſacris ordinibus, vel in eccleſiaſticis rebus, vel data, vel promiſſa pecunia aquiſitum eſt, nos irritum eſſe, & nullas vnquam vires habere cenſemus.* Cum ergo profeſſio ſit res eccleſiaſtica, ſi aquiſita ſit pretio, & conſequenter ſimoniace, non tenet.

℞. Profeſſio ſimoniace obtenta tenet. Suadetur, tum authoritate cap. Quoniam de Simon. vbi ſimoniace recepti detruduntur in arctiora monaſteria ad agendum perpetuo pænitentiam, ſi quæ illos recipere non poterũt ob multitudinem mandatur remanere in iiſdem vbi recepti fuerant, ita quod renuntient priori loco tenentes inferiorem. Sed ſi illorum profeſſio nulla eſſet non mandaretur illis remanere ibi ergo. Tum ratione, quia per hoc peccatum non aufertur poteſtas ex parte admittentium, neq; inhabilitas ex parte profeſsi, nulla enim lex de hoc in contrarium extat; neq; citata in ratione dubitandi obſtat, quia non debet intelligi de quibuſcunq; rebus eccleſiaſticis, ſed de officijs, vel beneficijs tantũm eccleſiaſticis, aliter lex legi aduerſaretur, quod eſt inconueniens, cum expediat concordare iura iuribus. Cap. Cum expediat, de elect. in 6. & ita in ſimili probat Suar. lib. 4. de ſupra cap. 31. num. 14. Hanc tenent Rodr. Tom. 3. q. 63. art. 3. Nau. Com. 4. de regul. nu. 25. quos citat, & ſequitur Sanch. lib. 5. cap. 4. nu. 39. An autem iſti ſic ſimoniace profeſsi habeant ius ad ſuſtentationem, vide citatos diſcrepantes.

Nota, quod profeſſio ſimoniaca, & ingreſſus prohibentur. Cap. Quam pio. Cap. Nullus Abbas 1. q. 2. & cap. Non ſatis. Cap. Veniens. Cap. De regularibus. Cap. Dilectus filius 2. Cap. Quoniam; de Simon. Extr. Com. 1. de Simon. Non autẽ ſemper reputatur ſimoniaca profeſſio, ſed ſolum quando datur, vel recipitur aliquid pre-

tio

tio æſtimabile præciſe pro ingreſſu religionis, ſic enim iura loquuntur, non autem quando recipitur aliquid alio titulo nempe ſuſtentationis profeſsi, tum quia ſimonia eſt recipere aliquid pro ſpirituali, ſed religioſi recipiunt pro ſuſtentatione profitendi, ergo id non eſt ſimonia, quia licet dare tẽporale pro tẽporali; tum quia ſicut in matrimonio, quod eſt quid ſpirituale, non cõmittitur ſimonia recipiendo dotem ad ſuſtinenda onera matrimonij, ita neq; eſt recipiendo ad ſuſtentandum profeſsũ; tenet enim ſimilitudo, cum vtrumq; ſit ſpiritualis contractus citro vltroq; obligatorius, & oneroſus. Et prædicta procedunt ſiue conuentus ſit pauper, vt omnes aſſerunt, ſiue diues, quia diuitiæ, & paupertas ſunt quid extrinſecum impertinens ad inferendum ſimoniam. Ita Mirand. q. 3. de Monial. art. 7. Concl. 2. Bonac. q. 7. de ſimon. §. 4. nu. 4. Barboſa in cit. extr. 1. de ſimon. quos citat Homob. part. 4. ℞. 71. dicens hoc poſterius non carere probabilitate.

42 QVAERES. An perpetuitas ſit de neceſſitate profeſſionis, itaut quis non poſſit profiteri ad tempus, quo finito poſtea exire?

℞. Eſt, & probaui ſufficienter ſupra quæſt. 4. & 8.

43 QVAERES. An profeſſio ſit beneficium eccleſiaſticum, vel per eam ſaltem aquiratur beneficium eccleſiaſticum?

℞. Profeſſio non eſt beneficium eccleſiaſticum, neq; per eam aquiritur, ſed tantum eſt ſpiritualis contractus, quo quis ſe totum deuouet Deo ſub obedientia, paupertate, & caſtitate mutando ſtatũ, & acquirendo ius, vt alatur, & ſuſtentetur tamquam filius à religione eius matre. Et quod non ſit beneficium, neq; ius ad illud, aut eius fructus, docet Sanch. lib. 5. cap. 4. nu. 36. & 38. præterquamquod regularis eſt incapax beneficij Gonzal. apud Quar. v. Canonicus Regularis. Præterea prælaturæ regulares non veniunt ſub nomine beneficij, Rodr. Tom. 2. q. 26. art. 2. quia illæ ſunt temporaneæ, hoc perpetuũ, vnde Bonac. q. 7. de Simon p. 1. §. 2. num. 4. & p. 2. n.

24. §. Prior. vbi pro ſe citat Nau. cap. 23, num. 111. §. Septimo, & aliis, docet. Regulares electos per ſimoniã ad ſuas prælaturas non incurrere excommunicationem extr. 2. de ſimon. quę tantum eſt in ordine, & beneficio, ergo ſi prælaturæ non ſunt beneficia, multo minus profeſſio, quæ ſupponitur ad prælaturas cap. 28. de elect. in 6.

44 QVAERES. An monachatus, ſeu poſeſſio ſtare poſſit cum matrimonio?

℞. Vnus ſtatus alteri non repugnat ex natura rei, ſed ſimul valide ſtare poſſunt licet non bene. Probatur. Tum quia ante Papam Siricium tenebat matrimonium contractum à religioſis, ex probatis ſupra q. 3. Tum quia vt ibidem probatur, profeſſio ex qua parte includit votum caſtitatis nõ reddit incapacem profeſſum, ſed ſolum ex ſtatuto eccleſiæ per adiectam ſolemnitatem. Tum quia de D. Hilario dicitur, quod primum in matrimonio quaſi monachi vitam egit.

Dixi. Ex natura rei, quia habens votum caſtitatis nũ ideo ex viuoti redditur incapax tradendi ſuum corpus alteri in matrimonium, cum certum ſit, hoc votum licet impediat matrimonium, non tamen dirimere contractum, & cum eiuſdem ſint ſpeciei ſimplex, & ſolemne, ex probatis q. 5. ſicut non irritat ſimplex matrimonium, ita neq; ſolemne, quatenus ambo habent rationem voti, ſed ratione adiunctæ ſolẽnitatis, ex inſtituto eccleſiæ inferentis nullitatem matrimonij attentati ex probatis q. 3. & cap. 5. q. 5. ideo in reſponſione dixi hos ſtatus duos ex natura rei ſeu voti non repugnare, licet repugnẽt ex inſtituto eccleſiæ. Et in terminis ita ſentit Scotus in 4. diſt. 38. quem citat Rodr. Tom. 1. q. 25. art. 1. vbi videtur tenere oppoſitum ductus ex cap. Cum ad monaſterium, de ſtatu mon. vbi dicitur, quod nec papa diſpẽſare poteſt ſuper voto caſtitatis, quia eſt annexa regulæ Monaſticæ, & alii multi maxime Thomiſtæ aſſerentes Summum Pontificem non poſſe diſpenſare cum religioſo in voto caſtitatis ad ducendam vxorem, quibus Sanchez

chez lib. 8. diſput. 8. bene reſpondet, & ad dictum caput duplex dat reſponſum, vnum alijs commune, nēpe non poſſe diſpenſare, vt Monachus, quandiu manet Monachus, ducat vxorem, quia id ſit contra ſtatus Monaſtici eſſentiam; diſplicet michi ratio huius reſponſi, nam ideo de religioſo facit non religioſum, vt ſecum diſpenſando vxorem ducere, & matrimoniū conſumare licite poſſit, & ideo adieci in reſponſione particulam *Licet non bene*, quia ad hoc requiritur diſpenſatio, etiam quo ad valorem, ſtando in iure poſitiuo, non autem requiritur diſpenſatio abſtrahendo à iure poſitiuo, quia vnus ſtatus alteri repugnet quo ad valorem, cum ſolum peccato aduerſentur. Alterum reſponſum eſt, quod papa ibi exagerando argumentum à maiori ad minus redarguit quemdam Abbatem, qui prætendebat ſe poſſe in votis profeſſionis diſpenſare, cum vix ipſe papa poſſit hoc præſtare, & non niſi ex vrgentiſſima cauſa, & pro bono publico, vt docet Sanch. cit. de communiori. Nec ab his diſſentit Rodr. ſi dicta loco citato conferantur cum ijs, quæ habet tom. 3. q. 1. art. 2. vbi ait, priſcis temporibus contigiſſe valida matrimonia à religioſis profeſſis contracta, aſſerens primum, qui irritauit huiuſmodi matrimonia fuiſſe Innoc. 2. in Generali Concilio Romano anno 1139. Sed ante ipſum id prohibuerat papa Siricius, vt dixi ſupra q. 3.

45 QVAERES. An tacita profeſſio præſumatur infra quinquennium, quando expreſſa ab initio præmiſſa fuit?

℟. Non. Quia ſic profeſſus proſequendo geſtationem habitus, vel exercendo profeſſorum actus proprios ſe gerit in his vti profeſſus, non autem intendit, nec præſumitur ratificare profeſſionem; prædicta ergo præſtatur vt profeſſus non reprofeſſurus. Ita docet Nau. Conſil. 28. de regul. num. 6. & 7. vbi ait illum, qui nullam profeſſionem fecerat cenſeri tacite profeſſum per illos actus, modo profeſſionem expreſſam promiſerit; quod repetit. Conſil. 89. num. 4. Quæſiui infra quinquennium, quia

to tranſacto Concilium non concedit audientiam reclamanti, quouis modo nulliter profeſſio emiſſa fuerit, quia præſumit nulliter profeſſum eam ratificaſſe, de qua re dicam infra cap. 7. q. 11.

46 QVAERES. An profeſſio æquiparetur morti naturali?

℞. Dixi infra cap. 5. q. 18. ideo illuc remitto lectorẽ ne ibi dicta hic repetam.

47 QVAERES. An aliqua differentia ſit inter hos modos profitendi? Promitto ſeruare regulam: Viuere ſecundum regulam: Vitam regularem: Obedientiam ſecundum regulam?

℞. In re nulla eſt differentia, quia primario, & directe ſignificant obligationem trium votorum, quæ profitentem conſtituunt ſub vita regulari, obſeruãdo ea, quæ regula præſcribit. Quid enim eſt ſeruare regulam, niſi viuere ſecundum regulam? & quid viuere ſecundum regulam, niſi ducere vitam regularem, & obedientiam ſecundum regulam? Et miror Mirandam Tom. 1. q. 25. art. 3. de more ſuo inepte omnia confundere, aſſerendo, de mente D. Thomæ ſupradictos modos multum differre inter ſe, cum vix verbis differant, & cum eodem D. Thom. ſic reſpondimus, quem ſequitur Rodr. Tom. 1. q. 16. art. 4. §. quotq; Poſtremum loquendi modum adhibent Benedictini his verbis. *Promitto ſtabilitatem meam, conuerſionem morum meorum, obedientiam ſecundum regulam Sancti Benedicti*, &c. nullo voto ex tribus expreſſo. Primum modum omnes Franciſcani.

48 QVAERES. Quem ſenſum habeat is modus profitendi. *Voueo ſeruare regulam*. An ita profeſſus teneatur ad omnia in ea contenta ſub ratione voti, ita quod non ſint ſimplicia præcepta, ſed habentia votum adnexa?

℞. Is modus profitendi, nouam ſub voto obligationem non inducit, ſed eam, quam ex regula habẽt, confirmat. Ratio eſt, quia ea verba. *Voueo ſeruare regulam*. habent hunc ſenſum: 1. vitam regularem, quæ eſſentialiter

con-

conſiſtit in tribus votis, vt docuit D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 9. Confirmatur tum quia, vt contenta in regula habeant rationem voti ſiue ſimplicis, ſiue ſolemnis debent exprimi in ſpecie in forma profeſſionis, exceptis tribus, vt inductione petitur in regulis aliarum religionum, nam ideo ieiunium quadrageſimale apud Minimos cadit ſub voto, quia in eorum forma profeſſionis, in ſpecie exprimitur; & in Societate Ieſu tribus votis ſubſtantialibus additur quartum ſolemne, & ſuper adduntur alia quinque, quæ vocant ſimplicia, & ea in ſpecie exprimunt; vt videre eſt apud *Sanchez* lib. 6. cap. 18. ergo certum eſt, contenta in aliqua regula non obligare ſub ratione voti, niſi ſub forma profeſſionis exprimantur; in formis autẽ præſertim trium ordinum diui Franciſci id non exprimitur in ſpecie, ergo præter tria nullum aliud adeſt. Tum quia ſuperior non poteſt in illis diſpenſare, cum vix Papa poſſit diſpenſare in votis profeſſionis, ex cap. Cum ad Monaſterium, in fine, de Statu Mon.

Difficultas hæc locum habet ſolum in illis religionibus, in quibus contenta in regula obligant ad culpam, non autem in alijs, non enim ſtare poteſt, quod aliqua ordinatio non obliget ad culpam, & poſtea cadat ſub voto, ad inuicem namq; repugnant, vt de ſe patet. Quare in mea religione, & in multis alijs locum non habet, cum nulla ordinatio, aut decretum in ea contentum obliget neque ad culpam venialem, vt aperte docent regulę Nicolai IV. & Leonis X. in extremis capitulis, & inſinuatur in proœmio ſtatutorum, quæ pro regula habentur: remanet ergo difficultas in cæteris Franciſcanis, in quorũ regula contenta ſunt præcepta, vt declaratur in cap. Exiui, & Exijt, de Verb. ſignif. Qui ergo vouet horum regulam ſeruare, ſe obligat præciſe ad ea ſeruanda, quæ in ea continentur, eo genere obligationis, quod reperitur in illa; regula autem illa ſimpliciter præſcribit præcepta excludendo rationem voti, quia ipſa non vouet, ſed nouitius dum profitetur, qui promittendo ſeruare regulam intendit regulariter viuere, obſeruando obedientiã, pau-

pertatē, & caſtitatē ſub ratione voti, hæc enim tria religioſum non conſtituunt, niſi voto ſubijciantur; probaui ſupra q. 9. & cætera in regula contenta ſub ea obligatione ſub qua includuntur à regula, & cum in ea comprehendantur vt præcepta ſimplicia, ideo non obligant ſub ratione voti. Tum quia non plus obligat ipſa profeſſio, quam ipſa regula; ſed regula ad prædicta tria obligat ſub ratione voti, ad alia ſub ratione præcepti ſimplicis, aut ſub nullo vinculo; ergo neq; profeſſio, quæ præciſe ſubijcit profitentē illis obligationibus, & conſtituit ſub ſtatu regulari, ex quo conſequitur obligatio. Tum quia ſicut vouens ducere pauperculam, vel meretricem, vt eam releuet à peccato, aquirit nouum ſtatum, coniugalē nimirum, ratione cuius ad multa ſub præcepto obligatur, ad quæ antea non tenebatur, & tamen hæc noua obligatio non conſurgit ex illo voto ſed ex illo ſtatu, cuius regula, vt ita dicam, coniugatos conſtringit ad multa coniugij officia, à quibus, cum eſſent ſoluti, exempti erāt; ita nouitius profitendo aquirit nouum ſtatum religionis, ratione cuius ſtatus ad multa tenetur, ad quæ antea non conſtringebatur, non ideo tamen ad ea tenetur ſub ea ratione obligationis, ſub qua in eo ſe conſtituit, ſed ſub vinculo, quo ille ſtatus illum conſtrinxit, nempe ſub ratione præcepti abſtrahendo à ratione voti. Vide Rodr. Tom. 1. q. 26. art. 4. prolixe defendentem hanc reſponſionem, cuius dicta repetit Mirand. q. 25. nu. 2.

49 QVÆRES. Circa formam profeſſionis, volentiū ingredi Tertium regularem ordinem D. Franciſci, quæ dupla eſt vna reperitur in libro inſcripto. Firmamenta trium ordinum inter cōſtitutiones factas pro tribus ordinibus in capitulo Generali Romæ habito anno 1506. & confirmatas de anno 1509. in hæc verba. *Ego Frater N. voueo, & promitto Deo, & Beatæ Mariæ Virgini, & B. Franciſco, & omnibus Sanctis, & tibi pater ſeruare mandata Dei toto tempore vitæ meæ; & ſatisfacere, vt conuenit, transgreſſionibus contra regulam, & viuendi modū Tertij Ordinis de Penitentia, inſtitutam per B. Franciſcū*

& per D. Nicolaum Papam IV. confirmatam, cum de hoc interpellatus fuero ad voluntatem viſitatoris noſtri; viuẽdo etiam in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate. Hæc tria vota inſuper exprimuntur à viuentibus in congregatione vti veris religioſis, reliqua faciũt pro ſecularibus. Habetur hæc forma in quinta parte Tract. 2. in fine regulæ Nicolai IV. Altera forma profeſſionis præſcripta fuit à Patre fratre Bonauentura Vicentino, confirmata à Pio V. Conſtitut. Ea eſt officij. Dat. 5. Iul. 1568. in hęc verba: *Ego Frater N. voueo, & promitto Deo, &c. me ſeruaturum mãdata Dei toto tempore vitæ meæ, ac pro prælatorum meorum arbitrio ſatisfacturum, vt cõuenit, tranſgreſſionibus, & erratis meis contra conſtitutiones, & ſtatuta Tertij ordinis eiuſdem B. Franciſci de Pænitentia nuncupati Regularis Obſeruantiæ, & regulam Santiſſimi Domini Nicolai Papæ IV. quatenus ea in ipſis ſtatutis, & cõſtitutionibus ineſſe reperitur, viuendo etiam in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate, iuxta dicti ordinis apoſtolica priuilegia.*

Differunt autem iſtæ duæ formæ .1. in ſuperiore, cui obediendum eſt pro ſatisfatione tranſgreſſionum, nam in prima eſt ſolus Viſitator, qui ſecundum regulam Nicolai IV. deſignatur à Cuſtodibus, vel Guardianis Minorum, cum in ea regula Tertiarijs non aſsignetur ex ſuo ordine alius ſuperior, quam localis. Et in hoc ſenſu Forma hæc eſt potius pro ſecularibus quam regularibus Teſtiarijs in Italia, qui præter localem ſuperiorem, habent etiam Prouincialem, & Generalem, preterquam quod dicta Forma Profeſſionis cum ſit inſerta in præcitato libro inter conſtitutiones pro Francigenis, ideo pro Gallis tantum facit. Secunda igitur forma profeſsionis, quæ pro nobis Italis, & Siculis etiam præſcripta fuit, abſolute mentionem facit de Prælatis eius, qui profitetur nempe locali, Prouinciali, & Generali Tertij Ordinis, a quibus exigentibus ſatisfaciendum eſt pro erratis.

Differunt Secundo quod in prima fit mentio ſolum de contentis in regula Nicolai IV. cuius tranſgreſsionũ

ſalutaris pænitentia à viſitatore recipienda eſt eo exigēte. In ſecunda vero ſermo eſt de eadem Regula prout reperitur in ſtatutis huius ordinis, ita quod regula Nicolai Papæ limitatur ad ſtatuta huis ordinis, quæ illius continent ſubſtantiam, vt aſſerit Pius V. in citata conſtitutione.

Diferunt 3. quod in prima, expreſſa abſolute promittuntur, in ſecunda autem vouentur limitate iuxta apoſtolica priuilegia.

Reſponſionem ad ſequentia dubia. I. An Sancto Franciſco, ſi iterum rediret ad nos, obediendum eſſet ex vi huius profeſsionis? II. An exprimenda dignitas, ſeu ſuperioritas recipientis profeſsionem. III. Quomodo ſatisfaciendum tranſgreſsionibus IV. An votum vere cadat ſuper Dei mandata ex vi verborum vtriuſq; formæ, itaut eorum tranſgreſſor ſit reus etiam ſacrilegij. V. A quo tempo incęperunt Tertiarij viuere in Congregatione ſub tribus votis, & habere nomen Religioſi vere, & proprie accepti.

Ad primum dico, Non, Tum quia nomen Sancti exprimitur honoris gratia vti inſtitutoris non ſubiectionis. Tum quia obedientia eſt inter ſuperiorem, & ſubditum ambos viatores; Sanctus autem Franciſcus in eo caſu nō eſſet viator, cum omnino ſit in termino. Tum quia obedientia ex vi profeſsionis huius præſtatur ſolis ſuperioribus profeſsis huius Regulæ; ſed D. Franciſcus non eſt amplius profeſſus, neq; religioſus huius regulæ, cū morte extinguatur profeſsio, quæ aliqnem conſtituit verum religioſū, & probatur infra cap. 2. q. 43. Tum quia obligatio non extenditur ad inſolita. l. Fiſtula §. Frumenta ff. de contrahenda empt. ſed eſt quid inſolitum, & mirabile, vt Sanctus de cęlo deſcendat ad gubernandum, ergo profeſsio in ordine ad eum non obligat obediendum. Vnde non videtur peccare ex vi profeſsionis præciſe, qui aſſereret, hoc non facerem: ſi Sanctus Franciſcus michi præciperet, præuidendo hanc rationem, quia ſoli homini veatori promiſit ſuum votum, quamquam alias te-

meraria voluntas ſine dubio reputāda eſt eius, qui ita obſtinate, & petulanter reſponderet.

Ad ſecūndum non eſt neceſſario exprimenda ſuperioritas recipientis profeſsionem; quia ſub intelligitur ex alijs verbis, quamquam optimum eſſet illam exprimere, obligatio enim naſcitur ex conſenſu duorum l. 1. ff. de pactis non qualitercunque, ſed prout formaliter ad inuicem ſe habent vt ſuperior, & ſubditus, ergo exprimēda eſt ſuperioritas.

Ad tertium, ſtando ſuper verbis primæ profeſſionis, nulla eſt difficultas, nam ex illis habetur, quod profeſſus tranſgreſſor non tenetur ſubire pænam niſi interpellatus, & requiſitus fuerit à ſuperiore; habetur enim verbum, interpellatus, deſumptum ex regula Nicolai cap. 2. in regula vero Leonis habetur verbum requiſitus, & in hoc ſenſu intelligenda ſunt verba ſecundæ profeſſionis, & quæ habentur ex proæmio regulæ, aliter aliquid reperiretur in dictis regulis, quod immediate obligaret ad culpā, quod omnino eſt cōtra illas, & ita ex Caiet. in ſimili 2.2. q. 186. art. 9. ad 2. & 3. reſpondet Annotator ad regulam. Fruſtra autem hæc clauſula inſerta fuit in forma profeſſionis, qua non expreſſa adhuc traſgreſſor à ſuperiore requiſitus caſtigari poteſt, & reſiſtens obedientiæ nolendo recipere pænam ſalutarem ſine dubio facit contra obedientiam, & peccat.

Ad quartum, perſiſtendo in verbis, & ſenſu, quē habent præfatę duæ formæ, quæ ſunt iuxta præſcriptum regularum vtriuſque Pontificis, & ſtatutorum profeſſionis votum cadit ſuper Dei mandata, conſequenter contra illa peccans ſuperaddit nouam circunſtantiam ſpecie diuerſam, quæ eſt ſacrilegij; & cum id meo iudicio clarum ſit, non eſt locus coniecturis. ſic tenent Dioniſius Cartuſianus explicando regulam Nicolai articul. 7. & Buſtus infra citandus.

Reuerendiſſimus Pater Magiſter Frater Antonius de Sillis, alias huius noſtræ religionis ſupremus Prælatus ſuper hac difficultate reſpondit cap. 9. Annot. 5. religioſos

ſos Tertij ordinis profeſſos tranſgrediendo aliquod ex diuinis præceptis, non peccare duplici peccato, ſed vno tantum quod eſt contra diuinum præceptum, ita quod vult diuina mandata non cadere ſub voto profeſſionis licet in ea expreſſa ſint.

Probat 1. quia regula Nicolai IV. quam obſeruant Tertiarij non regulares alia non eſt à ſe ipſa, quam obſeruant regulares effecti, paucis demptis, qui ſuperaddũt tria eſſentialia vota; ſed quæcumq; in regula prædicta vtriſq; communia non obligant ad peccatum neq; veniale, niſi alias obligent de iure diuino, vel humano. Præmiſſæ ſunt certiſſimæ, negata concluſio non infertur, ſed ſubiecta. Ergo Forma profeſſionis non inducit obligationem ſub culpa in contentis in dicta regula.

Secundo obiectioni huic. Nouum votum Deo fieri nequit, ita quod ex tali promiſſione non reſultet particularis obligatio, & nouum vinculum; ergo qui vouit ſeruare mandata Dei tranſgrediendo illa, noua ſacrilegij culpa ſe conſtringit. Reſpondet, quod Summi Pontifices bene ſciebant, quod non poteſt fieri votum, ex quo non ſequatur noua obligatio, tamen cum profeſſio fiat iuxta apoſtolica priuilegia, quæ neminem profeſsũ obligant ad culpam, niſi contineant ius diuinum, aut humanum, ideo Cartuſianus non reſpexit (inquit) ad priuilegia hæc, ſed ad verba profeſſionis. Sed hoc argumentũ aut reſponſio ad obiectum, eſt ſicut prius, nam concludit de ſolis contentis, quæ ſunt minus diuina præcepta, de quibus eſt præſens difficultas.

Sumit tertio argumentum à contrario vſu, aſſerendo, cõſuetudinem apud patres ſuæ regulæ obſeruatores ſemper fuiſſe, votum profeſſionis non cadere ſuper diuina præcepta, ſed tantum ſuper tria vota. Sed non placet iſte vſus, cum potius ſit abuſus, nam conſuetudo rationabilis non eſt, quæ legi naturali, & diuinæ aduerſatur, ſed abuſus & corruptela cap. fin. de conſuet. Talis eſt huiuſmodi, ſiquidem eſt contra ius diuinum, vt quis voueat, & poſtea per contrarium vſum ſibi obligationem auferat,

&

& votum tollat, quod irritatione, vel diſpenſatione ſolũ auferri poteſt, non cõſuetudine, dicit enim ipſemet Deus *Vouete, & reddite* contra quod dictum nulla conſuetudo poteſt. Deinde nullus poteſt præſcribere ſuam profeſſionem cap. Sicut nobis de regularibus ergo neq; illius partem, cum totum nichil ſit præter partes Ariſt. 1. Phys.

Quarto probat, quia verba *Voueo*, & *Promitto* diuerſa ſignificant; nam illud refertur ad tria, hoc vero ad præcepta Dei, & hanc differentiam colligit ex cap. 9. regulæ vbi loquens de mandatis vtitur verbo *Promitto* cum vero ſermo eſt de tribus, adhibet verbum *Voueo* ſubdit autem, quod ſub hoc nomine promiſſionis non venit aliqua obligatio, nec votum, ſed nuda profeſſio, & propoſitum non ſecus ac in Baptiſmo, quæ eſt volũtas ſe adiungendi Chriſto, iſta ergo promiſſio votum non eſt, ſed propoſitum ſeruandi mandata. Ita etiam reſpõſum fuit anno 1608. conymbricæ per ſex doctores inter quos fuit Suar. Portel. v. [Tertiarij] nu. 5. Sed contra Tum quia accipi debent ſub eodem ſenſu nempe ſpõſione facta Deo, omnis enim promiſſio facta Deo votum eſt, & omne votum eſt promiſſio deo facta, de natura enim definitionis eſt vt conuertatur cum definito, & vice verſa. Tum quia verbũ generale reſtringitur per ſpeciale ei adiunctum l. Sed ſi adijciatur ff. pro ſoc. Verbum autem *Promitto* generale eſt *Voueo* ſpeciale, ergo illud ab hoc reſtringitur, conſequenter eamdem oſtendunt ſignificationem. Tum quia ſumere *Promitto* pro propoſito, non eſt ad propoſitum ſed improprijſſime loqui ſine neceſſitate; verba autem in dubio naturaliter proprie, & vere interpretanda ſunt, nõ autem accidentaliter, & ficte l. Ex ea parte §. in inſulam ff. de Verb. oblig. Marius Anton. lib. 1. Variar. Reſol. 4. num. 9. Neq; hic eſt neceſſitas impropriandi verba, quod enim abſurdum eſt dicere, dei mandata cadere ſub voto? certe nullum: immo maximam arguit huius ordinis perfectionem; neq; enim impoſſibile huiuſmodi votũ cum ex dei gratia homo poſſit ſe abſtinere ab omni peccato

cato mortali. Demum non video, qua ratione iſta promiſſio conferenda ſit cum Abrenuntiatione in Baptiſmo nullibi enim in eo recipiẽdo fit mentio de promiſſione.

Quinto demum ait, quod ſi verbum *Promitto* proprie accipiatur, poteſt habere hunc ſenſum, nempe inducere collectiue ſuper omnia Dei mandata obligationẽ voti, ita quod votum non cadat ſuper omnia in particulari, ſed in communi, quod in hoc ſenſu nichil aliud importat, quam ſic profeſſos teneri inſtituere ſuam vitam ad maiorem cuſtodiam mandatorum Dei, in quo caſu ſi quis non ex contemptu fregerit aliquod mandatum diuinum non committet amplius, quam vnum peccatum, ſicut cæteri fideles legis Dei tranſgreſſores. ſed non placet iſta obligatio collectiua, cum ſit potius voluntaria, quam rationabilis, nullum enim producit effectum culpę in tranſgreſſorem contra naturam obligationis.

Cum iſtæ rationes parum concludere videantur, & ideo reiectæ ſint; & ex alia parte probabiliſſimum ſit, immo certum priſcos patres illos huius ordinis ſua vota etiam ad præcepta Dei vere ab initio direxiſſe, cum id expreſſis verbis mandetur in vtraque regula, & Cartuſianus id confirmet, & Bernardinus de Buſto in ſerm. 27. ſui Roſarij, conſequenter ſubſequentes non potuerint cõtrario vſu id præſcribere, ex ſupra probatis; & ex alia parte cum periculoſum ſit, & multum difficile obſeruatu huiſmodi votum, cum ſit abſtinendi ſe à quouis peccato tam mortali, quam veniali, quod non tenere aſſerit Nau. cap. 22. num. 65, & eſt communis apud Sanchez lib. 4. cap. 5. num. 10. quia nemo cum ſolo Dei auxilio ordinario poteſt vitare omnia peccata, quamquam non deſint oppoſitum bene ſentientes, quos ſequitur Bonac. p. parte 4. de voto §. 3. nu. 4. §. Ego, ſed non eſt huius loci.

Concludendum eſt, huiuſmodi particulam de ſeruandis Dei mandatis expungendam eſſe ab illa forma, aut conſulendum profeſſuro, vt ſubticeat illa verba, quibus hoc votum exprimitur, quia reuera forma profeſſionis ſine illis bene ſubſiſtit. Suadetur, tum quia in alia forma,

ma, quæ refertur in conſt. Perſonas vacantes, Ioan. 23. pro noſtris degentibus in Flandria, & viuentibus iuxta regulam Nicolai IV. vt ibidem dicitur), nulla fit expreſſio mandatorum Dei, ergo neceſſarium nõ eſt ea exprimere conſequenter expungi poſſunt. Tum quia huiuſmodi votum non eſt de eſſentia huius religionis, cum quis religioſus eſſe poſſit cum ſolis tribus votis. Tum quia per profeſſionem non obligantur ex voto ad contenta in ea, ergo neq; ad præcepta Dei, non enim videtur rationabile, vt quis ex voto teneatur ad mandata Dei, & non ad præſcripta in regula, cum hæc ſint regulæ ſpecialia ad quæ magis profeſſio dirigenda eſt, quam ad generalia omnibus fidelibus communia. Tum quia licet Nicolaus IV. id expreſſe mandet, & ſubſequenter ex eo Leo X. alia tamen fuit tunc ratio id ordinandi, alia nunc ſtandi minime huic ordinationi, quia ab initio per eam profeſſionem non erant religioſi, neq; ideo vouebant obedientiã, paupertatem, & caſtitatem, vt faciunt nunc, & tunc ſupponebant loco illorum mandata Dei, nunc vero illa tria, omittendo Dei præcepta, & hæc ratio non deficit reſpectu regulæ Leonis X. quia in hoc ſe retulit ad ſuum prædeceſſorem, referendo non ſolum ſenſum, verũ etiam in pluribus verba conſtitutionis eius.

Ad quintum. S. Franciſcus inſtitutor fuit ſuæ religionis, ab eius nomine Franciſcana nuncupata, quã in tres ordines immediate diſtribuit: ſub primo ſunt Conuentuales, Zocolantes, & Capucini, hunc autem inſtituit anno 1209. confirmatum ſub Honor. 3. eius Conſt. 5. Solet annuere anno 1223. Sub ſecundo continentur moniales dictæ ſorores Sanctæ Claræ, quæ earum mater fuit, confirmato ab Innoc. IV. conſt. 12. Solet annuere anno 1253. in nouo Bullario. Vide diuerſificantes Rodr. Tom. 1. q. 2. art. 3. Mirand. q. 4. art. 4. confect. in ſum. cap. 5.

Tertium autem ordinem inſtituit circa annum 1221. apud Rodr. Tom. 3. q. 72. art. 1. Mirand. tom. 1. q. 36. art. 1. confirmauit Nicolaus IV. conſt. 2. Super montem,

rem, anno 1289. ab initio autem is ordo regularis non erat, cum in eo non profiterentur ingreſſi tria religionis ſubſtantialia vota, erat enim quædam regula, & modus viuendi excedens viuendi normam ſecularium perſonarũ aſſumptibilis indifferenter à quibuſcumq; etiam coniugatis, laicis & clericis, & quibuſcumq; alijs Chriſti fidelibus, qui in proprijs domibus viuebant de ſuis redditibus, vel laboribus, tempore autem procedente initium dederunt vitæ communi, more religioſorum, aliqui ſimul orantes, alij etiam ſimul comedentes, & loca cõmunia habentes, ita quod propius accedebant ad vitã regularem, nondum tamen religioſi proprie erant, quia votum ſolemne profeſſionis non emittebant, ad quod aſpirãtes nonnulla ſtatuta adijcientes regulæ Nicolai IV. circa modum profitendi, expreſſerunt ſibi certam profeſſionis formam circa quadringẽteſimum ſupra mille oblatã Ioanni 23. qui ad Põtificatus apicem eleuatus fuit anno 1410. confirmatam in ſua conſt. Perſonas vacãtes, ſub datum Florent ę anno quarto ſui Pontificatus, ſalutis noſtræ 1414. ex quo patet in Flandria, pro quibus eſt dicta conſtitutio, perſonas Tertij Ordinis incæpiſſe emittere profeſſionem ſolemniter, & eſſe proprie religioſas prædicto milleſimo. vnde veriſimile eſt quod ait Rodr. Tom. 3. q. 72. art. 1. cuius dicta de more ſuo reſcribit Miranda tom. 1. q. 36. art. 1. fratres de Tertio Ordine incæpiſſe eſſe religioſos ſub felicibus auſpicijs Beatæ Angelę Fulginatis, quæ illis temporibus in humanis degens, ibidem monaſterium ædificauit, in quod ingreſſa cum quibuſdam virginibus ſolemniter cum illis profeſſa fuit.

Nec his obſtant conſtitutiones duæ Sixti quarti ex quarum prima incipiente Romani Pontificis, vult pater de Sillis Præ'ud. 3. §. Ita etiam, colligi tempore Innocentij IV. Tertiarios ſolemniter profeciſſe, quod non poteſt ſubſiſtere, quia apud omnes extra controuerſiam eſt tempore Nicolai IV. qui illis tradidit, ſeu confirmauit regulam, non fuiſſe vere religioſos ergo multo minus tẽpore Innocentij, qui ante quadraginta annos præfuit ec-

cleſiæ

cleſiæ Romanæ, ex altera incipiente Ad Chriſti, vbi declarat profeſsionem à perſonis huius Tertij Ordinis factã, eſſe votum ſolemne religionis approbatæ, non obſtante conſtitutione Bonifacij VIII. qui prout refertur cap. vn. de voto in 6. prohibuit ne fieret ſolemne votum niſi in aliqua religione approbata; non bene intulit profeſſionẽ ſolemnem viguiſſe in hoc ordine tempore Bonifacij, cũ oppoſitum apertè colligatur. Neque demum obſtat Ioannes conſt. Sancta Romana, in eius extr. ſub tit. de relig. dom. relata, quia ibi nullum eſt verbum, quod tempore ſuo de anno 1316. quo creatus fuit, aut 1318. quo eã edidit, Tertiarij fuerint religioſi ſolemniter profitẽtes, & ſi aliquod verbum facit de religioſis, loquitur de profitentibus ſub prima regula, ſub qua viuere fingebant illi pſeudoregulares dicti Fraticelli, quorũ ſectam condemnauit prælibatus ſummus pontifex.

Primus ergo omnium, quod ego ſciam hunc ordinem tanquam regularem, in quo emittitur ſolemnis profeſſio, confirmauit Ioann. 23. anno 1414. ſubſequenter Eugen. 4. conſt. Iniunctum nobis, vbi illis interdixit matrimonium die 6. Febr. 1442. exiſtentibus in regnis; poſtea Nicol. 5. conſt. Paſtoralis officij, Dat. 20. Iul. 1447. noſtris exiſtentibus in Italia, qui primum generale capitulum fecerunt in caſtro de Mõtefalco die 25. Iul. 1448. idem eoſdem exiſtentes in diœceſi Leodienſi declarauit veros religioſos, conſt. Apoſtolicæ ſedis, die 23. Apr. 1459. Siſtus IV. eiſdem conceſſit priuilegium fori, & perſonę, in ſua conſt. Sacroſancta 20. Nou. 1473. & in alia incipiente Ad Chriſti Cal. Decemb. 1480. declarat votum huius Tertij Ordinis eſſe ſolemne, & inducere omnes illos effectus, quos inducit votum ſolemne cuiuſlibet approbatæ religionis, præcipitq; illis ne religionẽ relinquant, aut matrimonium contrahant ſub pæna excõmunicationis, à qua poſſint abſolui à ſuis ſuperioribus ſi ad corcuertantur. Leo X. conſt. Dilecti filij 20. Ian. 1521. regulam Nicolai 4. accommodauit Tertiarijs ſolemniter vouentibus obedientiam, paupertatem, & ca-

ſtitatem

ſtitatem. Affirmant prælibata Rodr. Mirand. locis citatis Compend. Reſol. 136. Portel. v. Tertiarij. Nau. conſil. 54. de Regul. Carillus, qui de Tertiarijs libros tres promulgauit.

50 QVAERES. An valeat argumentũ ab electione ad profeſſionem, & è contra?

℞. Tenet. Sicut enim electio metu graui facta eſt nulla, ex cap. Vbi periculum §. Cæterum de elect. in 6. Ita & ex profeſſio. probandis cap. 2. quæſt. 12. & 13. Item ſicut electio eſt nulla maiore parte capituli diſſentiente, ex cap. quia propter de elect. ita & profeſſio, ex probandis cap. 3. q. 9. Et id inſinuat Nau. conſil. 5. de elect. num. 2. Sigiſmundus, de elect. prælat. Regul. dub. 54. ad finem, & id magis conſtabit ſequenti quæſito. Vide infra cap. 3. q. 19.

51 QVAERES. An teneat argumentũ à matrimonio carnali ad profeſſionem, quæ vocatur matrimoniũ ſpirituale, & è contra?

℞. Valet, quia comparantur à iure inuicem, vt videre eſt præſertim cap. Viduas autem. cap. Hæc vero. cap. Quæ Chriſto, & alibi 27. q. 1. in quibus locis dicitur matrimonium ſpirituale. Vt autem teneat debet eſſe vtriuſq; par ratio, & aliud in iure non ſit cautum, vt patet in ſequentibus exemplis. Sicut enim furioſus, & mente captus non poteſt nubere carnaliter cap. dilectus. de Sponſ. ita neq; ſpiritualiter. cap. Sicut tenor de regul. Item ſicut matrimonium metu graui coactum eſt nullũ cap. Cum locum de ſponſ. Ita & profeſſio coacta, vt dixi præced. quæſito. Item ſicut filia contrahens matrimonium debet dotari l. Qui liberos ff. de ritu nupt. & l. fin. C. de dot. prom. Ita ingreſſa religionem dotanda eſt. Bald. in citata lege codicis. Item ſicut pater tenetur dare dotem filiæ tranſeunti ad ſecundum virum. Auth. Sed quamuis. C. de rei vx. act. ita vidua volens tranſire ad religionem dotanda eſt de communi doctorum in citata Auth. Item Pœnæ ſtatutę contra cognoſcentem coniugatam extenduntur ad cognoſcentem monialem, vt colli-

colligitur ex cap. Si quis rapuerit, 27. q. 1. Marianus cap. qualiter. de Accuſ. vnde ſicut euadit bigamus ducens ſecundam vxorem, ita profeſſus bigami pænam incurrit ducens vxorem cap. Quotquot. 27. q. 1. Valet etiam à ſpirituali ad carnale, exemplum ſit in eo qui in extremis exiſtens poteſt profiteri cap. Sicut tenor, & ſimiliter matrimonium ducere. Vide Euer. in loco de hac re multa congerentẽ, & Barboſam lit. A. num. 188. Thomaſetũ Reg. 51. Vbi vero non eſt par ratio, vel aliud à iure expreſſum eſt, non tenet argumentum, quia ex diuerſis non fit illatio, ſecundum vulgata iura, exemplum ſit, nam differunt in eo, quod matrimonium quatenus ſacramentum efficit gratiam ſacramentalem ex opere operato, non ſic profeſſio, ſed ex opere operantis, cum non ſit ſacramentum ex probatis ſupra q. 40. Item matrimoniũ tenet initum incæpta pubertate cap. Puberes, de deſponſ. impub. & quandoq; malitia ſupplet ætatem cap. De illis 2. eod. ſic dicitur in citatis iuribus; profeſſio autem non tenet niſi poſt decimum ſextum annum cap. 15. ſeſſ. 25. neq; malitia poteſt ſupplere ætatem, ex probatis cap. 2. q. 48.

52 QVAERES. Quomodo profeſſio obliget, iuxtane primum ſtatum, & abſolute, an ſecundum conſuetudinem tempore emiſſæ profeſſionis vigentem?

℞. Iuxta quod dictat regula, & forma profeſſionis. Suadetur. Tum quia ex cap. Ex parte, de regul. profeſſis relaxate viuentibus mandatur ſeruare regulam ſecundum formam ordinis, ergo iuxta primum eius ſtatũ, & non ſecundum conſuetudinem. Tum quia tota obligatio originem ducit à profeſſione, ſed hæc emittitur iuxta ſtatum regulæ; ergo non ſecundum conſuetudinem. Tum quia hæc conſuetudo eſt abuſus, cum non poſſit derogare iuri diuino naturali ex cap. fin. de conſuet. & huius obligationem inducit profeſſio, cui nemo præſcribere poteſt ex probatis cap. 2. q. 44. de hac re Miranda tom. 1. q. 25. art. 5. Nau. conſil. 43. de regul. vbi aſſerit, profeſſum religionem relaxatam poſſe ſubijci reformationi,

ita quod teneatur viuere etiam iuxta auſteritates, quæ tẽpore ſuæ profeſsionis nõ ſeruabantur, niſi tunc proteſtatus fuiſſet, ſe velle obligare ſolũ ad ea, quæ tũc ſeruabãtur à quo nõ diſſentit Sanc. lib. 6. cap. 2. n. 39 Cõpend. reſol. 30. in fine; quamquã huiuſmodi proteſtatio nihil prodeſſet in foro externo, non enim eſſet admittenda, ne ſequeretur diſpar vita, & obſeruantia ſub iugo eiuſdem regulæ, cum ſit inconueniens irregularis vita ſub regulari diſciplina, & militantes ſub eadem regula diuerſo iure cẽſeri.

53 QVAERES. An ſtrictior profeſsio indici poſsit? quod eſt quærere an Papa cogere poſsit profeſſos v. g. Tertiarios profiteri primam regulam diui Franciſci?

℟. Non poteſt, tum quia nemo cogitur vouere, virginitas enim ſuaderi poteſt, non præcipi capite Integritas, 32. q. 1. iuncta gloſ. Voti. Tum quia nemo inuitus cõpellitur creſcere cap. Geſta diſt. 74. Tum quia pater nõ poteſt cogere filium ad profitendum, cap. Præſens 20. q. 3. ergo neque Papa cum filius magis ſubijciatur ſuo patri, quam ſummo Pontifici. Tum quia votum coactum non tenet, cum ſic vouens careat libertate requiſita ad valorem profeſsionis, ex probatis cap. 2. q. 12. Nau. conſ. 16. de regul. vbi de communi citat Decium ex profeſſo id tractantem, ex quibus colligit, Conuentuales Minorũ in Hiſpania extinctos cogi minus potuiſſe profiteri regulam eorundem de Obſeruantia, quæ ſtrictior eſt, cum eam non profiteantur limitatam pontificijs priuilegijs, vt Conuentuales.

54 QVAERES. Quidam nouitius in fine anni ſuæ probationis reprobatus fuit à profeſſione, & tamen dimiſſus non fuit, ſed ad huc remanſit in religione cum habitu indiſtincto à profeſſis, perſeuerando vltra annum. An ſit tacite profeſſus.

℟. Non. Ratio eſt, quia ad profeſſionem tacitam nõ ſufficit habitus indiſtincti delatio etiam animo profitẽdi, ſed præter alia, etiam receptio ex parte conuentus neceſſaria eſt, de quibus ſupra q. 28., quamuis autem nouitius cupiat profiteri, monaſterium tamen illum non intendit

tendit

tendit recipere, hoc ipſo, quod illum reprobauit, licet remanſerit etiam per aliquot annos in religione, modo non tranſierit quinquennium, quia conuentus præſumitur remanere cum priori voluntate illum excludendi perenniter, voluntas enim ſemel poſita præſumitur remanere, niſi probetur contrarium argumento cap. 3. de Baptiſm. §. dormientes iuncta gloſ. Perdurare. Quare illa tolerantia non arguit præſtitum conſenſum contra diſſenſum, præterquamquod ad conuentum non pertinet de facto expellere nouitium reprobatum, ſed ad ſuperiorem, qui illum tolerando non ideo voluntatē, & diſſenſum conuentus transfert in conſenſum, cum in hoc voluntas conuentus ab eo non dependeat.

Vidi poſtea quemdam Patrem Remigium Scrofam Dominicanæ religionis in libello de Inualid. profeſſ. dub. 28. contrarium tenere præcipue ex duplici ratione. Prima, quia per annum à die reprobationis deferens coram omnibus in monaſterio habitum indiſtinctum ab habitu profeſſorum animo profitendi, eo anno incurrit tacitam profeſſionem cap. 1. de regul. in 6. Sed hoc non ſufficit in caſu noſtro, præterea, vt dixi, requiritur conſenſus ſuperioris, & conuentus recipientium huiuſmodi profeſſionem tacitam, docent communiter Nau. com. 4. de Regul. num. 73. & 74. & alij cum Sanch. lib. 5. cap. 3. num. 14. in caſu autem præſenti directe abeſt conſenſus. Secunda, quia ſi quis proteſtaretur ſe nolle contrahere matrimoniū, & illud de facto paulo poſt contraheret, nullum eſſet matrimonium, quia per illud breue tempus non præſumitur mutata prior voluntas; ſi vero multum temporis interponatur, reputatur verum matrimonium, ergo à pari poſt reprobationem deferens habitum profeſſorum, cenſetur poſt annum tacite profeſſus, quia præſumitur conuentus mutaſſe priorem voluntatem. Et de hoc remittit lectorem ad Sanch. lib. 5. cap. 3. num. 35. Dico in vtroq; caſu tenere matrimonium contractum vere, & formaliter, in terminis Sacri Concilij, quia proteſtatio eliditur per factum directe contrarium, quæ

proteſtatio nõ eſt in caſu noſtro, ſed ſola reprobatio; neq; illa tolerantia arguit conſenſum, quia non ad conuentum ſpectat de facto expellere nouitiũ reprobatũ, ſed ad ſuperiorẽ; neq; nouitius poſt reprobationem aliquem nouũ actum facit, per quem in ſpecie inducatur tacita profeſſio, quem non fecerit ante, quia geſtatio habitus profeſſorum non eſt actus nouus, ſed antiquus continuatus; qui ſicut ſimpliciter fuit reprobatus in ordine ad profeſſionem, ita & illius continuatio cenſetur reprobata argumento 42. de reg. iur. in 6. Sanch. vero nihil contra nos, ſed aperte dicit quod proteſtatio prodeſt nolenti profiteri exercendo actus profeſſorum, ergo etiam prodeſt reprobantibus nouitium, & ſic potius eſt contra ipſum, quam in eius fauorem.

CAPVT.

CAPVT SECVNDVM

De validitate, & nullitate Profeſſionis ex parte profitentis.

PRofeſſio ad ſui valorem requirit eas omnes conditiones, quas enumeraui præcedenti capite ſub q. 2. inter explicandum eius definitionem, nunc autem videndum eſt in quibus caſibus teneat, vel inualida ſit profeſſio ex parte profitentis. Quare.

1. QVAERES. An ad valorem profeſſionis ſit neceſſarius profitentis conſenſus in eã voluntarius, ita quod eius defectu nulla ſit?

℟. In profeſſione emittenda neceſſarius eſt volũtarius conſenſus ex parte profitentis, ita quod eius defectu nulla eſt. Probatur, tũ iure naturæ, quia profeſſio eſt actus humanus voluntatis, à qua procedere non poteſt ſine eius conſenſu, cum ſit cauſa efficiens profeſſionem, & cõſequenter inducit naturalem obligationem, argumento l. 1. in princ. ff. de pact. Tum iure Diuino Pſal. 53. Voluntarie ſacrificabo tibi. Pſal. 118. Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine. Qui enim ex conſenſu voluntario, & vera approbatione profeſſionẽ emittit, ſeipſum, & proprium corpus Deo exhibet hoſtiam viuentẽ Rom. 12. Tum iure pontificio locis citatis ſub q. 2. cap. præced. §. Dixi 4. Ratio eſt, tum quatenus votum eſt, quod ſine conſenſu voluntatis conſiſtere nequit, vt omnes docent. Tum quatenus profeſſio & contractus eſt, qui cũ perficiatur conſenſu ſine illo conſiſtere nequit Reg. 85. in 6. Barboſa lit. C. num. 54. Tum quia ſicut matrimonium carnale conſenſu contrahitur cap. Cum locum, de Sponſ. ita & ſpirituale, quod eſt regularis profeſſio, cõſtans eſt enim argumentum à Matrimonio Carnali ad ſpirituale ex probatis præced. cap. q. 51. Tum demum,

quia valor actus pendet à voluntate agentis Beia part. 3. caſu 10. ex cap. Cum ſuper, de off. deleg. Ita ſupponunt omnes cum Nau. conſil. 15. de regul. num. 2. Bartol. Vecchius diſp. 13. dub. 12. num. 1.

2 QVAERES. An huiuſmodi voluntarius cõſenſus ad valorem profeſſionis requiſitus debeat eſſe deliberatus, & perfectus an ſufficiat ſemiplena deliberatio? Perfecta autem deliberatio eſt illa, qua quis præmeditando decernit id quod facturus eſt, non habens impeditũ vſum rationis.

℞. Neceſſaria eſt voluntas perfecte deliberata. Probatur, Tum quia talis voluntas requiritur ad quod cũq; votum ſiue ſimplex, ſiue ſolemne, qualis neceſſaria eſt ad peccandum mortaliter, vt docet Molina Tract. 2. de Iuſt. diſp. 267. num. 3. vbi dicit, quod melior regula iſta tradi non poteſt ad iudicandum, quando votum factum ex capite deliberationis teneat, & obliget, referente Megal. v. Actus. num. 2. Sed ad incurrendum mortale peccatum requiritur perfecta deliberatio Vaſq. 1. 2. diſp. 107. cap. 4. Sanch. lib. 1. cap. 1. num. 10. & alij communiter, ergo & ad profeſſionem, quæ votum eſt Sanch. expreſſe lib. 3. cap. 1. num. 2.

3 QVAERES. An requiratur non ſolum perfecta, ſed etiam matura deliberatio ad valorem profeſſionis? Poteſt enim quis duobus modis deliberare ſuam profeſſionem 1. breuiſſimo temporis ſpatio bene præmeditando id quod acturus eſt. 2. Diu conſiderando id quod agendum eſt.

℞. Non eſt neceſſaria diuturna deliberatio, quæ tamẽ perfectiſſima eſt digna tam graui negotio, ſed ſufficit breuis determinatio. Probatur, tum ex cap. Porrectum cap. Sicut nobis, de Regul. in quibus locis graui infirmitate detentus valide profecit, & tamẽ deliberatio fuit de repente cauſata ab infirmitate. Tum quia per repẽtinam deliberationem bene poteſt homo cognoſcere, quod facit. De hac diuturna, & matura deliberatione non neceſſaria ad valorem voti Nau. cap. 12. num. 26.

5. Quinto

§. Quinto Sanch. lib. 1. diſp. 8. num. 7.

4 QVAERES. An huiuſmodi deliberatio voluntatis ad valorem profeſſionis debeat illius actum præcedere, an ſufficiat ſi cum eo ſimul ſit?

℞. Sufficit ſi tempore ſimul ſit, licet enim ſit determinatio ad id, quod faciendum eſt, & conſeqnenter vt cauſa debeat ſuum effectum præcedere, tamen non eſt ſimpliciter neceſſaria tẽporis præcedentia, ſed naturæ, ſecundum quod omnis cauſa, philoſophice loquendo, præcedit ſuum effectum. Ita Nau. de voto, & alijs promiſſionibus, mox citatus, Lopez. part. 1. ſui inſtruct. cap. 43. §. In momento.

5 QVAERES, An huiuſmodi voluntas perfecte deliberata actu perſeuerare debeat, donec ſit emiſſa profeſsio, an vero ſufficiat, ſi virtualiter perſeueret in actu aliquo, ſeu ceremonia ordinata ad profeſsionem, quæ valeat, licet dum verba profeſsionis legit, ad id, quod facit, non aduertat diſtractus?

℞. Sufficit ſi perſeueret virtualiter, quia voluntas idem operatur, ſiue in actu, ſiue in virtute eiuſdem perſeueret, vt patet in confectione ſacramentorũ, ad quorum valorem ſufficit virtualis intentio de communi, ita & ad valorem profeſſionis ſufficit virtualis deliberatio, ſeu attentio: debet autem iſta perſeuerantia eſſe cum vſu rationis, nam voluntas actualis profitendi eius, qui poſtea in ebrietate profitetur, non dicitur, virtute permanere, cum actus voluntatis per ſuperuenientẽ ebrietatem omnino euanuerit, eo quod non vtatur tunc ratione Sanch. lib. 4. cap. 1. num. 6. & lib. 1. diſp. 8. num. 21.

6 QVAERES. Quid reſpondendũ ſit, quando quis dubitat an in profeſsione emittẽda habuerit perfectã deliberationem ſufficientem ad eius valorem?

℞. Deliberatio iudicanda eſt ſufficiens. Probatur, tũ quia conſtat de emiſſa profeſsione ergo pro eius valore iudicandum eſt, conſequenter adfuiſſe ſufficientem deliberationem. Tum quia in momento quis poteſt aduertere ad mutatum propoſitum. De voto, & ſponſalibus

ſic docent Panor.cap. Dudum,de conuerſ. coniug. nu. 8. Alex. de Næuo cap. Sicut ex literis, de iureiur. num. 18. quos ſequendo citat Sanch. lib. 1. diſp. 8. num. 10.

7 QVAERES. An propoſitũ voluntarium deliberatum ſufficiat ad valorem profeſſionis, an præterea requiratur promiſſio?

℞. Præterea requiritur promiſſio, ſuadetur tum ex cap. Literarum, de Voto, vbi morbo laborans dicitur liber à voto, quod ſolum propoſuerat; quod ſi alibi videatur ſufficere propoſitum, intelligendum eſt de propoſito promiſſione roborato, Tum quia propoſitum deliberatum eſt præciſe determinatio volendi profeſſionem emittere, nam propoſitum refertur ad futurum agendũ, deliberatio ad conuenientiam faciendi, vtrum nec ne expediat profeſſio, ex quibus verbis nulla deducitur obligatio. Tum quia propoſitum de ſe eſt variabile, votum vero profeſsionis inducit obligationem ſtabilem, & inuariabilem. Tum demum quia ad quodcumq; votum neceſſaria eſt promiſsio præter deliberatum propoſitum, vt de communi docet Sair. lib. 6. cap. 1. Nau. cap. 12. num. 24. Sanch. lib. 4. cap. 1. num. 20. ſed profeſsio eſt votum, ergo ad ſuum eſſe requirit promiſſionem, vnde præcedenti capite ſub q. 2. & ibi §. Dixi 2. eam definiui promiſſionem per iura ibidem allegata.

8 QVAERES. An vere profeſſionẽ emittens cum animo ſe obligandi, ſed non adimplendi, & ſeruandi ea, quæ per profeſſionem promiſit, ſit valide profeſſus?

℞. Eſt vere profeſſus. Suadetur, Tum quia vere promiſit, quæ ſunt de ſubſtantia valoris profeſſionis. Tum quia obſeruatio regulæ non eſt de ſubſtantia profeſſionis, ſed quid conſequens ad illam, ex eo enim, quod quis profeſſus eſt, tenetur obſeruare regulam. Tum quia negatiua voti executio non tollit votum iam factum, ergo neq; animus non exequendi ſimul cum promiſſione habitus impedit valorem voti, eſt enim huiuſmodi intentio compoſſibilis cum obligatione. Tum quia animus nõ

exequendi

exequendi ſimul cũ promiſſione habitus nõ impedit valorem voti, eſt enim huiuſmodi voluntas compoſſibilis cũ obligatione. Tum quia animus non exequendi votum ſupponit valorem voti pro aliqua temporis differentia, executio ſiquidem refertur ad aliquod verum eſſe, non entis enim nullæ ſunt paſſiones l. Eius qui ff. ſi cert. pet. Tum quia vnus animus non tollit alium, cum ſint circa diuerſa, vt de ſe patet. Ita de quocumq; voto omnes, quos ſequitur Sanch. lib. 4. cap. 1. num. 23 ſe remittẽs ad ea quæ dixit lib. 1. diſput. 9. contra Valent. 2. 2. diſp. 6. q. 6. p. 1. aſſerentem fictitium, & nullum votũ Vide Nau. cap. 12. nu. 50. & conſil. 46. nu. 3, de regul. noſtrum reſponſum ſupponentem.

9 QVAERES. An teneat profeſſio eius, qui licet habeat animum profitendi, expreſſe tamen non intendit ſe obligare?

℞. Non tenet in foro conſcientiæ. In foro externo præſumitur valida. Primum ſuadetur. Tum quia qui profitetur intendit ſe obligare Deo cap. Non dicatis 12. q. 1. ſed is non intendit ſe obligare, ergo. Tum quia votũ in tantum tenet, in quantum obligat, eius enim eſſe infertur ex obligatione; ſed non obligat, hoc ipſo quod aufertur obligatio. Tum quia eſt conditio deſtruens ſubſtantiam voti, includit enim eſſentialiter obligationem, qua non exiſtente, neq; eſt profeſſio. Tum quia promiſſio ficta non tenet, cum non ſit promiſſio, ſed fictio eius, ſed profeſsio facta ſine animo ſe obligandi eſt ficta, ergo non tenet. Tum quia in foro Dei non inſpicitur factum, ſed animus, & veritas cap. 1. 15. q. 6. cap. 14. 23. q. 8. cap. 18. de Pænit. diſt. 1. Tum demum quia matrimonium fictum nullũ iudicatur in foro conſcientiæ ex cap. Tua nos, de ſponſ. ergo neque ſpirituale. Nau. conſ. 46. num. 3. Secundum probatur, tum ex cap. Quod interrogaſti, diſt. 27. cap. Perlatum, de ijs, quę vi. cap. Vidua, de regul. Tum quia forum exterius, cum ei non cõſtat mens interna hominis, recurrit ſemper ad factũ l. Eum qui §. ſi iniuriæ ff. de Iniur. & ita in hac re diſtinguit

guit Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5. num. 28. & 29. & Tom. 1. conſil. 7. num. 13. Vide Sanch. lib. 4. cap. 1. nu. 27. & 28.

Sotus lib. 7. q. 1. art. 2. poſt medium cum alijs à Sãch. citatis lib. 1. diſp. 9. num. 4. §. Tertio, tenet ſponſalia, & votum ſine animo ſe obligandi tenere 1. quia obligatio naturaliter conſequitur ad promiſsionẽ, ſicut calefacere ad ignem 2. dans formam dat conſequentia ad illam, ergo ponens profeſsionem dat formam, ad quam ſequitur obligatio. 3. qui vult antecedens vult neceſſario conſequens, ex vulgatis iuribus.

℞. Communiter argumenta iſta ſupponere realem, & veram promiſsionem, quam tamen aduerſarij probare debebant non ſupponere, quare ad primam dico, obligationem naturaliter conſequi ad promiſſionem ſi hæc exiſtat tamquam illius ſubiectum, ſed non exiſtit ex probatis, ergo Ad ſecundam dico formam promiſſionis non ſubſiſtere, & ideo neq; conſequentia ad ipſam. Ad tertiam demum dico ſicut reſpuit conſequens expreſſe, ita etiam expellit antecedens ſine illo non valens ſubſiſtere; in hoc enim caſu promiſsio, & obligatio ita inter ſe ſunt inſeparabilia, vt vnum ſine altero nequaquam exiſtere poſſit. Vide Sanch. lib. 1. diſp. 9. num. 7.

10 QVAERES. An teneat profeſſio eius, qui probabiliter putat, vel ignorat votum profeſſionis habere adnexam obligationem? Contingere enim poteſt, aliquẽ inuincibiliter exiſtimare votum non obligare, aut probabiliter ignorare eius obligationẽ, eo quod de illa nunquam cogitauit, aut non audiuit.

℞. Non tenet. Probatur, quia errans, & ignorans obligationem caret voluntate, & conſenſu ſe obligandi, nichil enim magis eſt contrarium conſenſui, quam ignorantia, & error l. Si per errorem ff. de iur. om. ind. Ita de voto quouis docet Sanch. lib. 4. cap. 1. num. 26. & de ſponſalibus lib. 1. diſp. 9. num. 2. §. Item, alijs citatis, Intellige dicta modo non intenderit profiteri more aliorum, quia tunc implicite habet animum ſe obligandi.

Dixi

Dixi probabiliter, quia ſi error, aut ignorantia eſt vincibilis, vt quia dubitauit de obligatione, & profecit, remanet obligatus, quia virtualiter habuit intentionem ſe obligandi.

11 QVAERES. An prædictis modis ficte proficiens nempe vel ore tenus, vel ſine animo ſe obligandi, vel ſine intentione obſeruandi peccet mortaliter?

℞. Peccat mortaliter. Suadetur, tum quia magnam facit irreuerentiam Deo in tam excellenti, & religioſo actu. Tum quia in ipſo actu profeſſionis habet actualẽ intentionem non ſeruandi ea, ad quæ tenetur ſub mortali ergo ex hoc capite peccat mortaliter. Ita docet Caiet. v. Votum cap. 3. quem ſequitur Sanch. lib. 4. cap. 1. nu. 28. Prædicta intelligens, modo non habeat rationabilem cauſam ſic profitendi, vt puta, quia cogitur proficere.

12 QVAERES. An ad valorem profeſſionis requiratur liber conſenſus nouitij in eam, an ſufficiat coactus? Quod eſt quærere an, & quomodo metus annullet profeſſionem? Non eſt autem hic ſermo de vi, quæ eſt maioris rei impetus, cui patiens reſiſtere non poteſt. Ideſt, eſt coactio, & violentia facta ab extrinſeco principio, paſſo reſiſtente, & nullam vim actiuam conferente, ex Ariſt. 3. AEth. cap. 1 quia cum hæc omnino cauſet inuoluntarium nulli eſt dubium impedire valorem profeſſionis.

Loquor ergo de Metu, qui, vt ſuppono cum Ariſt. & de communi non cauſat omnino inuoluntarium, quia voluntas coacta voluntas eſt Cap. Merito 15. q. 1. Cap. Diſplicet 23. q. 4. licet imperfecta non ſufficiens vbi requiritur voluntas plena, & ſpontanea, vt in matrimonio vtroq; docet Gloſ. licentiam Cap. 2. 33. q. 5. Metus ergo efficit actum mixtum ex voluntario, & inuoluntario, & proprie aufert, ſeu impedit ne actus exeat libere, & ſpontanee. Vide Sanch. lib. 4. diſp. 1.

Metus autem definitur animi perturbatio, ſeu trepidatio proueniens ex apprehenſione mali probabiliter imminentis.

Diui-

Diuiditur autem ad noſtrum propoſitũ in intrinſecũ, & extrinſecum, grauem, & leuem. Intrinſecus eſt ille, qui prouenit à cauſa intrinſeca, ſeu naturali, vt ex graui infirmitate, item feris, tempeſtate, &c. Extrinſecus eſt ille qui prouenit à cauſa libera, ſeu ab homine.

Grauis metus, qui & in conſtantem virum cadere dicitur, eſt trepidatio animi proueniens ex apprehenſione magni mali probabiliter imminentis, cui trepidans occurrere non poteſt, niſi obſequendo voluntatem aliorũ. Sanch. cit. num. 12. requirit quinq; conditiones. Prima eſt, vt ſit graue malum in ſe. Secunda, debet malum probabiliter, & proxime imminere. Tertia, vt ei non poſſit trepidans occurrere. Quarta vt incutiens ſit potens mandare executioni malum. Quinta demum, vt ad id ſit ſolitus. Metus autem grauis non ſolum eſt talis, quando illum nobis timemus, ſed etiam alijs nobis ſanguine, aut arctiſſimo amicitiæ vinculo coniunctis. Inſuper eius grauitas metienda non tantum eſt à cauſa incutiente, ſed etiam à perſona paſſi attentis alijs circunſtantijs à viro prudente; & in dubio iudicium ferre ſpectat ad iudicem l. 3. ff. ex quibus cauſis. Vide Sanch. diſp. 5. Megal. 2. 2. lib. 2. cap. 5. à nu. 211. Bonac. de contr. q. 1. p. 2. §. 3. & alios communiter in prædictis concordes. Metus leuis eſt ille, qui cauſatur ex leui malo, vel ex vanitate, aut malo probabiliter non imminente.

℞. Profeſſio ad ſui valorem requirit conſenſum liberum; ita quod metus grauis cadens in virum conſtantem, iuxta prætacta, illam irritat ſi ſit iniuſtus, & incuſſus ad hoc. i. ad extorquendam profeſſionem, non autem ſi ſit iuſtus, aut intrinſecus, ſeu alio fine incuſſus. Reſponſio continet tres partes.

Prima pars de conſenſu libero requiſito, probatur ex dictis ſub q. 2. §. Dixi 4. & hoc de communi inſinuat Megal. 2. 2. lib. 2. cap. 5. num. 212. & probat Graff. Tom. 1. conſil. 1. de regul. num. 12. & ideo in hoc nulla difficultas.

Secunda pars, de metu graui annullante profeſsionem, proba-

probatur ex cap. 1. de ijs, quæ vi. & cap. Cum dilectus. eod. & à contrario ſenſu ex cap. Puellæ. 20. q. 1. vbi dicitur, quod puella non coacta imperio parentum non poteſt reſilire. Ratio eſt, quia de ratione profeſſionis eſt liber conſenſus in eam ex probatis in prima parte; ſed locum non habet conſenſus liber, vbi interuenit metus grauis cap. Cum locum, de ſponſ. Ita tenent Sanch. lib. 4. cap. 3. num. 4. Graff. de Arbitr. lib. 2. cap. 39. num. 4. & Tom. 2. conſil. 1. de regul. num. 3. Vecchius diſp. 13. dub. 12. num. 7. & in hoc omnes conueniũt.

Leuis autem ſine quo etiam votum non emitteretur nõ irritat, quia non tollit omnino libertatem licet illam aliquantiſper minuat, quare cum conſenſus adhuc dicatur liber tenet profeſsio, vt colligitur ex cap. fin. Qui cler. §. Nos igitur, Vecchius cit. num. 16. Sanch. lib. 4. cap. 3. num. 24. quidquid dicat. Nau. apud ipſum non audiendus, dum aſſerit cap. 22. nu. 51. §. ſeptimum, & conſil. 9. de ijs, quæ vi num. 2. nullam eſſe profeſsionem factam metu etiam non cadente in conſtantem virum, & ad id probandum aliud non adducit, quam Gloſ. cap. Præſens, 20. q. 3. ſed ibi Gloſ. loquitur de metu reuerentiali in ordine ad textum, ex quo colligitur fuiſſe coniunctum cum minis, & præceptis; ſiquidem pater ille dictus Atho aſſeruit eius voluntatem fuiſſe, & eſſe vt maneret in religione eo fine, vt ſuccederet ſibi in monaſterio à ſe ædificato. Præterea conſtat filium nunquam cõſenſiſſe in votum, & ideo etiam ex hoc capite nulla profeſſio, nõ autẽ ex timore reuerentiali tantum.

Tertia pars, de metu graui iuſto, etiam incuſſo ad profeſſionem extorquendam probatur de metu naturali, nam profeſſio emiſſa timore mortis ab ægrotante tenet cap. Sicut nobis, de regul. Item de metu iuſto à cauſa libera, nam cap. Veniens cap. De regularibus. cap. Dilectus filius cap. Quoniam, per ſimoniam profeſſus in pœnã detruditur in monaſterium arctius ad agendum pœnitentiam, ibi autem cum ſit alterius regulæ neceſſario debet profiteri, vt notat Nau. conſil. 8. de ijs quæ vi nu. 3. ergo

metus

metus iuſte incuſſus non impedit profeſſionē: Item quidem natus à iudice ad mortem, ſi ei offeratur religio, validè profitetur, quia ei proponitur religio ad euadendum penam, non autem ad extorquendā profeſſionem, ſiquidem talis metus non infertur, ſed potius aufertur à iudice illatum, & pœna in ſtatum religionis commutatur. Vide graff. de metu naturali tom. 2. conſil. 1. de voto num. 1. Rodr. p. 2. cap. 8. num. 11. Sanch. lib. 4. cap. 3. nu. 21. & lib. item 4. diſp. 12. nu. 11. & 12. Cord. q. 171. Vecch. diſp. 13. dub. 12. num. 14. Nau. conſ. 8. de ijs, quæ vi. num. 2. & 3. Metus ergo iuſtus incuſſus ad votum extorquendum non impedit valorē profeſſionis, quia talis metus à lege potius prouenit, quam ab homine incutiente Sanch. lib. 4. cap. 3. q. 3. refert duas opiniones, vnam aſſerentem impedire valorem voti, quam ſequuntur Lopez, Manuel, & Vega ab eō citati, tum quia licet iuſtus ſit metus, tamen iniuſte minatur ad extorquendum votū, tum quia talis metus æquiparatur iniuſte incuſſo, reſpectu cuius nulla eſt profeſſio, ergo. Sed nullius ſunt momenti hæ rationes, nam iudex iniuſte non agit, dum id licite agere poſſit, offerendo veniam reo ſub ea conditione, vt euadat religioſus, conſequenter ei minime libertas minuitur, ſed tantum aufertur hac conditione pœna. Alteram aientem tenere profeſſionem, quam ſequuntur Metina lib. 1. cap. 14. §. 6. Sa. v. votum. 6. Sotus lib. 7. q. 2. art. 1. ad 1. eoſdem citaus num. 21.

13 QVAERES. Quænam mala inferant metū grauem profeſſionem irritantem?

℞. Exempla quatuordecim afferuntur à Sanch. lib. 4. diſp. 5. extra controuerſiam cauſantia metum grauem ſufficientia ad impediendum valorem profeſſionis.

Primum eſt mors, quæ eſt non ſolum graue malū, ſed grauiſſimum, & vltimum omnium terribilium, reſpectu cuius profeſſio eſt nulla cap. Perlatum, & cap. Cum dilectus, de ijs, quæ vi.

Secundum eſt mutilatio membrorum, nam cap. Si-

quis

quis abſcidit. diſt. 55. mutilans reputatur homicida, ſiquidem eſt quædam partialis mors.

Tertium eſt terror armorum, licet metum inferens nō ſit miles, aut illis non vtatur, docet Sanch. lib. 4. diſp. 5. num. 5. alijs citatis.

Quartum, grauis cruciatus corporis, ex cit. cap. cum dilectus. de ijs, quæ vi.

Quintum eſt metus redigendi iterum in ſeruitutem l. Ego puto ff. de eo, quæ metus, docent omnes teſte Sanch. cit. num. 6.

Sextum eſt timor captiuitatis, eſt enim quædam ſpecies ſeruitutis, docet Scotus in 4. diſt. 29. q. Vn. §. de primo contradictio eſt.

Septimum eſt timor exilij Sot. lib. 7. q. 2. art. 1. ad 2. ex Sanch. cit. nu. 8.

Octauum eſt metus carceris diuturni, Sot. in 4. diſt. 29. q. 1. art. 2.

Nonum eſt timor amiſſionis ſtatus ex D. Thom. in 4 diſt. 29. q. Vn. art. 2. ad 2. cum Sanch. cit. nu. 10.

Decimum eſt de metu honoris amittendi, viro enim probo grauior cenſetur iactura honoris, quam mortis. Maſcard. concl. 1055. de Probat. num. 53. Barbatius conſil. 60. nu. 3. cum Sanch. nu. 11.

Vndecimum eſt comminatio ſtupri ſiue in virum, ſiue in fæminam D. thom. Scot. cit. cum Sanch. num. 12.

Duodecimum eſt metus grauis infamiæ iuris Silu. v. Metus q. 4. Ang. num. Roſella num. 2. Sanch. nu. 15.

Decimumtertium eſt metus excommunicationis iniuſte illatæ, quia eſt pæna grauiſſima; qua maior in iure canonico non reperitur Cap. Corripiantur 24. q. 3. & cap. Sacris de ſent. excom. vocatur magna pæna. Dixi, iniuſte, nam iuſtam quis ſuperare poteſt obediendo, intellige, ſi ab illa declinare alio modo non poteſt, vt appellando, &c. Ang. v. Metus num. 4. Silu. q. 5. & alij cum Sanch. num. 17.

Decimum quartum eſt timor amiſſionis nō ſolum omnium bonorum, ſed etiam maioris partis, ex cap. 2. de

ijs quæ vi: & cap. 1. de Reſtit. ſpol. in 6. Nau. cap. 22. num. 51. §. Quintum. Roſella v. Metus num. 1. Angel. num. 8. Ratio eſt, quia bona ſunt quædam hominis vita, & morti æquiparatur eorum amiſſio, apud Tiraq. cap. 31. de Nobilit. num. 369. Et hoc verum eſt, licet aliunde ſuſtentari poſſit metum patiens, docent Veracrux; part. 1. ſui ſpeculi art. 8. concl. 2. Bartol. Ledeſm. dub. 23. de Matrim. fund. 3. quibus adhæret Sanch. eoſdem citans num. 25.

14 QVAERES. An metus reuerentialis impediat valorem profeſsionis? Metus autem reuerentialis eſt timor, quo inferior ex precepto ſuperioris ducitur ad aliquod agendum, ob reuerentiam non contradicendo. Iſte autem timor intercedit inter ſuperiorem & ſubditum, vt inter patrem, & filium, maritum, & vxorem. Idem dic de Auo, Socero, Curatore, Matre ſcrudeli; fratre maiori erga ſuam ſororem, &c. innata enim eſt quedã reuerentia minoris erga maiorem, cui aliquo modo ſubditur. Vide Sanch. lib. 4. diſp. 6. q. 4.

℞. Solus timor reuerentialis non impedit valorem profeſsionis: Vtique vero ſi ſit coniunctus cum minis, aut alio metu ſaltem virtualiter; quod cenſetur ineſſe patri nimis auſtero ſolenti in filios ſeuire; in hoc. n. caſu ſolum præceptum paternum continet virtute minas, ex Abbate in cap. Cum virum de regul. num. 8. cum alijs quos citando ſequitur Sanch. lib. 4. diſp. 6. nu. 12. Reſponſio tenet duas partes.

Prima, de ſolo timore reuerentiali non impediente valorem profeſsionis, probatur Tum ex cap. Puellæ 20. q. 1. & cap. Cum virum de regul. in quibus locis præter præceptum paternum Papa requirit coactionem ad irritandũ profeſsionem. Et cap. Præſens 20. q. 3. præter paternã reuerentiam ad annuilandam profeſsionem requirit Papa, vt conſtet, nouitium nunquam conſenſiſſe in profeſsionem ergo timor reuerentialis ſolus non aufert conſenſum neceſſarium ad profitendum, quod etiam colligitur ex cap. fin. Qui cler. vbi præceptum regium reputatur leuis

timor

timor non ſufficiens ad nullitatem profeſsionis. Tum quia licet timor reuerentialis minuat aliquid de liberta-te, id tamen nõ impedit valorem profeſsionis, quia adhuc conſenſus remanet liber, licet non libens. Hanc tenent cit. Abbas Franc. cap. 2. de Pactis in 6. num. 2. Roma l. Interpoſitas C. de Tranſact. num. 14. Couar. 4. Decret. part. 2. cap. 3. §. 6. num. 7. & 8. Sot. lib. 7. q. 2. art. 1. ad 2. & alij, quos citando ſequitur Sanch. lib. 4. diſp. 6. num. 18. Rodr. Tom. 3. q. 17. art. 15. §. Verum Cũ ſuo Comp. Reſol. 101. num. 78. Soar. lib. 3. de Contr. v. Profeſſio Vecchius diſp. 13. dub. 12. num. 11. Bonac. p. 3. de Voto §. 1. num. 5. & 16. §. Ex dictis.

Procedunt de profeſſione expreſſa, non autem de tacita, quæ nulla eſt, quia ex ſola delatione habitus præſumitur tacita profeſſio, quia tollitur per taciturnitatem filij non audentis reſiſtere ab reuerentiam patris, tacens enim in ſibi multum oneroſis, vt eſt profeſſio, non cenſetur conſentire. Ita tenent Innoc. in cap. 1. de ijs, quæ vi ibi Abbas. Imola, Card. à quibus non videtur recedere eoſdem allegans Sanch. num. 35. vt videre eſt nu. 39.

Opinio alia multum probabilis eſt ſolo metu reuerentiali profeſsionem annullari Nau. cap. 22. num. 51. §. octauum, & com. 2. de regul. num. 67. & conſil. 9. de ijs, quæ vi num. 2. & conſil. 3. de conuerſ. coniug. num. 4. Graff. part. 1. lib. 2. cap. 56. num. 18. Diana Tract. 2. de regul. Reſol. 92. vbi citat in hanc ſententiam Baſilium Pontium lib. 4. de Matrim. cap. 11. num. 15. & 16. & Farinacius apud Compend. Rodr. cit. Reſol. 101. nu. 78. refert Sacram Congr. ita declaraſſe in cauſa cuiuſdam fæminæ, & multos alios refert Sanch. cit. diſp. 6. nu. 17. Probant autem 1. ex cap. à me citatis, pro mea reſponſione, ad quæ dixi, papam in illis ſimpliciter non loqui, ſed de qualificata reuerentia. 2. quia voluntarium militem ſibi eligit Deum; ſed non obſtat, quia licet Deus vellet militem omnino voluntarium, & libentem, tamen ſi accedat ad militiam non ita libenter, vt deberet facere, adhuc illi adſcribitur, cum præſtet liberum conſenſum,

qui metu reuerentiali ſolo non aufertur.

15 QVAERES. An preces importunæ præſcindendo à quouis alio timore valente profeſſionem infringere, impediãt valorem profeſſionis? Dico *Preces importuna*, quia preces ſine importunitate non inducunt timorem grauem, vt de communi teſtatur Sanch. lib. 4. diſp. 7. num. 1.

℞. Profeſſio facta precibus importunis ſæpius repetitis valde vrgentibus vna cum timore reuerentiali, attenta puſillanimitate, & timiditate non audentis contradicere, nulla eſt. Probatur ex cap. Petitio. de iure iur. vbi papa reſpondet non eſſe ſeruandum iuramentum à quodam principe extortum, Super quem caput Hoſt. Imol. & Innoc. verbum Extorſit, exponunt precibus. ſ. importunis. Ratio eſt, quia hæ preces ſic qualificatæ auferunt libertatem neceſſariam ad proficiendum, & æquiparantur metui cadenti in conſtantem virum. Ita tenent Couar. 4. Decret. part. 2. §. 6. Veracrus parte 1. ſpeculi art. 8. dub. 2. Sanch. lib. 4. diſp. 7. num. 7. prædictos citans, cum Vecchio diſp. 13. dub. 12. num. 20. vbi multos alios citat in hanc ſententiam, & aliquos in oppoſitam præſertim Suar. tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 5. num. 7. dicentem per importunas preces non irritari profeſſionem.

Multa poſſent obijci probantia ſolam importunitatẽ precum irritare profeſſionem, ſed quia illis reſpondet Sanch. ideo omitto præſertim cum authoritates tam ſacræ ſcripturæ, quam legum explicari poſſint de precibus qualificatis.

16 QVAERES. Quid reſpondendum ſit in dubio metus ſit ne grauis, an leuis factam profeſſionem præcedens.

℞. Concludendum eſt metum eſſe leuem, ac proinde tenere profeſſionem; quia ex vna parte conſtat facta profeſſio, ex alia dubitatur de metu, ergo iudicãdum eſt in fauorem profeſſionis, pro ea enim ſtat poſſeſſio, iuxta illud. In dubijs potior eſt conditio poſſidentis. Ita Bonac. p.

3. de

3. de Voto §. 1. num. 11. Sanchez lib. 4. cap. 3. nu. 27. Vecchius cit. dub. 12. num. 22.

17 QVAERES. An ad impediendum profeſsionis valorem ſufficiat metus grauis incuſſus initio nouitiatus, an vero requiratur vt actu etiam inferatur tempore profeſsionis?

℞. Sufficit, ſi fuerit illatus etiam initio nouitiatus, modo non fuerit reuocatus expreſſe per inferentem, vel tacite, aut morte inferentis. Probatur Tum quia quãdiu durat cauſa metum inferens, cenſetur durare metus, vt docent Decius in l. In omnibus cauſis ff. de regul. iur. n. 12. & Rota Deciſ. 392. num. 4. coram Greg. 15. Tum quia initium metus reſpicit omnes actus ſubſequentes. Ita alijs citatis docet Vecchius cit. dub. 12. num. 8.

18 QVAERES. An profeſsio nulla prætextu metus grauis ſit inualida iure naturæ diuino, an ſolum iure pontificio?

℞. Eſt inualida iure eccleſiaſtico. Probatur, Tum quia ex natura rei idem voluntarium ſufficiens ad peccatum ſufficit etiam ad profeſsionem, vt probaui ſupra q. 2. ſed ad peccandum ſufficit voluntarium cum metu graui cõiunctum, vt patet in coacto ad fornicandum, qui ſine dubio peccat mortaliter, licet fornicetur ad euitandum mortem, ergo ſi idem voluntarium coactum non excuſat à peccato, quare excuſabit à profeſsione? non niſi, quia eccleſia non vult per illum valere profeſsionem, quamuis alias valeret iure naturæ. Tum quia cur non valet profeſsio metu graui extorta, tenet vero iuramentum? niſi quia ita decreuit eccleſia de iuramento, vt expreſſit cap. Si vero, cap. Verum, de Iureiur. non autem de profeſſione, & ita docent Arrag. 2. 2. q. 88. art. 2. Azor. lib. 11. cap. 15. q. 6, quos citando ſequitur Sanch. lib. 4. cap. 3. num, 9. Vecchius dub. 12. num. 7. contra Sotũ; & alios apud eoſdem probantes 1. quia nullum violentum perpetuum, ſecundum Philoſophum; ſed loquitur de violẽto ſimpliciter & de vi præciſa, non de metu, & violento ſecundum quid, vt nos. 2. quia in nullo iure reperitur hu-

iuſmodi irritatio, ſed ſupponitur ex natura rei; at licet de hoc non habeatur expreſſa ſcriptura, & tamen certū per traditionem, & conſenſum omnium fere doctorum, de quibus Sanchez lib. 4. cap. 3. nu. 12. Demum 3. quia ex Pſalmis relatis in cap. Præſens, 20. q. 3. votum debet eſſe voluntarium, & beneplacitum, ideſt, libere, & ſine coactione emiſſum, ergo de iure naturali diuino: ſed non obſtat Dauid, cum votum adhuc liberum ſit, & beneplacens, ideſt, de re honeſta, & ad honorem Dei, cui ideo placeat, licet non habeat libertatem iure pontificio requiſitam.

19 QVAERES. Quidam pater multoties ſuaſit filio ingreſſum religionis, cui reſiſtenti adiecit, ſi non ingrederis, ego te de domo eijciā, & amplius alimenta tibi nō præſtabo, viuas ex tuo labore; ille in ætate viginti annorum conſtitutus, timens, ne à patre domo expelleretur, ægreferendo, religionem fuit ingreſſus, in qua etiam profecit intuitu eorum, quæ pater ſibi comminatus fuerat. An poſſit reclamare prætextu nullitatis ſuę profeſſionis?

℞. Nulla eſt huiuſmodi profeſſio, & vt talis in facti cōtingentia declarata fuit. Probatur, tum quia timor reuerentialis alijs adiunctis impedit valorem profeſſionis, ex probatis q. 14. ſed cum res vertatur inter patrem, & filium ſine dubio adeſt timor reuerentialis, & non tantū, ſed præterea alius timor perdendi nempe alimenta, & expellendi è domo, quæ coniuncta cum metu reuerentiali æquiparantur metui cadenti in virum conſtantem. Tum quia alimenta, & patrimonium coincidunt præſertim in re hac, vt colligitur ex ijs, quæ tradunt doctores in cap. 2. de ijs. quæ vi, & docet Graff. lib. 2. de Abitr. cap. 49. num. 10. ſed timor amittendi patrimonium cadit in virū conſtantem ex cit. cap. 2. ergo. Tum quia negans alimēta necare videtur l. Necare videtur ff. de libert. agnoſc. Tum quia timor amittendi alimenta eſt metus perdendi omnia propria bona, & vitam ipſam, maxime cum dictus filius aliunde viuere nequeat, ſed timor perdendi maiorem

iorem bonorum partem, vel etiam omnia cadit in virum conſtantem ex adductis ſub q. 13. in fine, ergo ſufficit ad irritandam profeſſionem. Graff. ſupponit hoc tom. 2. conſil. 7. de regul. num. 16.

20 QVAERES. An mente captus, ebrius, & furioſus poſsit valide profiteri?

℞. Nullus horum poteſt valide profiteri. Probatur. Tum ex cap. Sicut tenor. de regul. vbi dicitur nulla profeſsio furioſi. Tum quia iſti carent conſenſu neceſſario ad profitendum, & in hoc nulla difficultas. Intellige prædicta modo mente capti non habeant lucida interualla, ſi enim aliquibus temporibus vtantur ratione, tunc valide profiteri poſſunt ex hoc capite, quia illis non deeſt ſufficiens conſenſus ad hunc actum. In dubio autem cũ nullus præſumatur amens, præſumendum eſt eſſe ſanæ mentis, & ſic tenere profeſsionẽ emiſſam. Vide Sanch. lib. 4. diſp. 8. in ſimile de matrimonio, & de hac re Vecchium diſp. 13. dub. 1. num. 10.

21 QVAERES. An dum quis eſt ſanæ mentis, ſi deliberet voluntatem emittendi profeſsionem, valide profiteatur poſtea in furore, ebrietate, ſeu dementia conſtitutus?

℞. Non, Tum quia profeſsio fit per conſenſum liberum, qui tunc abeſt. Tum quia is conſenſus humano more præſtandus eſt, quo modo caret amens in actu dementię. Ita de Voto tenet Angles part. 2. q. 1, de Voto diff. 3. concl. 4. Sanch. lib. 4. cap. 1. num. 6. Nec dicas voluntatem præcedentem virtute perſeuerare in ceremonijs, & ritibus præparatorijs ad profeſsionem; quia verũ eſt, quando profitendus ratione vtens alio diſtractus non aduertit ad profeſsionem, quam legit, non autem reſpectu eius, qui tunc non poteſt aduertere, eo quod tunc ratione vti non valeat, conſequenter non operatur humano more. quod eſſet neceſſarium ad perſeuerandum actum virtualiter ad profeſsionem emittendam.

22 QVAERES. An valeat profeſsio emiſſa calore iracũdiæ, aut alia animi perturbatione abſtrahẽdo à metu, vt ſupra?

 ℞. Te-

℞. Tenet, ſi animi paſſio non aufert vſum rationis in actu profitendi. Ratio eſt, quia ira non obſtante, adeſt ſufficiens vſus rationis ad conſentiendum profeſsioni, & ſicut ſufficit ad peccandum mortaliter, ita & ad profitendum Tenent ita communiter doctores cum Nau. Com. 2. de regul. num. 67. §. Addo 13. & in Manuali cap. 12. num. 52. Sanch. lib. 4. cap. 1. num. 2. Silu. Votum 2. q. 13. Arm. num. 6. Graff. part. 1. lib. 2. cap. 21. num. 3.

Non deſunt oppoſitum tenentes profeſsionem calore iracundiæ emiſſam non valere, relati à Sanch. lib. 1. diſp. 8. num. 3. §. Quidem, vbi multa refert argumenta, quę probant ſolum non habere locum profeſsionem, quando iracundia priuat vſu rationis, iuxta illud. Ira impedit animum ne ſciat cernere verum. Eſt enim id verũ de impedimento vſus rationis.

23 QVAERES. An dolus, ſeu error cauſæ finalis profeſsionem reddat nullam? e. g. Petrus erronee putat in quadam religione conferri beneficia curata, vnde ex hoc motus profitetur. Item coniugatus ex facto diuortio, quod legitimum putabat, mouetur ad profitendum. Item ex larga promiſsione ſed ficta nouitius mouetur ad profitendum. Item quis mouetur ad profitendum, quia putat ſe non teneri ad chorum, vel poſſe priuatim comedere &c. Error autẽ tunc dicitur eſſe cauſa finalis, quando ab ea mouetur nouitius ad profitendũ, alias non profeſſurus, ſi deceptionem, aut errorem agnouiſſet.

℞. Error, & dolus, ſeu deceptio, quæ non cadunt ſuper ſubſtantialia voti vt in præallegatis caſibus non irritãt profeſsionem. Vtique vero ſi deceptio ſit circa ſubſtantialia.

Primum, de deceptione extra ſubſtantialia, licet alias non profeciſſet, probatur tum authorit. cap. fin. 20. q. 3. vbi tenet profeſsio eius, qui ſeductus fuit ab Abbate; & cap. Ex parte tua, de conuerſ. coniug. iuncta gloſ. Falſa ſit cauſa, vbi dicitur valida profeſsio eius fæminæ, quæ falſo putabat poſſe diſſolui matrimonium cauſa lepræ, quæ ipſam induxit ad profitendum. Tum ratione, quia

in contractibus ſpiritualibus, vti eſt profeſsio, non ſpectatur cauſa, ſed ſtatus, ad quem perſona tranſit, qui cum ſit melior, & perfectior ſtatu ſecularis, ideo profeſſus nō dicitur deceptus gloſ. v. Ad fatuitatem cap. 6. de ijs, quæ vi. Tū quia principalis finis profeſsionis eſt ſeruire Deo, reliqui vero, licet quandoque magis alliciant ad eam, tamen quia ſunt ſecundarij, non valent dirimere profeſsionem. Tum quia is error, & dolus non aufert voluntariū neceſſarium ad profitendum, cum non ſit circa ſubſtantialia iuxta quod illud cōmune Axioma explicatur, ergo Hanc tenent Nau. Com. 2. de regul. num. 31. conſil. 46. num. 2. Vecchius diſp. 13. dub. 13. num. 3. Silu. Diuortium num. 25. Bonac. p. 3. de Voto §. 2. num. 5. §. Dixi Sanch. alios citans lib. 10. diſp. 9. num. 20. Ex his patet reſolutio ad dubia ſuperius enumerata, in illis enim omnibus caſibus tenet profeſsio.

Secundum, de deceptione circa ſuſtantialia, probatur, quia in tali caſu deeſt conſenſus de valore profeſſionis, facit enim illud commune axioma. Nichil magis contrarium conſenſui, quam error. l. Si per errorem ff. de Iuriſd. omn. iud. Neceſſe autem eſt vt error ſit ex ignor. probabili aliter actum tenet Sanch. lib. 4. cap. 2. nu. 14. Ita omnes docent ex doctoribus præcitatis. Ex dictis facile reſpondetur ad ſubiecta quæſita.

24 QVAERES. An per errorem putans inuincibiliter profiteri in religione Dominicana, valide proficiat in Carmelitana?

℟. Eſt inualide profeſſus. Tū quia eſt error circa ſubſtantialia profeſſionem irritans, ex probatis præced. q. Tum quia actus agentium non operantur vltra eorum intentionē, Thomaſet. Reg. 13. & maxime in contractibus, Gloſ. Nec intentio & v. Intentio extr. de Verb. ſign. per iura ibi citata, inter quos eſt profeſſio; iſte autem nō intendebat profiteri in Carmelitana, ergo reſpectu eius inualide profecit, ſicut & reſpectu alterius, cum eius profeſſionem non legerit. Tum quia ſicut non tenet matrimonium eius, qui credebat contrahere cum vna, ſi de fa-

ctò contraxit cum alia de communi, apud Sanch. lib. 7. diſput. 18. Bonac. q. 3. de Matr. p. 2. num. 2. Ita neq; profeſſio in noſtro caſu, valet enim argumentum ab vno ad alterum. Ita tenent Sotus lib. 7. q. 1. art. 2. Leſſ. lib. 2. cap. 40. dub. 2. quos citando ſequitur Bonac. p. 3. de voto §. 2. num. 4. Sanch. lib. 10. diſp. 9. num. 21. & alij communiter.

25 QVAERES. An valeat profeſſio eius, qui putabat probabiliter carnes comedi in religione quam profecit, & poſtea inuenit oppoſitum, alias non profeſſurus?

℞. Non valet, quando is non nouiſſet, ſi talem prohibitionem prænouiſſet. Probatur, quia votum factum cũ errore verſante circa difficultates magni momenti æquiparatur ei, quod fit cum errore ſubſtantiali, quod non tenet, ergo non tenet. Ita docet Sotus lib. 7. q. 1. art. 2. §. Scicitaris, quem citando ſequitur Sanch. lib. 4. cap. 2. nu. 11. & alij, quos ſequitur Vecchius diſp. 13. dub. 13. num. 1.

26 QVAERES. An teneat profeſſio eius, qui putabat inuincibiliter votum profeſſionis durare per aliquot tempus, & non eſſe perpetuum, ſed poſſe exire à religione poſt annos viginti exempli gratia?

℞. Nulla eſt, Tum quia error eſt circa ſubſtantialia, nam perpetuitas eſt de ſubſtantia, & eſſentia profeſſionis ex probatis cap. 1. q. 4. & 8. Tum quia actus agentiũ non operantur vltra eorum intentionem ex vulgatis iuribus. Tum quia alias non vouiſſet, vt ſuppono. Ita inſinuat Vecchius cit. præced. quæſito.

27 QVAERES. An teneat profeſſio eius, qui inuincibiliter putabat ſe poſt profeſſionem poſſe retinere proprium, aut vxorm ducere, alias non profeſſurus?

℞. Non tenet, quia eſt contra ſubſtantiam profeſſionis, in qua promittitur paupertas, quę eſt abdicatio proprietatis, & caſtitas, quæ non ſolum impedit, ſed etiam dirimit matrimonium contractum, ergo nulla, præſertim cum alias tale onus ſibi non impoſuiſſet, vt ſuppono

ſi enim

ſi enim abſolute vouit, teneret profeſſio, quia adeſt ſufficiens conſenſus in eam. Inſinuat id ex parte nempe de retinendo dominio Vecchius cit. dub. 13. num. 1. Et pro hac re facit Gloſ. cum Vgone, quæ v. Adminiſtratione cap. Monachi, de ſtatu Monach. & cap. fin. de condit. Appoſit. tenet adiectum pactum de proprio retinendo vitiare profeſſionem, quibus adhæret Sanch. lib. 5. diſp. 9. num. 14. §. Ad quartum, explicando cap. fin. Ne cler. vbi videtur valere profeſſio cum appoſita conditione remanendi in propria domo cum omni ſua ſubſtantia .1. quo ad vſum. Siue ergo profitens inuincibiliter putet poſſe profiteri retinendo ſibi proprium, ſiue exprimendo hanc ſuam voluntatem, inualide profitetur, quia conditio eſt contra ſubſtantiã profeſſionis. Compend. Reſol. 101. num. 58.

28 QVAERES. An valeat profeſſio ordinata ad malum finem. e. g. quis obligat ſe ad profitendum, ſi obtinuerit aliquod malum, vt litem iniuſtam, furtum adulterium, &c.

℞. Profeſſio facta in gratiam mali operis, vel pro gratiarum actione mali obtenti, vel per illam intendens illum finem malum obtinere, nullius momenti eſt, immo eſt maxima impietas, & blaſphemia. Probatur Tum ex cap. In malis, 22. q. 4. vbi dicitur, in turpi voto muta decretum. Tum quia omnes noſtræ actiones ſpecificantur à fine; ſed finis eſt malus, ergo & profeſſio huiuſmodi, conſequenter non poteſt eſſe votum, quod de ſola re bona eſt. Tum quia Deus non acceptat aliquod malum. Ita tenet Nau. cap. 12. num. 43. & Com. 2. de regul. nu. 67. §. Addo 13. Tabiena Votũ §. 11. ad finẽ nu. 3. Sanch. eoſdem citans lib. 4. cap. 6. num. 14. Vecchius diſp. 13. dub. 14. num. 1. & 2. Bonac. p. 4. de Voto §. 1. ad finem vbi cum prædictis aſſerit id procedere etiam, quando finis eſt ſolum veniale peccatũ; & ſic profitens peccat mortaliter, quia grauem iniuriam irrogat Deo, & religioni immo blaſphemus eſt, quia aſcribit Deo, quod diabolo tribuitur.

29 QVAE-

29 QVAERES. An teneat profeſſio eius, qui ad obtinendum aliquod bonum pendens à fine turpi vouet religionem? e. g. Petrus emittit profeſſionem eo quod obtinuit filium ex adulterio, vel quia euaſit incolumis ex bello iniuſto, vel quia non fuit captus in furto.

℞. Tenet, quia is actus proxime ſpecificatur à fine bono, licet dependeat à cauſa mala. Neceſſe eſt autem, vt res obtinenda non ſit mala, aliter nullum eſſet votum, ex probatis mox; vnde bene aduertit Sanch. cit. num. 16. contra Sotum, & alios votum emiſſum ad obtinendum lucrum ex ludo iniuſto ſeu ex vſuris, non tenere, quia ſunt lucra licet naturaliter bona, tamen moraliter ſunt mala, & peccaminoſa, reſtitutioni obnoxia.

30 QVAERES. An mutus valide profiteri poſſit?

℞. Sic. Tum quia eam exprimere poteſt nutibus, qui verbis æquipollent, & voluntatem operantis oſtendunt Cap. Qui recedunt, 26. q. 6. Tum quia valet matrimonium à muto contractum ex communi apud Sanch. lib. 1. diſp. 8. num. 12. ergo & profeſſio, pari enim paſſu currunt. Confirmatur quia non minor cognitio, & conſenſus requiritur in matrimonio, quam in profeſsione. Ita Azor lib. 12. cap. 4. q. 1. Sanch. lib. 5. cap. 3. num. 2. qui docet, hæc non habere locum in eo, qui etiam ſimul eſt cæcus, vel eſt talis naturæ rudis, vt non poſsit percipere, quid ſit ſtatus religionis, & profeſsio, iſtius enim nullam putat profeſsionem, quia legitime in eam conſentire non poteſt.

31 QVAERES. An Nouitius valide profiteri poſsit per procuratorem?

℞. Poteſt. Suadetur tum quia poteſt contrahi matrimonium ex cap. fin. de Procuratore in 6. ergo & profeſſio. Tenet enim argumentum, non enim eſt maioris excellētiæ profeſsio quam matrimonium præſertim ſi ſpectetur vt ſacramentum, ſub qua ratione etiam contrahitur matrimonium per procuratorem, vt de cōmuni docet Sanch. lib. 2. diſp. 11. Tum quia id omne poteſt fieri à procuratore, quod non prohibetur argumento regul.

Poteſt

Poteſt quis,in 6. ſed id nullibi in iure communi prohibetur, ergo fieri poteſt per procuratorem. Ita Silu. Religio 3. q. 15. Tabiena v. Nouitius q. 11. num. 12. Arm. num. 14. Sà religio 14. Rodr. tom. 3. q. 17. art. 13. Dixi, iure communi, quia ſi ex ſtatuto ſpeciali alicuius regulæ prohibetur, non poteſt tunc fieri, vt notat Azor. lib. 12. cap. 5. §. 5. ex Sanch. lib. 5. cap. 3. num. 7.

32 QVAERES. Quæ cõditiones requirantur in procuratore?

℞. Illæ omnes, quæ requiruntur in procuratore ad matrimonium, de quibus agunt Sanch. lib. 5. cap. 5. num. 8. & Rodr. tom. 3. q. 17. art. 13. Sanchez eas ad quinque reducit. Primò, debet habere ſpeciale mãdatum ad hoc. Secunda, determinatum ad profitendum in tali religione. Tertia, non poteſt id exequi per alterum, niſi habeat etiã ad hoc ſpeciale mandatum. Quarta, vt tempore, quo procurator facit profeſſionem, non ſit reuocata ei poteſtas, etiam ſolo actu interno; & debet voluntas nouitij ſaltem virtualiter adeſſe dum à procuratore fit profeſſio, licet fortaſſis antea fuerit ficta. Quintò demum non debet eſſe metu extorta procuratio, iuxta dicta ſuperius ſub q. 12.

33 QVAERES. An adiectione iuramenti profeſſio nulla ſiue iure naturali, ſiue poſitiuo validetur?

℞. Non. Probatur, quia quando nulla eſt iure naturæ, puta defectu conſenſus, aut vſus rationis in adiecto iuramento non interuenit conſenſus, neq; vſus rationis ergo remanet adhuc nulla. Quando nulla eſt iure poſitiuo adhuc per coniunctum iuramentũ nõ ſupplentur conditiones requiſitæ, ergo. Tum quia iuramentum non validat contractus iure poſitiuo inualidos, quotieſcunq; lex eos irritat ob bonum commune Suar. cap. 22. de Iuram. Negal. 1. 2. lib. 4. cap. 2. num. 3. ſed profeſſio eſt contractus, qui irritatur ob bonum commune, ob non ſeruatam formam iure poſitiuo requiſitam, ergo. Tum quia nullo iure probatur adiectione iuramenti profeſſionem conualidari; & id locum habet in profeſſione etiam metu extorta;

ta, vt inſinuat Sanch. lib. 4. diſp. 21. num. 6. & cap. 11. num. 14. lib. 3.

34 QVAERES. An valeat profeſſio viri inter moniales, & fœminæ inter viros religioſos?

℞. Non. Tum quia conſenſus ex parte profitentis eſt irrationabilis, nulla lege neq; conceſſus neq; permiſſus, ergo nulla profeſſio. Tum quia deeſt conſenſus ex parte conuentus, qui ſine dubio vult, & intendit acceptare perſonam ſui ſexus, & non diuerſi. Tum quia ex cap. Definimus, cap. In nullo loco, 18. q. 2. prohibetur cohabitatio virorum, & fœminarum ſimul in eodem loco; ergo, & inibi profeſſio, quæ ius dat ad cohabitandum cũ perſonis ſuæ profeſſionis. Ita Nau. conſil. 47. de regul. Rodr. tom. 2. cap. 6. in fine Sà religio num. 30. Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 40. Bonac. q. 2. de clauſ. p. 10. Diff. 2. §. 5.

35 QVAERES. Quid dicendum ſit de Hermaphrodito.

℞. Æqualem ſexum habens non eſt capax profeſſionis, quia non eſt ſimpliciter vir, vt poſſit cum viris profiteri neq; ſimpliciter fœmina, vt poſſit inter moniales profiteri, ſed vtraq; perſona eſt, reſpectu cuius non inuenitur religio eaſdem recipiens. Quando autem alter ſexus excedit alterum valide profiteri poteſt excedens cum perſonis ſexus excedentis, quia eſt de ſexu illarum. Nichilominus Rodr. cit. cum Sanch. aſſerit de facto hos non eſſe admittendos, ſed aliquando admiſſos eſſe expellẽdos etiam decreto Sacri Concilij non ſeruato, quia remanẽdo in religione poſſunt eſſe proxima cauſa incontinentiæ alijs religioſis,

36 QVAERES. An excommunicatus valide profiteatur?

℞. Sic. Tum ex cap. Cum illorum, de ſent. excom. vbi ſupponitur valida profeſſio, ex eo quod ibi dicitur, quod religionem ingreſſi abſolui poſſunt ab excommunicatione contracta ante ingreſſum. Tum quia profeſſio non eſt beneficium eccleſiaſticum ex probatis cap. 1. q. 43. ſed

ſtatus

ſtatus religioſus, vt docet Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 36. Tum quia acta ab excommunicato etiam tolerato, vt à perſona priuata tenent excepto teſtamento hæretici, vel percuſſoris Cardinalium Cap. Fælicis, de Pœnis in 6. Sed profeſsio fit vt à perſona priuata, ergo tenet profeſsio facta in excommunicatione. Nouitius autem ſic profitens peccat venialiter, aut mortaliter, ſi communicat in actione ſacra, vt ſi dicantur aliquæ preces à ſacerdote recipiẽte profeſsionem; recipiens vero & alij adſtantes non peccant, niſi nouitius ſit nominatim denuntiatus, in tali enim caſu peccarent ſicut ille, quia prohibita eſt communicatio aliorum cum ipſo nominatim denuntiato, ſicut ipſi excommunicato etiam nundum denuntiato prohibita eſt communicatio cum alijs. Ita Sanch. lib. 5. cit. Sair. lib. 2. de conſ. cap. 9. num. 19. & 20. Nau. com. 4. de regul. n. 25. §. Quarto. Bonac. q. 2. de excom. p. 5. num. 2. Rodr. part. 2. q. 63. art. 3. qui cum Nau. & alijs tenet, licet profeſſio ſit valida, nouitium non aquirere jus ad alimenta, eo quod profeſſionem vocant quoddam beneficiũ regulare, cuius fructibus excommunicatus vti non poteſt. Sed non ſunt in hoc audiendi, quia per profeſſionem præciſe nullum beneficium proprie acceptum acquiritur, vt probaui cap. 1. q. 43. vbi retuli Nau. & Rodr. aſſerentes prælaturas regulares non eſſe proprie beneficia, ex quibus intuli, neq; profeſſionem.

37 QVAERES. An teneat profeſſio facta ſine habitus ſuſceptione?

℞. Tenet, quia profeſſio, non habitus facit monachũ ex cap. Porrectum, cap. Ex parte, de regul. Verum quidem eſt, quod ad eam præſupponitur geſtatio habitus probationis per annum, aliter nulla eſſet profeſſio, vt dicam cap. 4. q. 17. Quod ſi profeſſio fieret cũ conditione nõ ferendi habitum profeſſionis, teneret profeſſio, & conditio vti irrationabilis haberetur pro non adiecta argumento cap. fin. de cond. appoſ. Quod autem hæc conditio ſit irrationabilis conſtat ex cap. Sanctimonialis, diſt. 33. & cap. Vidua, 20. q. 1. vbi præcipitur, vt profeſſionis

habitus

habitus ſemper, & vbique feratur; & nullus ſuperior præter papam poteſt permittere, vt habitus non feratur, immo neq; occultetur ex cap. 19. ſeſſ. 25. & docet expreſſe Gloſ. Extrinſeci clem. 2. de vita, & honeſt. cler. Nau. conſil. 14. de Regul.

38 QVAERES. An teneat profeſſio cum pacto manendi extra conuentum?

℞. Tenet, ſuadetur tum iure Cap. Inſinuante, qui cler. vbi profeſſio facta à fœmina cum pacto manendi in domo propria tenet. Tum ratione, quia non obſtat ſubſtantię profeſſionis: cum tamen ſit irrationabilis, & contra iura pontificia, quæ iubent profeſſum manere intra ſua clauſtra Nau. Com. 4. de Regul. num. 29. & 30. & conſil. 74. de regul. niſi extra maneat cum aliqua adminiſtratione à ſuperioribus iniuncta Cap. Monachi, de ſtatu mon. Nau. conſil. 14. eod.

49 QVAERES. An profitens in mortali peccet?

℞. Non: Tum quia per eam profitens non recipit ſacramentum. Tum quia emittens alia vota in mortali nõ peccat. Tum quia faciens elemoſinam, qua peccata extinguntur non peccat. Tum quia audiens miſſam, & alia diuina in peccato mortali non peccat, ex eo quod nulla extat lex præcipiens huiuſmodi præſtanda eſſe ab exiſtente in gratia. Tum demum, quia nullã habet obligationẽ conſequendi condonationem ſuorum peccatorum ex profeſſione, conſequenter ponendo obicem per peccatum mortale non peccat.

Vnde non video qua ratio Nau. conſil. 44. de Regul. velit profitentem poſt cænã peccare, licet enim ſit actus heroicus, vt ipſe dicit, & excellens, non tamen prohibetur poſt cænam, æque enim & bene fieri poteſt poſt cænam, ſicut ante; Naldus v. Profeſſio num. 10. bene reijcit eius rationem; ſed male dicit, eum aſſerere eſſe peccatum mortale, pręciſe enim dicit eſſe peccatum, & licet in ſummario exprimatur peccatum mortale, non refertur præciſe ad profeſſionem factam poſt cænam, ſed ad tempus probationis nondum elapſum, hoc enim eſt graue peccatum,

quia

quia attentatur nulla profeſſio, contra expreſſam prohibitionem ſacri Concilij ſeſſ. 25. cap. 15.

40 QVAERS. An pænitens emiſſæ profeſſionis peccet, ſitque in ſtatu peccati mortalis?

℞. Non peccat, quando habet rationabilem cauſam pænitentiæ facti, quia nulla eſt obligatio non pœnitendi poſt factum, ſine tamen cauſa eſt veniale peccatum accidiæ, Silueſter v. votum 2. num. 20. Sà eod. num. 5. conſequenter non eſt in ſtatu peccati mortalis: ita de communi teſtatur Homob. p. 3, reſp. 86. Intellige prædicta, modo pænitens habeat intentionem obſeruandi, & ſtandi promiſſis.

41 QVAERES. An profeſſus vnam regulam cogi poſsit ad profitendum, e. g. An Conuentualis cogi poſsit ad profitendum inter Obſeruantes?

℞. Non: ſuadetur ex cap. Geſta, diſt. 74. vbi dicitur, quod nemo cogitur creſcere, & cap. Integritas. 32. q. 1. dicitur, quod nemo compellitur vouere, quia virginitas ſuaderi poteſt, non præcipi, vnde gloſa Voti, ibidem infert, quod religioſi inuiti non poſſunt cõpelli ad ſtrictiorem vitam. Et exemplum oppoſitum concludit Nau. conſil. 16. de regul. num. 7. quia licet vtriſque eadem ſit regula, non tamen eadem obligatio ſeruandi illam, Conuentuales eam relaxatam pontificijs priuilegijs profitentur, non autem Obſeruantes, ſed ſecundũ rigorem, & mentem ſancti Franciſci.

42 QVAERES. An nouitius anno probationis peracto, ſi velit manere in religione, cogi poſsit ad profitendũ expreſſe?

℞. Sic: Tum quia ita colligitur ex cap. Clerici, de regul. vbi Clericus ſecularis vtens habitu, & nomine monachali, cogitur vt fiat monachus, vel deſiſtat: & ex cap. 16. ſeſſ. 25. vbi ſuperiores nouitios habiles debent admittere, aut è monaſterio eijcere. Tum quia nouitius habet obligationem profitendi, ſi vult manere, debet enim ſe conformare alijs, ergo ex parte monaſterij adeſt ius compellendi illum ad profitendum, non enim datur ius con-

tentioſum

tentioſum ſine coactione ne ſit fruſtratorium cap. Paſtoralis, cap. Ex literis, de off. deleg. Becan. cap. 45. q. 1. n. 10. Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5. num. 27. & dixi de ea in ſcriptis redigenda cap. 1. q. 37.

43 QVAERES. An reſuſcitatus adhuc ſit religioſus, vel teneatur profiteri de nouo ſi velit manere religioſus?

℞. Morte ceſſat obligatio voti, & profeſſionis, quia in omni fere religione profeſſio fit ſeruandi regulam toto tempore vitæ ſuæ, & hoc clarum eſt in mea religione, in cuius forma profeſſionis exprimuntur hæc verba. *Toto tempore vita mea*. Ergo vita morte extincta extinguitur profeſſio, & votum; conſequenter ſi reſuſcitatus vult manere debet denuo profiteri. Ita fere omnes cum Silu. v. Reſuſcitatus. Tabien. ibid. Angel. v. Mors num. 3. Sanch. lib. 4. cap. 14. num. 41. contra Ioan. Andr. in cap. Fraternitatis, de frigid. & Graff. in Addit. ad 2. part. initio nu. 8. & alios probantes, tum quia monachatus eſt quaſi character ab anima indelebilis Card. quem retuli cap. 1. ſub q. 8. Tum quia votum fit Deo, qui nunquam moritur, ergo neq; profeſſio. Sed hæc non obſtant quia licet habeat profeſſio aliquam ſimilitudinem cum charactere, eo quod ſit vinculum indiſſolubile, tamen perpetuo homini non hæret; neq; ex eternitate Dei infertur æterna obligatio in vouente, cuius actiones cum perpetuæ non ſint, ab eo menſurandæ ſunt, & non ab æternitate eius, cui offeruntur. Demum morte extinguitur matrimoniũ, ergo & profeſſio ſpirituale matrimonium.

44 QVAERES. An profeſſus poſſit præſcribere ſuã profeſſionem vt ad eam non teneantur, vt ſi quis depoſito habitu viuat per multos annos extra religionem, ita quod tot annis ad præſcriptionem neceſſarjis expletis non teneatur redire ad ſuam profeſſionem?

℞. Nemo poteſt ſuam profeſſionem præſcribere, vt probatur ex cap. Sicut nobis, de regul. vbi quidam clericus in extremis laborans fec profeſsionem, & licet per multum tempus nunquam fuerit in monaſterio, tamen

cogi-

cogitur ad illud accedete. Et ratio eſt quia votũ,& profeſsio dicunt continuam perſeuerantiam vſq; ad finem vitæ cap. Quod 33. q. 5.

45 QVAERES. An teneat profeſsio emiſſa à nouitio nondum baptizato,accidere enim poteſt, vt quis vere non ſit baptizatus, ſed ſolum apparenter vnde ſi fiat religioſus rationabiliter dubitari poteſt de valore profeſſionis eius?

℞. Non. Suadetur, Tum quia baptiſmus eſt fundamentum reliquorum ſacramentorũ, quæ ſine eo ſubſiſtere, non poſſunt cap. Veniens, de præsbit. non baptiz. ergo multo minus ſubſiſtunt reliqua ſpiritualia, quæ ſunt inferioris conditionis. Tum quia matrimonium carnale contractum à non baptizato non tenet ex impedimento cultus diſparitas de communi apud Sanch. 7. diſp. 71. ergo neq, profeſſio, quæ eſt matrimonium ſpirituale. Tum quia conuentus non conſentit in nõ baptizatum, ſed in fidelem, qualis non eſt iſte, ergo. Tum demum, quia Deus non acceptat eius votum, ergo nullum eſt. Vide Vecchium diſp. 13. dub. 1. in fine.

46 QVAERES. Quæ ætas requiratur ad valide profitendum?

℞. Nemo ſiue maſculus,ſiue fæmina poteſt valide profiteri ante decimũ ſextum annum perfectum iure nouo Sacri Concil. Seſſ. 25 cap. 15. Quare legitima ætas incipit à decimo ſeptimo anno, & non ante. Et in hoc nulla eſt controuerſia. Habet locum etiam in religioſis Militaribus.

47 QVAERES. Quæ ætas requireretur iure antiquo?

℞. Aetas legitima iure antiquo incipiebat ab anno decimo quinto in maſculo, in fæmina vero ab anno decimo tertio, vt habetur. cap. 1. 20. q. 1. vbi gloſa expreſſe, & ibi hæc ætas vocatur adultorum cap. Puella, 20. q. 2. cap. 1. 2. cap. Ad noſtram, cap. Significatum, cap. Cum virum, vbi vocatur ætas diſcretionis de regul. & eod. in 6. cap. 1. Aliter autem tunc facta nulla erat, vt colligitur

F ex

ex locis citatis, eſt communis omnium mens.

48 QVAERES. An malitia ſuppleat ætatem An. ſ. qui non eſt conſtitutus in dicta ætate ita ſit bene conſtitutus, & habilis acumine intellectus, vt optime intelligat ſtatum religioſi, valide pſofiteatur non obſtante defectu ætatis;

℞. Non, Gloſ. v. Minoribus cap. Poſtulaſti de regul. licet enim hoc locum habeat in matrimonio, vt habetur cap. Tuæ de deſponſ. impub. tamen non valet in profeſſione; immo alias ſub hoc tit. de regul. extabat decretalis cum illis verbis: *Niſi prudentia forte ſuppleuerit ætatẽ.* modo ſublatis.

49 QVAERES. An cap. In inſulis. de regul. prohibens profeſſionem fieri ante decimum octauum in Inſulis, ſublatum ſit per decretum Sacri Concil. relatũ ſub. q. 46. Quod idem quæritur de ſtatutis ſpecialibus aliquarum religionum, in quibus prohibetur profeſſio ante talem ætatem etiam poſt decimum ſextum annum, vt in religione Minimorum, prohibetur profeſſio ante decimum ſeptimum expletum. Et in noſtra Nouitij in Flandria non profitẽtur, niſi habeant decem, & octo annos, prout refertur in Conſt. Perſonas vacantes Ioann. 23. Dat. 26. Aug. anno 1414. Item dato quod non ſint ſublata huiuſmodi interdicta; teneat profeſſio contra ea emiſſa.

℞. Dictum cap. In inſulis ſublatum fuit, Statuta ſpecialia requerentia maiorem ætatem remanſerunt. Profeſſio contra hæc facta tenet.

Primum conſtat; tum quia contrario vſu etiam ante Concilium ſublatum fuit, vt teſtantur quidam Canoniſtæ apud Nau. conſil. 33. de regul. Tum quia decretum Sacri Concilij legitimam ætatem, quę iure antiquo diuerſa erat tam reſpectu perſonarum, quam locorum, vt retuli ſupra ſub q. 47. reduxit ad eam vnam ætatem nempe ad decimum ſeptimum incæptum in quacunq; religione, reſpectu cuiuſcunq; perſonæ.

Secundum, quod remanſerint ſpecialia ſtatuta maiorem requirentia ætatem, ſuadetur. Tum quia Conciliũ

conſti-

cōſtituit legitimam ætatem, antequam non valeat attẽtata profeſſio, non prohibet vero, quin legitima ætas poſſit reſtringi. Tum quia Seſſ. 25. cap. 2. eos regulares, qui ſub arctiori regula, vel ſtatutis viuunt ab eorum obſeruantia amouere non intendit, cum ergo hoc ſtatucum requirens maiorem ætatem ſit arctius, quam illud decretum Concilij ſine dubio adhuc remanet. Tum quia ſtatutis ſpecialibus non derogat, niſi de illis ſpecialem faciat mentionem, cap, 1. de conſt, in 6. ſed non facit, ergo.

Tertium, quod profeſſiones factæ contra huiuſmodi prohibitiones teneant, ſuadetur, quia factum contra legem ſimpliciter prohibentem, & actum non irritantem, tenet, vt conſtat, tum ex impedimento interdicti non irritante matrimonium, iuxta à doctoribus tradita in Tit. de matrim. contr. contra interd. eccl. maxime cap. 2. cum Sanch. lib. 7. diſp. 2. tum quia multa prohibentur fieri, quę tamen facta tenent, cap. Ad apoſtolicam, de regul. de eo, qui contra prohibitionem profecit infra annum probationis. Hanc tenent de prohibitione iuris antiqui Sil. 3. q. 4. Angel. v. nouitius num. 3. Arm. num. 4. Tabiena q. 3. num. 4. quos citando ſequitur Sanchez lib. 5. cap. 4. num. 3. quidquid aliqui in contrarium.

De ſtatuto ſpeciali præſertim Minimorum tenent Sanchez cit. num. 5. Rodr. tom. 3. q. 17. art. 20. Mirand. tom. 1. q. 24. art. 2. concl. 2. contra Nauar. conſil. 25. de regul. num. 4. conſil. 28. expreſſius num. 2. probantẽ primo quia nulla eſt profeſſio facta ante legitimam ætatem ex cit. cap. 15. Seſſ. 25. ſecundo quia non tenet actũ contra legem prohibentem, quæ enim contra jus fiunt vtique pro infectis haberi debent reg. 64. in 6. & l. Non dubium, C. de legibus. Sed hæc non obſtant, non primũ quia non dicitur facta ante legitimam ætatem à Concilio præſcriptã ſed vltra determinari, ſicut fecit Clem. VIII. in inſtit. ſuper receptione nouitiorum conuerſorum, quorum profeſsionem prohibuit recipi ante 21. annum expletum, non ideo tamen antea recepta eſt nulla, cum ſit ſimplex prohibitio; vnde ad ſecundum dico, illam regu-

lam locum habere, quando non ſimpliciter prohibetur aliquid, ſed cum irritatur factum, vel lex vlterius procedit, vt factum non teneat, vt ibidem tradunt doctores, item quando additur pæna tranſgreſſoribus tunc lex eſt ſimpliciter prohibens. Bartol. communiter receptus in l. Prætor ait, ff. de noui oper. nunt. num. 3. quem citando ſequitur in hoc Nau. conſil. 7. de cognat. ſpir. Tranſgreſſores autem ſtatuti inordine Minimorum puniuntur, vt videre eſt cap. 2. Correctorij. vbi in fine dicitur. Eorum receptio. 1. ante præfixum tempus, acceptetur, & confirmetur; ergo eorum profeſſio valuit, non enim confirmatur, niſi quod antea erat firmum cap. 6. de fide inſtr. firmum enim acceſſu alterius dicitur confirmari *Cum*, ſeu *Con* eſt dictio coniungens acceſſorie.

50 QVAERES. An ſeruus abſq; domini licētia valide profiteatur? Seruus autem eſt ille qui non eſt ſui iuris, ſed de iure gentium dominio alieno ſubijcitur. Inſtit. de iure perſon. cap. Ius gentium diſt. 1. cap. Cum redemptor 12. q. 2. Tit. de ſeruis non ordin. Quod idem quæritur de colonis aſcriptitijs, & originarijs, qui licet non ſint ſtricte ſerui, perpetuo tamen ſe ſupponũt voluntati aliorum, quorum agros colunt.

℞. Profeſsio eorum facta intra triennium non tenet. Vales vero facta poſt triennium ſi à domino non fuerit requiſitus, niſi ſit tam longe, quod inueniri nõ poſſit. Triennium incipit non à die recepti habitus, ſed à die ſcientiæ. Id totum conſtat ex cap. Si quis incognitus 17. q. 2.

Primum, quod teneat facta intra triennium, probatur, tum quia cum non ſit ſui iuris non poteſt ſe alteri tradere, quod fit per profeſſionem, in qua profitens ſe tradit, & obligat religioni, non enim pro dato habetur, quod quis tradere non poteſt Cap. 5. de Iure patr. Tum quia alias ſequeretur patronum, & religionem eſſe ambos dominos in ſolidum eiuſdem ſerui contra l. Sicut certo §. Si duobus vehiculum ff. de Commod. Tum quia ſicut non tenet profeſſio vnius coniugum ſine licentia alterius cap. Quidam. cap. Placet de Conuerſ. Coniug. Vide

Sanch.

Sanch. lib. 7. diſp. 2. & quod dicam infra cap. 2. q. 74. ita neq; profeſsio ſerui domino contradicente, eſt enim par ratio, quia ſicut alter coniugum non habet poteſtatē ſui corporis ad tradendum ſe extraneo, ita neq; ſeruus eſt ſui iuris ad tradendum ſe religioni ſine licentia domini. Demum in citato cap. Si quis, prohibetur profeſsio intra triennium. Ita tenent Azor. lib. 12. cap. 1. q. 3. Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 49. contra Archid. Bellam. Turrecr. in citato cap. Silu. Religio 2. q. 3. Tab. q. 10. num. 11. Mirand. Tom. 1. q. 17. art. 2. concl. 3. Vecchium diſp. 2. dub. 1. num. 6. alios referentem aſſerentes valere profeſsionem. Tum quia non irritatur à iure. Tum quia vota ſerui tenent quamdiu non irritantur à domino. Sed prima ratio apparet falſa ex probatis; quia cum ſit alieni iuris alteri ſe tradere non poteſt, vnde à iure ſupponitur nulla, quod ſolum irritat expreſſe, quod alias de iure ſubſiſtere poteſt. Secunda tenet in votis ſimplicibus, non in voto profeſſionis, quod requirit vouentis traditionem, cuius non eſt capax ſeruus.

Secundum, quod facta poſt triennium teneat, probatur ex cap. illis verbis. *Si autem intra triennium non fuit requiſitus, poſtea quæri non poteſt, niſi ſit tam longe quod inueniri non poſſit.* Ratio eſt, quia poſt triennium fit iuris ſui, & aquirit libertatem, conſequenter valide profiteri poteſt; ſi enim poſt deſignatum tempus à domino repeti non poteſt, conſentaneum eſt dicere eccleſiam fauore religionis illum liberaſſe à ſeruitute, eundem reſtituendo ad priſtinum ſtatum libertatis, in quo natura omnes conſtituit homines, & id colligitur ex citato cap. Si quis incognitus, & cap. Si ſeruus ſciente diſt. 54. Nec obſtat iſta liberatio, quia non videtur præiudicare domino, qui intra hoc tempus ſuum ſeruum non requirens videtur renuntiare iuri ſuo. Noc placet, quod Ang. Azor. & alij cum Sanch. cit. num. 44. ad hanc libertatem requiri bonam fidem religionis ignorantis illum eſſe ſeruum adhoc vt poſſit illum præſcribere. Tum quia non eſt præſcriptio, ſed tacita manumiſsio domini negligentis reuocare

ſeruum, & ideo cedentis iuri ſuo; Tum quia eſt gratia facta ab eccleſia fauore religionis; Tum quia ſi eſſet præſcriptio potius ſe teneret ex parte ipſius ſerui, qui cum ſit ſemper in mala fide nunquam præſcriberet, acquirens enim, & non alter dicitur præſcribere.

Tertium, de Triennio, ſuadetur Tum quia ſic colligitur ex cit. cap. Si ſeruus, & cap. Si quis incognitus, iunctis Gloſ. Tum quia iuſte impedito non currit tempus cap. 6. & 35. de elect. in 6. l. 1. in fine de Annal. except. Ignorans autem dicitur iuſte impeditus, Pariſius lib. 6. q. 5. num. 85. ergo dominus ignorans conuerſionem ſerui poteſt illum reuocare intra triennium à die ſcientiæ. Ita Roſella Religio 2. num. 1. Silu. ibid. q. 2. & alij quos ſequitur Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 46.

Nota, quod in citato cap. Si quis, dicitur, quod religio tenetur reſtituere illud tantum, quod ſeruus adduxit in monaſterium, & non æſtimationem perſonæ, quia eſt factus liber ex præſumpta renuntiatione iuris ſui facta à domino; ad quod Miranda cit. non aduertens more ſuo dixit teneri etiam ad damna, per cap, Si ſeruus diſt. 54. ſed non aduertit bonus vir ibi ſermonem eſſe de clerico ordinato.

51 QVAERES. An profeſſio filij teneat, parentibus in neceſſitate exiſtentibus. Et ė contra an teneat parentum, quo nomine veniunt pater, & mater, atque alij aſcendentes. Filiorum nomine etiam illegitimi veniunt. Neceſſitas, quæ victum, & veſtitum reſpicit argumento cap. 26. diſt. 5. de Conſecrat. triplex eſt extrema, qua nō ſublata proxime ſine dubio timetur mors, & hæc in moralibus eſt potius ſpeculatiua, quam practica cum rariſſime accidere poſſit breui tranſiens. Grauis ſiue magna; qua quis non valens conſeruare decentiam ſui ſtatus, cogitur notabiliter diminuere ſuum ſtatum, famulando mechanicando, aut mendicando. Rodr. part. 2. cap. 6. num. 4. Angel. Religioſus num. 11, Silu. religio 2. q. 7. Bonac. p. 5. de honor. parent. num. 4. Vecchius diſp. 2. dub. 8.

℞. Profeſſio filij parentibus in quauis ex dictis neceſſitatibus etiam actu exiſtentibus tenet; ſicut parentis in eadem filijs exiſtentibus. Tum quia nullo iure irritatur. Tum quia huiuſmodi neceſſitas eſt quid extraneum ad valorem profeſſionis. Sic tenent Nau. conſil. 3. de regul. Rodr. part. 2. cap. 6. num. 4. & tom. 3. q. 13. art. 5. §. quarto, cum ſuo Compend. reſol. 101. nu. 84. Sanch. lib. 4. cap. 20. nu. 10. Mirand. tom. 1. q. 17. art. fin. concl. 4. vbi id de vtriſq. exprimit.

An autem filius ingrediens peccet, & quomodo facta profeſſione teneatur ſubuenire parentibus.

Dico. Parentibus in magna neceſſitate, & non ſolum in extrema exiſtentibus non poteſt filij religionem ingredi, quando alio modo non poteſt illis ſubuenire per ſe, vel per tertium, niſi maneat extra, & hoc verum eſt ſiue habeat votum ingrediendi, ſiue non, ſiue neceſſitas ſit actu ſiue immineat. Ratio eſt, tum quia præceptum ſubueniendi parentibus præferendum eſt conſilio. Tum quia illud votum ingrediendi pro tunc nõ obligat, & poſt ponitur obligationi ſubueniendi parentibus. Ingrediens autem peccat mortaliter. Ita præcitati in reſponſione, quibus adde Homob. part. 2. ex ℞. 75. Prædicta locum non habent, quando filius manens in ſeculo haberet proximam occaſionem peccandi mortaliter, quam poſſet euitare ingrediendo religionem, tunc tenetur ingredi, quia bonum ſpirituale præfertur temporali vitæ alterius, docent præfati cum Sanch. cit. num. 11. & 12. & Vecchio num. 17.

Filius iam profeſſus, parentibus in maxima, ſeu extrema neceſſitate exiſtentibus, tenetur, etiam prælato inuito egredi, ſi alio modo non poteſt ſubuenire illis, etiam habitu dimiſſo; quia quilibet tenetur ſubuenire etiam extraneo extreme indigenti, quouis ſuperiore inuito, ergo multo magis patri. Et ita docent omnes. Quando autem exiſtunt in magna, prælato contradicente, non poteſt egredi, ſed intra exiſtens eo meliori modo, quo poteſt procurare debet, vt ſubueniat eorum neceſſitatibus; quia

obligatio erga parentes obligat filios reſpectiue ad ſtatum, aſſumptum, vt .5. ei ſubueniant ſalua obedientia, quam debent ſuis prælatis, cui ſe filius tradidit per profeſsionem, à patria poteſtate per illam ſe eximendo, ſiue parentes exiſterent actu in neceſſitate tempore profeſſionis, ſiue non. Ita ſentiunt Tabiena. Arm. v. Pietas Sà Religio num. 2. Rodr. tom. 2. q. 57. art. 3. quos citando ſequitur Sanch. lib 4. cap. 20. num. 17. Bonac. cit. p. 5. num. 6. §. Dix. Alij apud citatos abſolute concedunt poſſe exire, prælato inuito quidam alij idem admittunt, ſi ante profeſſionem parentes erant in graui neceſſitate, de quibus videte Megalium 1. 2. lib. 2. cap. 2. q. 3. & Sanch. dictas tres opiniones referentes.

Prælatus licet non teneatur hanc licentiam exeundi ad ſubueniendum parentibus, iuſtam tamen habet cauſam illam concedendi, quando filius manens in conuentu non poteſt ſuccurrere neceſſitati parentum. Hanc dare poteſt Generalis, aut Prouincialis docent Nau. conſil. 71. de regul. vbi ſe citat Com. 3. de regul. num. 49. Nanuel p. 2. cap. 6. num. 4. Immo Megal. cit. num. 18. aſſerit poſſe exire licentia petita licet non obtenta, vbi cum alijs obſeruat non poſſe dimittere habitum, etiam cum licentia ſuperiorum, quia id eſt ſolius papæ, vt hic ſupra probaui ſub q. 37.

Hactenus dicta de filijs erga parentes locum habent in parentibus erga filios, quia eodem iure cenſendi ſunt, & relatiua non iudicantur imparia, vide D. Thom. 2. 2. q. fin. & alios quos ſequitur Sanch. lib. 4. cap. 20. q. fin. à num. 34.

52 QVAERES, An valeat profeſſio illegitimi?

℞. Iure communi, & nunc tenet. Suadetur ex cap. 1. diſt. 56. & cap. 1. de fil. præsbit. Ratio eſt, quia, vt inquit D. Aug. relatus cap. Sponſus ille. dict. cit. 56. filijs iniquitates parentum obeſſe non poſſunt.

Dixi, iure communi, quia olim Sixtus V. Conſt. Cnm de omnibus. Dat. anno 1587. Illegitimos ex inceſtu cõſanguinitatis, & affinitatis intra tertium gradum, & ſacri-

legio

legio alterutrius ex voto caſtitatis, alias etiam à quouis legitimatos prohibuit admitti ad habitum, & profeſsioné, ad quem ſi fuiſſent admiſsi, mandat eoſdem tamquam perpetuo inhabiles omnino expelli irritando eorum habitus, & profeſsionis receptionem, ac ſi nunquam ab illis fuiſſet emiſſa. Eoſdem tamen, ſubdit, poſſe admitti ad habitum famulorum ea tamen conditione vt non admittantur ad profeſsionem. Alios vero illegitimos concedit poſſe admitti, eorum ſuffragantibus meritis, & prævia informatione facta in capitulis generalibus, vel prouincialibus à Generali, vel Prouinciali cum vnanimi conſenſu definitorum, aliter eorum profeſſionem irritat cum expulſione à religione. In alia auté conſtitutione incipiéte Ad Romanum Dat. 1588. prioris declaratiua, exponit legitimatos per ſubſequens matrimonium, quod inter illos poterat eſſe tempore copulæ, non comprehendi ſub dicta conſtitutione. Poſtea Greg. 14. Conſt. Circumſpecta. Dat. anno 1590. prædictam Sixti moderando quod ad illegitimos, reduxit ad terminos iuris communis, ita tamen, vt præmittantur informationes de vita, & moribus, & alijs requiſitis in conſtit. Sixti V. & eorum ſuffragentur merita; dummodo tamen filius illegitimus, in religione, in qua pater, ſiue ante, ſiue poſt natiuitatem filij profeſſus fuerit, ipſo patre viuente non admittatur. Demum Clem. VIII. Conſt. In ſuprema eccleſiæ. Dat. anno 1596. Sixti V. Conſt. in ijs, quæ concernunt nullitatem profeſſionis reduxit ad terminos iuris communis. Priores refert. Rodr. Tom. 3. q. 54. in fine. addit vltimam Mirand. tom. 1. q. 19. art. 3. Vecch. diſp. 2. dub. 12. Quar. v. Monaſteria.

53 QVAERES. An præſcindendo à conſt. Clem. VIII. citata teneat profeſſio eius illegitimi, qui poteſt admitti, ſi non fuerint præmiſſæ informationes iuxta conſtit. Sixti V. de illegitimis ex non damnato coitu habilibus, & de omnibus illegitimis habilitatis per conſtitutionem Greg. 14.

℟. Tenet profeſſio, nulla præuia informatione, neq;

meritis

meritis ſuffragantibus, loquendo de conſt. Greg. 14. Tũ quia conſtit. Sixti V. quod ad profeſſionem illegitimorũ omnium reduxit ad terminos iuris, & per hoc fecit illos habiles ad religionẽ, ergo nõ obſtantibus prætermiſſa informatione, & meritis non exiſtentibus tenet profeſſio. Tum quia excipiendo filium, cuius pater eſt in religione, illius profeſſionẽ ſimpliciter prohibet non irritando, ergo ſi tenet huius profeſſio, multo magis aliorum. Tum quia licet Clem. VIII. citet conſtit. Sixti, & Greg. initio, tamen dum reducit ad ius commune profeſſiones factas cõtra præſcriptam ab illis formam ſolũ meminit Sixti V. quod eſt ſignum Greg. non irritare profeſſionẽ. Quare illæ clauſulæ. Ita tamen, non ſunt formæ eſſentiales, ſed accidentales, quarum omiſſio actum non irritat. Ita ſentiunt Rodr. tom. 3. q. 10. art. 5. fine Mirand. tom. 1. q. 19. art. 3. concl. 3. & q. 21. art. 5. concl. 2. Compend. Reſol. 76. num. 10. vbi alios citant.

54 QVAERES. An Greg. 14. per ſuam conſtit. prohibeat ingreſſum quibuſcunq; filijs in eam religionem, in qua viuit pater.

℞. Non, ſed ſolum inceſtuoſis, & ſacrilegis, quia eius conſtitutio non eſt odioſa, ſed fauorabilis, nam ad religionem omnes alias habiles ex conſt. Sixti V. adhuc relinquit idoneos, & præterea inhabiles facit habiles; ſed Sixtus V. non excluſit illegitimos ex non damnato coitu ergo neq; hos excludit Gregorius.

55 QVAERES. An filius procreatus ex alterutro, vel altero ſaltem voto caſtitatis ſimplici adſtricto, ſit ſacrilegus, ita quod eſſet inhabilis ad religionem tempore Sixti V.

℞. Non. Tum quia is per ſubſequens matrimonium legitimatur, cum inter eos poſſit eſſe validum matrimonium, licet non licitum; ſed huiuſmodi filij non includũtur in conſt. priore Sixti, vt ſe declarat in poſteriore, vt retuli ſub q. 51. §. Dixi. Tum quia non eſt ſacrilegus filius ſuſceptus à coniugatis poſt emiſſum votum etiam ſolemne per profeſſionem, vel ordinem ſacrum, ergo multo

minus

minus reſpectu voti ſimplicis. Rodr. tom. 3. q. 10. art. 6. ad ea quæ dixit tom. 2. q. 30. art. 2. Vide Sanch. lib. 1. diſp. 2. num. 8. & lib, 9. diſp. 38. num. 3. & 5.

56 QVAERES. An filius illegitimus viuente patre valide profiteatur in ea religione, in qua eſt ille?

℞. Valide profitetur non ſolum iure communi ex cap. Ad abolendam, de fil. præsbit. iuncta gloſ. In ſecularibus, vbi dicitur quod filii illegitimi non poſſunt inſtitui in eccleſia ſeculari, vbi eſt pater inſtitutus, ergo vtiq; in eccleſia regulari. Quare cum Greg. 14. cit. ſub q. 51. conſtit. Sixti V. in qua illos conſtituerat inhabiles ad religionē, reduxerit ad terminos iuris communis bene infertur etiā nunc horum valere profeſſionem emiſſam in religione, vbi viuit pater profeſſus; nam licet expreſſe prohibuerit eis religionis ingreſſum, profeſſionem tamen non irritauit vt dixi ſub q. 52.

57 QVAERES. An duo fratres ſimul profiteri poſſint in eadem religione?

℞. Poſſunt, quia nichil obſtat in contrarium, fraternitas ſiquidem naturalis neminem inhabilitat ad religionem. Neq; indigentia vnius fratris impedit ingreſſum alterius in religionem, ex hoc tamen habet rationabilē cauſam differendi votum ingrediendi religionem, dum manendo extra poteſt ſubuenire neceſſitati ſui fratris Vide Sanch. lib 4. cap. 19. q. fin. Vecchium diſp. 2. dub. 10.

58 QVAERES. An criminoſi, de quibus Sixtus V. conſt. Cum de omnibus, quorum crimina ſunt homicidia, furta, latrocinia, & alia ſimilia, vel grauiora, ſint inhabiles ad profeſsionem?

℞. Valet nunc profeſsio, quia Clem. VIII. horū profeſsionem reduxit ad terminos iuris communis; ius autem commune criminoſorum profeſsiones non irritat, nec illos ad profitendum inhabiles reddit, ſi volunt conuerti cap. Legem diſt. 83. cap. Multos diſt. 54. cap. Monaſteriis 19. q. 3.

Dixi, Nunc, quia tempore Sixti V. erant inhabiles ad reli-

religionem, vt ſtatuit illis verbis: *Omnes autem, & quotcumq; vt dictum eſt criminoſos, vel ſuſpectos, aut ære alieno, vt etiam diximus, vel rationibus reddendis obligatos, ad religionem perpetuo inhabiles declaramus. Et ſi qui eorum contra præſentem noſtram conſtitutionem temere admittentur, tam ſuſceptionem habitus, quam profeſſionem, & inde ſecuta ex nunc prout ex tunc pari modo irritamus, & annullamus, &c.* An ſi bona fide prætermiſſis informationibus ſint habiles, ſi nullum appareat impedimentū? dixi cap. 3. q. 40.

Vt autem quis dicatur criminoſus ad effectum huius inhabilitatis requiritur. 1. vt comiſerit homicidia, furta, latrocinia, rapinas, aut alia grauiora, minora enim, non excluditur, Lamas in Inſtr. Confeſſ. in Append. §. 15. & 16. 2. vt ſit accuſatus, vel inquiſitus in ſpecie. 3. Vt cæptum ſit iudicium coram iudice ſeculari. 4. & hoc ante ſuſceptionem habitus. Poſteriores tres conditiones exprimit in ſecunda prioris declaratiua. §. Circa criminoſos. Obſeruat Sanch. lib. 4. cap. 16. num. 39.

An autem, qui accuſatus, fuit iam aſolutus, quia delictum non fuit probatum, vel alia ratione, vel quia ſi probatum, iam ſatisfecit curiæ pænas ſoluendo, ſit inhabilis? Reſp. Non, vt colligitur ex prima conſtit. illis verbis. *Quia tuto in ſeculo viuere non poſſunt*, ſed hi tuto viuere poſſunt, cum iam ſint liberi à iuſtitia. Item alijs verbis. *Reos, vel ſuſpectos exiſtere, vt propterea dānati ſint, aut ne damnentur formident*; ſed in dictis caſibus nulla eſt huiuſmodi formidatio timenda; ergo habiles ſunt. Aſſerunt preter Sanch. cit. Mirand. tom. 1. q. 19. art. 8. Rodr. tom. 3. q. 10. art. 7. eius Compend. Reſol. 101. nu. 8.

Licet illorum profeſsio valeat tamen adhuc viget prohibitio contra ſuperiores regulares, qui licite illos admittere non poſſunt neq; ad habitum neque ad profeſsionē, quia Clem. VIII. in ſua Conſtit. conſtitionem Sixti V. reduxit ad terminos iuris communis, ſolum quo ad irritationem profeſsionis prohibitione, & pænis adhuc in ſuo vigore permanentibus contra prælatos regulares. Sic

obſeruat

obſeruat Sanch. cit. num. 39. Vecchius diſp. 2. dub. 12.

59 QVAERES. Quid dicendum ſit de profeſsione ære alieno oppreſsi? 1. Quid de iure communi? 2. Quid de iure conſtitutionis Sixti V.? 3. quid veniat ſub nomine æris alieni? 4. An habens facultatem ad ſoluendum poſsit ingredi? 5. An nullo modo valens nec ſperans poſſe ſoluere poſsit ingredi? 6. An qui renuntiauit, ſeu ceſsit omnia ſua bona poſsit ingredi? 7. An facta remiſsione à creditore poſsit ingredi? 8. An impediat debitum ex mera liberalitate contractum? 9. An debitum contractum ratione pænæ, vt pro iniuria, pro defloratione virginis impediat ingreſſum? 10. Quando quis dicatur ingenti ære alieno oppreſſus? 11. An includantur debita incerta? 12. an actu impotens ad ſoluendum, ſperans tamen ſe fore potentem ad ſoluendum, poſſit ingredi religionem, an teneatur manere in ſeculo, vt ſatisfaciat? 13. An profeſſus debitor teneatur manibus laborare aquirendo aliquid, quo ſatisfaciat ſuo creditori?

Certum eſt in prædictis omnibus caſibus emiſſam profeſſionem tenere non ſolum iure communi, vt probatur hic §. Primo, verum etiam non obſtante Conſt. Sixti V. quia Clem. VIII. eam, quo ad valorem profeſſionis reduxit ad ius commune; extat tamen adhuc prohibitio nõ recipiendi huiuſmodi, vt dixi præced. q. §. licet.

Primo igitur, iure antiquo prohibetur quidem ingreſſus debitoribus ante ſolutionem; ſi tamen ingrediantur, licet ſit illicitus ingreſſus, quando ex hoc fiunt impotentes ad ſoluendum, eorum tamen profeſſio non eſt nulla, quia debitor adhuc eſt ſui iuris, nec cogitur ſeruire ſuo creditori. l. ob æs. C. de act. & oblig. pro quo facit cap. 2. de Pignor. & ita ſentiunt doctores, quos ſequẽdo citat. Sanch. lib. 4. cap. 19. num. 2.

Secundo ex conſt. Sixti V. ingenti ære alieno oppreſſi ſupra vires facultatum ſuarum, vt ex huiuſmodi cauſa lis, vel moleſtia eis iam illata ſit, vel timendum ſit ne inferatur, ſunt inhabiles ad profeſſionem. Nunc autem eorũ profeſſio tenet, licet adhuc vigeat prohibitio, vt dixi §. Certam.

Tertio.

Tertio. Nomine æris alieni venit non tantum pecunia, ſed quodcumq; aliud bonum l. Etiam ff. de Verbor. ſign. Nam non tantum pro peccunia, ſed etiam quauis alia re, quib⁹ lis, & moleſtia inferri poteſt. Et nō hæc tātū, ſed etiam debitum pænæ contractæ ob delictum, vt ſi quis cogatur ducere ſtupratam; Vide Rodr. tom. 3. q. 10. art. 9. Mirand. tom. 1. q. 17. art. 7. §. Tertio. Conſtitutio tamen Sixti loquitur tantum de bonis pecunialibus vel ſtabilibus, & non alijs, loquitur enim de debitis vltra vires ſuas, ergo non de debitis in pænam appoſitis, quia non ſunt proprie debita, ſed pænæ, debitum enim proprie acceptum ex contractu non ex delicto contrahitur.

Quarto. Poteſt, quia non obſtat conſt. Sixti illis verbis. *Supra vires facultatum ſuarum*: Rodr. part. 2. cap. 3. num. 7. & tom. 3. q. 10. art. 9. Sanch. lib. 4. cap. 19. num. 14. Vecchius diſp. 2. dub. 13. num. 15.

Quinto. Nullo modo valens ſoluere de præſenti, neq; in futuro arcetur à religione, quia is ſine dubio ingenti ære alieno oppreſſus dicitur, qui ſupra vires ſuas eſt obligatus, ita quod ſit impotens ad ſoluendum. Nec obſtat Sanch. cit. num. 25. dum dicit, ſic onuſtum non excludi à religione, eo, quod Sixtus in ſua conſtitutione ſupponit culpam in contrahendis debitis, vt colligitur ex illis verbis. *Multi decoctores poſt dilapidatam rem familiarem, &c.* quia aliud eſt culpabiliter contrahere debitum, aliud fieri poſtea impotens ad ſoluendum; de qua impotentia abſolute loquitur papa, & ideo abſolute eſt accipienda.

Sexto. Non obſtat papa, quia cōſtitutionis finis eſt, ne debitor prætextu religionis ſubterfugiat ſolutionem in præiudicium creditoris Rodr. cit. art. 9. Not. fin. Sanch. cit. num. 26. Mirand. tom. 1. q. 17. art. 7. Vecch. diſp. 2. dub. 13. num. 15. Nec dicas cedens bonis æquiparatur impotenti, ergo ſicut is arcetur à religione, & ille; dico enim in priori caſu non conſtare de impotentia, vtiq; in ſecundo, in quo ideo non poteſt timeri moleſtia.

Septimo. Eſt habilis, quia ſic nulla timetur lis, aut moleſtia.

moleſtia, & remiſſio eſt quędam ſpecies ſolutionis Rodr. Not. 4. Sanch. num. 27. Mirand. Vecch. cit.

Octauo. Eſt habilis, quia is proprie ære alieno non cēſetur appreſſus; neq; dicitur cōcoctor, & dilapidator. Sanch. num. 27. Vecch. num. 15.

Nono, De illis non loquitur *Sixtus*, vt probaui ſupra §. Tertio Sanch. num. 26. contra Rodr. cit. Nor. fin. Mirand. cit.

Decimo. Debitum ingens in hac materia eſt illud, quod ſuperat vires facultatum debitoris; is ergo arcetur ab ingreſſu in religionem.

Vndecimo, In conſtit. Sixti non comprehenduntur debita incerta, quia ſuper his lis, moleſtia, aut ſupterfugium fieri non poteſt, ſed ingrediens poteſt relinquere alicui loco pio, aut religioni, quam intendit ingredi, & de hac re Clem. Quar. conceſſit priuilegium ordini Minorum, quod nobis communicatur, commutandi huiuſmodi debita in aliquos pios vſus. Mirand. tom. 1. q. 17. art. 7. Vecchius cit. num. 4.

Duodecimo. Non poteſt ingredi, quando ſperat manendo in ſeculo, poſſe breui tempore ſatisfacere, aliter nō Maior in 4. diſt. 38. q. 17. concl. 3. Nau. com. 1. de regul. num. 8. rat. 6. Sanch. lib. 4. cap. 19. num. 8. vbi diuerſas refert opiones. Tempus autem triennij cenſetur breue.

Decimo tertio. Non tenetur, quia iam factus eſt impotens ad ſoluendum, cum nihil proprij habere poſſit. Roſella Religio 2. num. 5. & v. Reſtitutio 16. num. 3. Ang. & Religioſus num. 7. Silu. 2. q. 4. Tab. q. 11. nu. 12. quos citatos ſequitur Sanch. lib. 4. cap. 19. num. 14. Itaq; per profeſſionem cum factus ſit impotens ad nichil tenetur, vnde neq; conuentus illius debita ſoluere tenetur neq; ſuperior illi concedere facultatem ad ſoluendum, ſed creditor ſibi imputet, quia potuit illi ingreſſum impedire, niſi aliter adſit conuentio inter creditorem, & conuentum, quia tunc illi ſtandum eſt; aut niſi conuentus ſucceſſerit in eius bonis, quia tunc ex illis tenetur ſatisfacere

facere, & etiam ex aquiſitis propria induſtria, aut labore, quia per profeſſionem non fuit extinctum debitum vn nõ nullis citatis docet Sanch. lib. 7. cap. 30. num. 4.

60 QVAERES. Quid dicendum ſit de profeſſione eorum, qui obligati ſunt reddendis ratiocinijs?

℞. Profeſſio eorum valet iure cõmuni, quia licet obligatus publicis ratiocinijs non poſſit ingredi religionem, niſi prius reddiderit rationem, & fuerit abſolutus ex cap. Vn. diſt. 53. cap. Vn. de oblig. ad ratioc. nullibi tamen irritatur attentata profeſſio, vt inſinuat Nau. conſil. 3. de regul, Et id procedit eo magis in obligato priuatis ratiocinijs. Sixtus tamen Quintus in citata conſt. vtroſq; inhabiles fecit ad profitendum, & adhuc remanet prohibitio reſpectiue ad ſuperiores, qui illos recipere non poſſunt, niſi prius à ratiocinijs aliquo modo abſolutis fuerint, attentata tamen profeſſio eſt valida, quia Clem. VIII. vt ſupra dixi, eam conſtitutionem reduxit ad terminos iuris, quod illam non irritat, vt viſum eſt. Quæ autẽ, ſub præcedenti dubio dicta ſunt applicari poſſunt præſenti, quia pari paſſu currunt. Vide Rodr. tom. 3. q. 10. art. 11. Mirand, tom. 1. q. 17. art. 6. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 7. num. 20. Sanch. lib. 4. cap. 19. num. 19. & 29. Vecchium diſ. 2. dub. 15. Nald. Religioſus nu. 2.

61 QVAERES. Quænam ſint informationes, quæ faciendæ ſunt ſuper recipiendos ad religionem iuxta cõſt. Sixti. Cum de omnibus. A quibus recipiendæ ſint, & quando?

℞. colliguntur ex eius Conſt. illis verbis. *Ordinamus iuuenes, aut viros adultos maiores ſexdecim annis non aliter in aliquam religionem recipi poſſe, niſi prius de eorum parentibus, patria, deq; anteacta vita, & moribus inquiratur.* Si enim inueniuntur obnoxij criminibus, de quib. ſupra q. 58. aut debitis, vel ratiocinijs, iuxta q. 59. & 60. non poſſunt recipi. Vnde quod recipiendi careant prædictis, fides facienda eſt in capitulis generali, vel prouinciali, & eorum admiſſio, & receptio approbanda eſt in vno ex dictis capitulis à prçlato cum aſſenſu definitorum;

in

in actis capituli deſcribendo ſic receptorum nomina, & cognomina, quibus vtebantur in ſeculo, & patriam. In ſecunda autem conſtit. prioris declaratiua indulget illis religionibus, in quibus non fit capitulum prouinciale ſingulis annis, vt ſuperiores duorum, vel plurium conuentuum poſſint infra annum ſimul congregari ad recipiendas huiuſmodi informationes, priuſquam habitu induantur; ſi vero monaſteria nimis diſtent, demandatur hæc facultas per capitulum prouinciale tribus ſaltem ex ſenioribus monaſterij, quo nomine veniunt tales dignitate, & præeminentia. Mirand. tom. 1. q. 21. art. 4. concl. 3. Rodr. tom. 3. q. 10. art. 3. Vecch. diſp. 6. dub. num. 3. Gregorius vero 14. in Conſt. Circumſpecta, mãdauit has informationes recipi à prælato illius conuentus, cum aſſenſu ſui capituli, vbi vſitatur perpetua filiatio, dũmodo ante profeſſionem dicta informatio plene approbetur in capitulo generali, aut prouinciali, aut intermedio. Demum Clem. VIII. Conſt. Altiſſimæ paupertatis, quam ad verbum referunt Rodr. tom. 3. q. 54. in fine, quam explicuit q. 10. art. 2. & Mirand. tom. 1. q. 19. art. 3. indulſit Minoribus de obſeru. quod extra capitulũ, quouis tempore poſſent recipere nouitios Generalis etiã Commiſſarius, vel Prouincialis de conſenſu quatuor definitorum, vel quatuor Fratrum ex antiquioribus illius domus, in qua ſunt iuuenes recipiendi, inquiſitione facta coram ſe de qualitatibus recipiendorum per notarium, vel fratres ab illis deputatos, recepto iuramento à ſuperioribus. Debent autem examinatores ſimul eſſe, & recipiendos coram ſe ſiſtentes examinare. Rodr. cit. §. Tertio.

Prælati autem meæ religionis poſſunt vti præfata conſtitutione Clem. VIII. vt ſupra recipiendo informationes nouitiorum, quouis anni tempore extra capitulum præſtito iuramento &c. quia communicat in priuilegijs non ſolum conceſſis, ſed etiam concedendis præſertim Minoribus de obſeru. Iul. II. Conſt. Decet Romanum 8. Ian. 1508. Clem. VII. Conſt. Dum fructus 30. Maij

1525. Pius V. Conſt. Ea eſt officij 3. Iul. 1568. Ex quibus priuilegijs Summi Pontifices huic meæ religioni cõmunicant priuilegia nõ ſolum tunc ab anteceſſoribus ſuis conceſſa, ſed etiam à ſucceſſoribus concedenda Minoribus de obſeruantia. Et ſicut ad prælatum localem ſpectat receptio nouitiorum cum aſſenſu maioris partis ex cap. 8. Reg ita & receptio informationum à ſuperioribus maioribus probandarum, vt ſupra.

62 QVAERES. An præfatæ informationes recipiendæ ſint à iuuenibus minoribus ſexdecim annis?

℞. Nequaquam; quia Conſt. Sixti V. expreſſe verba facet de excedẽtibus ſexdecim annos. Rodr. tom. 3. q. 10. art. 13. & q. 54. art. 6. §. Ex quibus. Sanch. lib. 7. diſp. 37. num. 30. in fine.

63 QVAERES. An hæ informationes recipiendæ ſint a tranſeunte ad ſecundam religionem?

℞. Non, quia papa expreſſe loquitur de ſecularibus recipere volentibus habitum regularem, hi enim proprie poſſunt eſſe capaces, & obnoxij criminibus, debitis, & ratiocinijs. Rodr. tom. 3. q. 10. art. 13. Mirand. tom. 1. q. 21. art. 2. in fine. Snnt tamen recipiendæ à religioſis militaribus volentibus ingredi, quia à ſeculo dicuntur tranſire ad religionem, non quia nõ ſint religioſi, & quia inquantum communem cum ſecularibus habitationem habent, poſſunt eſſe irretiti prædictis impedimentis arcẽtibus ab ingreſſu in religionem.

64 QVAERES. De quibus ſeculares maiores ſexdecim annis interrogandi ſint antequam admittantur ad habitum?

℞. De multis ſunt interrogandi. 1. An patiantur aliquem defectum natalium, vnde pro cognitione huius recipiendi debent exhibere authenticum teſtimonium recepti baptiſmatis. 2. An ſint criminoſi, comiſerint ne furta, homicidia, & ſimilia; pro certitudine huius aptæ erunt litteræ teſtimoniales fori iudicialis. 3. An ſint grauati ære alieno. 4. An ſint obnoxij ratiocinijs reddendis. 5. An zelo inſeruiendi Deo petant ingreſſum, & huiuſmudi. De

quibus

quibus expreſſe Sixtus V. cit. Conſt. Cum de omnibus. Vide Rodr. tom. 3. q. 10. art. 3. Mirand. tom. 1. q. 21. art. 2. Vecch. diſp. 6. dub. 7. referunt hi modos examinandi.

64 QVAERES. An tunc temporis Sixti V. & ante Conſt. Clem. VIII. reducentem ad ius commune ante ſe conſtitutiones quod ad nullitatem profeſſionis, omiſſæ informationes inducerent nullitatem profeſſionis in eo, qui erat habilis ad profitendum, eo quod non erat vere obnoxius defectui natalium, criminibus ibi enumeratis, aut debitis, vel ratiocinijs?

℞. Non. Potiſſima ratio dubitandi ex prima Conſt. Sixti V. eſt, quia in ea bis fit mentio de nullitate profeſſionis, prius reſpectu illegitimorum, poſterius reſpectu excedentium ſexdecim annos, qui prohibentur admitti ante præmiſſam informationem, ſubſequente clauſula irritatoria. Sed id non obſtat, quia irritatio profeſſionis, de qua poſterius fit mentio non refertur ad quoſcumq; adultos, ſed tantum ad obnoxios debitis, delictis, & ratiocinijs; & hoc ſuadetur; Tum quia ſtatim ac illos nominauit ſubdit hæc verba (Et ſi qui eorum) irritando profeſſionem, quæ clauſula refert vicinius aſſertum nempe obnoxios, hæc enim duo pronomina (is, & ille) ſic ſe habent, quod prius refert proximius, poſterius remotius: Tum quia ſubdit contra huiuſmodi, quorum profeſſionē irritat, poſſe iudicem ſecularem procedere, ſed non poteſt procedere contra innoxios, ergo ad hos irritatio non refertur: Tum quia in pænis ſtrictior interpretatio eſt faciēda: Tum quia clauſula irritans debet referri ad principale non ad acceſſorium, Bart. in l. fin. §. Titia ff. de libertate leg. Tum quia clauſula, hæc cum ſit odioſa indifferenter referri non debet, ſed ad id, quod magis vrget, Panor. in cap. Eccleſia, de elect. Multum autem vrget contra obnoxios, cum in illis ſit maior ratio irritandi illorum profeſſionem, in alijs autem fere nulla ſed ſolum veniunt plectendi ſuperiores delinquentes. Hanc tenent Beia p. 4. caſu 18. Rodr. tom. 3. q. 54. art. 5. & 6. con-

tra Compend. Bullarij Conſt. 71. Sixti V. in primo Scholio, dicentem eſſe nullam ex §. 1. primæ conſt. & §. 12. ſecundæ; ſed iam reſponſum fuit ad primum; ad ſecundũ, vbi papa videtur irritare profeſſionem illegitimorum, & adultorum inquiſitione non præmiſſa, dico cum papa ſe referat ad priorem conſt. ſecundam intelligendam eſſe iuxta ſensũ prioris in qua, vt vidimus, ſicut irritat ſolum profeſſiones illegitimorum, & obnoxiorum, ita & de his loquitur in poſteriore, quia Relatum eſt in referente cum omnibus ſuis qualitatibus, vt iuribus, & doctorum turba citatis docet Barboſa lit. R. num. 15. Supponit Sanch. lib. 7. diſp. 35. num. 30 34. 54. & 55. nullam eſſe profeſſionem defectu informationum.

66 QVAERES. An epiſcopus poſſit valide profiteri, licentia non obtenta à papa?

℞. Non. Probatur tum ex cap. Niſi cum, de Renunt. vbi in fine dicitur, & ſi pennas habeat, quibus ſatagat in ſolitudinem aduolare, ita tamen adſtrictæ ſunt nexibus præceptorum, vt liberum non habeat volatum abſq; licentia Papæ. Ergo cum illi deſit libertas, quæ neceſſaria eſt ad valorem profeſſionis, non poteſt valide profiteri. Tum quia ceſſio epiſcopatus ſine licentia Papæ nulla eſt Nau. conſil. 2. de renunt. ergo valide profiteri non poteſt, cum non ſit ſui iuris, ſed obligatus ſuo epiſcopatui. Tum quia ſicut coniugatus non poteſt valide profiteri ſine licẽtia alterius coniugis probatur infra q. 74. §. ſecundo. ita neq; epiſcopus ſine licentia Papæ, eſt enim epiſcopatus matrimoniũ ſpirituale inter epiſcopum, & eccleſiam: cap. Inter corporalia. de Transl. epiſc. Tum quia ſtatus religionis non eſt ſufficiens cauſa renuntiandi epiſcopatui cap. Suggeſtum 7. q. 1. Aphor. epiſcop. Renuntiatio nu. 4. Tum quia geſtum ſine requiſita licentia obtenta non tenet: cap. Si religioſus. de elect. in 6. Vide Sanch. lib. 4. cap. 25. à num. 36. Bonac. q. 2. de clauſ. p. 9. §. 2. Vecchium diſp. 2. dub. 3.

67 QVAERES. Quid dicendum ſit de alijs prælatis, & beneficiatis?

℞. Prælati habentes dignitatem quaſi epiſcopalem, & immediate ſubiecti ſedi Apoſtolicæ, vt ſunt quidam Abbates, item Generales ordinum. Iſti non poſſunt ſine licentia obtenta Papæ etiam Generales tranſire ad ſecunda vota, & valide profiteri; vt probatur ijſdem rationibus allatis præced. quæſ. & obſeruat Bonac. cit. nu. 6. Sanch. cit. num. 49. & lib. 6. cap. 7. num. 8. de regularibus exẽptis tranſeuntibus.

Cæteri vero inferiores beneficiati, etiam cum cura poſſunt valide profiteri, licet non obtenta licentia à ſuis ſuperioribus, vt expreſſe dicitur cap. 2. 19. q. 2. D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 7. cum reliquis communiter. Tempore autem nouitiatus non vacat beneficium, debet tamen illi deſeruire per ſubſtitutum, aſſignata illi congrua portione cap. Beneficium de regul. in 6.

QVAERES. An nouitius finito probationis anno ſtatim ſit recipiendus ad profeſſionem; an poſſit differri eius profeſſio?

℞. Debet recipi ad profeſſionem, ſi habeat omnia requiſita, & hoc expreſſe dicitur cap. 16. ſeſſ. 25. illis verbis. *Finito tempore nouitiatus ſuperiores nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant.* Ergo nondũ habiles per aliquod tempus ſufferre poſſunt, expectando, ſi poſſunt fieri habiles, aliter reijciãtur. Quacumq; ergo rationabili cauſa data differtur profeſſio, ſiue cauſa ſit ex parte nouitij, vt melius adiſcat quæ ſpectant ad ſtatum religioſum; ſiue ex parte conuentus vt illum magis experiatur, ſiue ex parte parentum, aut aliorum; vnde Rodr. tom. 3. q. 17. art. 10. refer cuiuſdam nouitij profeſſionẽ fuiſſe deductam vſq; ad vigeſimum annum, vt in ea ætate poſſet diſponere de ſuis bonis fauore matris indigentis. Et in hoc nullam video difficultatem, nam ſine dubio nouitius, qui in decimo quinto, qui eſt annus legitimus ad probationem, vt probatur cap. 4. q. 7. in maſculis, ſtetit in probatione, eo finito non poteſt ſtatim proficere, ſed debet interponere annũ, ergo Concilium non negat poſſe eam differri poſt nouitiatum. De hac pro-

rogatione Nau. conſil. 30. Diana Reſol. 128. de dub. regul. Nald. Profeſſio 8. & ali, communiter.

69 QVAERES. An teneat profeſſio nouitij Carthuſiani, & Minimi toto probationis anno ægrotantis, & ideo comedentis carnes?

℞. Non, eo quod deſit legitimus nouitiatus ex probatis cap. 4. q. 40. ideo vide ibi.

70 QVAERES. An profeſſio puellæ, quæ non fuit examinata iuxta Cap. 17. ſeſſ. 25. ſit nulla, in illo n. capite Sacrum Concilium mandat nouitiam non eſſe ad profeſſionem admittendam, niſi præmiſſo duplici examine reſpectu eius, quæ ingreditur maior duodecim annis, vnico autem ſi ingrediatur in minori ætate, & hoc antequã profiteatur, faciendo ab ordinario à ſuperiorifſa admonito ante menſem profeſſionis, arbitrio epiſcopi ſuſpenſa ab officio, ſi illum certiorẽ non fecerit. Ita ex Michaele Metina lib. 4. de continentia Sacrorum homin. contra 9. cap. 4. Sanch. lib. 4. cap. 18. num. 34. Rodr. tom. 3. q. 12. art. 3. cum ſuo compend. Reſol. 101. num. 82. ait Concilium quidem dictum primum examen præuiũ ante receptionem habitus, & poſterius ante profeſſionem præcipere, tamen ex vſu præmitti tantum vnum ante profeſſionem, & ibi alios citat Compendiator. Vide Dianam Reſol. 47. de regul.

℞. Tenet profeſſio, & eam antecedens nouitiatus. Probatur, quia ſi prætermiſſum fuerit, ibidem non additur clauſula irritatoria, ergo cum ſit ſimplex mandatum aliter geſtum non irritat. Ita ſentiunt Sanch. cit. num. 24. & lib. 5. cap. 4. num. 84. vbi citat Menoch. conſil. 396. Volum. 4. num. fin.

71 QVAERES. An expulſus à religione ſi reuertatur de nouo profiteri teneatur?

℞. Non. quia expulſio ſiue iuſta, ſiue iniuſta ſit, ex eo eiectus nõ deſit eſſe religioſus, conſequenter profeſſio nullitatem ſortita nõ fuit, ſed adhuc perſeuerat, & ſola morte extinguitur. Ita doctores citati cap. 1. q. 4. in reſponſione ad argumenta, & Sanch. lib. 6. cap. 9. num. 33.

interim

interim tamen dum expulſus manet ad obſeruãtias regulares non tenetur.

72 QVAERES. Circa profeſſionem tranſeuntium ad ſecundam religionem ſequentium dubiorum reſolutionem? I. An tranſiens teneatur profiteri in ſecunda? II. An teneatur præmittere nouitiatum? III. An ceſſet prior profeſſio per actualem trãſitum infra annum probationis ita quod ad nichil teneatur anno nouitiatus ratione prioris Regulæ? IV. An tranſiens ſine debitis requiſitis valide profiteatur? V. An, & à quo prælato licentia petenda ſit? VI. An ſuperior tranſiens teneatur petere licentiam? VII. An requiratur conſenſus conuentus? VIII. An prior religio teneatur recipere nondum profeſſum, vel inualide profeſſum, aut non receptum, vel pœnitentia ductum, qui in poſteriori religione non profecit? IX. An omnes vnius conuentus tranſire poſſint? X. An teneat profeſſio mendicantis ad non mendicantem, ſeu monaſticam? XI. An in poſteriori profeſſus ad priorem reuertens teneatur denuo profiteri? XII. An Tertiarij cum ſola licentia ſui prælati poſſint tranſire ad monachos?

Primo. Tranſiens tenetur reproficere in religione ad quam tranſit. Suadetur Tum quia, vt quis in effectu militet ſub aliqua religione cum perpetua obligatione, debet ſe illi ſubijcere irreuocabiliter; ſed iſta ſubiectio non poteſt fieri ſine noua profeſſione, ergo tranſiens debet reproficere. Tum quia ex profeſſione ſequitur obligatio; ſed tranſiens ad arctiorem debet ſe arctius obligare, ergo per nouam profeſſionem. Tum quia ceſſat, vel ſaltem ſuſpenditur prior obligatio, vti probatur ſequenti §. Tertio. ergo de nouo alia emittenda eſt. Ita omnes cum Rodriq. tom. 1. q. 30. art. fin. Nau. conſil. 60. de Regul.

Secundo reſpondetur infra cap. 4. q. 32. affirmatiue.

Tertio. Certum eſt tria ſubſtantialia religioni vota non extingui, ſed perſeuerare, & infra id tempus ſuſpẽdi tantum obedientiæ votum, & alia ſpecialia vota, ſiue præcepta primæ regulæ, & omnia commutari in ſecundam

profeſſionem. Quod tria perſeuerent, ducitur ex eo, quod ſola naturali morte extinguntur, quod non accidit in hac translatione; præter quamquod alias pro eo tempore non eſſet religioſus,ſiquidem nullo tunc temporis profeſſionis voto eſſet adſtrictus, conſequenter poſſet redire ad ſeculum, quod vt abſurdum dicendum non eſt. Quod ſuſpendantur ſpeciales obligationes, quas virtute prioris profeſſionis contraxit ſub prima religione, conſtat eo, quod non amplius viuit ſub priori regula, ratione cuius ſubiectionis tenebatur ad illas: deinde debet ſe accõmodare modis viuendi ſecundæ religionis, vt experiatur illius aſperitates, & viuendi modos, & ipſa eius mores. Præterea ex vi voti obedientiæ non tenetur prælato, ſub cuius diſciplina eſt eo probationis anno obedire; quia ei obedientiam non promiſit, quamquam ex alio capite teneatur; neq; amplius ſubiectus eſt obedientiæ prioris prælati, quia in tantum illi debet obedientiam, in quantum eſt illi ſubiectus, per tranſitum autem eximitur, & manumittitur, vt dixit Nald. Religio nu. 19. Quare profeſſus in religione Minimorum promittendo quadrageſimalem abſtinentiam, ſi transferatur ad aliam religioné, ſtatim poteſt comedere carnes, ſi ibi comedãtur, ſe enim cum alijs conformare debet. Sanch. lib. 6. cap. 7. num. 87. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto cap. 3. num. 7. Prædicta habent locum, & ſi in ſecunda religione illæ ſpeciales obligationes ſint in præcepto, quia neutri regulæ nõ eſt ſubiectus, non priori, cum iam ſit manumiſſus, non poſteriori, cum nondum profecerit; tamen quia debet ſe conformare cum ſecunda, in qua probatur, ad euitandum ſcandalum, tenetur illis obſeruantijs.

Quarto. Quandonam tranſiens ſine debitis requiſitis valide profiteatur, necne: Pro reſolutione præmittendæ ſunt conditiones requiſitę ad licitum tranſitum, quæ colliguntur ex cap. Statuimus, cap. Mandamus, cap. Duæ 19. q. 3. cap. Monachum 20. q. 4. cap. Non eſt; cap. Sane, cap. Significatum, cap. Licet, de regul. & ſunt quinque. Prima, ne adſit prohibitio tranſeundi, de qua infra

ſra ſub §. decimo. Secunda, quod fiat ad arctiorem. Tertia, quod fiat ſine præiudicio prioris. Quarta, quod fiat bono fine animo perfectioris vitæ, vt melius, & deuotius Deo inſeruiat, non autem ex temeritate, leuitate, odio, contemptu, aut alia animi paſſione. Quinta, quod fiat cum licentia prælati. Defectu autem harum conditionum non licet tranſitus, immo vt plurimum grauiter peccatur, vt quando ſine licentia fit tranſitus, cum ſit trãſgreſſio in re graui, docent Nau. conſil. 52. de regul. in fine, Bonac. q. 2. de clauſ. p. 9. §. 3. diff. 1. num. 1. Sanch. lib. 6. cap. 7. num. 3 5.

Defectu primæ conditionis nulla eſt profeſſio, quando in prohibitione exprimitur nullitas attentatæ profeſſionis ſine licentia, alias non, dicam infra §. decimo.

Si deſit ſecunda conditio, vt quia fit tranſitus ad laxiorem, profeſſio non tenet licentia non petita à Papa, quia adhuc eſt ſub poteſtate prioris prælati, & nullum ius habuit tranſeundi, præterquam quod iſte tranſitus non poteſt fieri ſine diſpenſatione, ad laxiorem enim tranſiens indiget diſpenſatione, quia obligatio maior minuenda eſt hoc ipſo, quod intendit profiteri in laxiore, & ſi de facto ſit profeſſus tenetur petere diſpenſationem docet Sanchez lib. 6. cap. 7. num. 93.

Tertia ſi abſit, adhuc tenet profeſſio, quia ibi nõ irritatur in citato capite Sanch. lib. 6. cap. 7. nu. 92. vbi citat Ioan. Andr. Anchar. Dom. & Cardin. quos ſequitur Bonac, q. 2. de clauſ. p. 9. §. 3. diff. 2. num. 4. cum Silu. Religio 4. q. 1. ad finem, vbi Bonac. ſubdit de mente Panor. hunc tranſitum eſſe licitum, ex iure, quod quiſq; habet tranſeundi ad perfectiorem vitam, & per accidens eſt, ſi inde damnum ſequitur.

Quando deeſt quarta tenet profeſſio, quia defectus huius conditionis eſt paruæ conſiderationis, & extraneus ad valorem profeſſionis, & multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenẽt. Ita Bonac. cit. diff. 1. num. 7. §. idem contra Sanch. cit. à num. 89. ad 92. & alios multos.

Quintæ conditionis defectu nulla eſt profeſſio tran-

ſeuntis

ſeuntis ad laxiorem, quia iſte tranſitus non poteſt fieri ſine diſpenſatione, quæ includitur in licentia, & in hoc nō eſt difficultas; ſicut neq; quando tranſit ad æqualem, neceſſaria eſt enim licentia, vt teneat, diſpenſatur enim trāſitus ſibi prohibitus ratione prioris profeſſionis. Tenet vero profeſſio, ſi fiat tranſitus ad arctiorem bono zelo, licet licentia non petita, vt colligitur ex cap. Licet, in fine, vbi Papa mandat non eſſe moleſtandum quemdam monachum, qui ſine licentia tranſierat ad Ciſtertienſes, ergo tenuit eius profeſſio, hoc ipſo, quod non potuit moleſtari. Ratio deſumitur ex eodem capite, vbi dicitur quod qui Dei ſpiritu aguntur, non ſunt ſub lege, quia lex non eſt poſita iuſto, ergo non habet debitum petendi licentiam, & ſi enim vouit manere in priori religione, hoc tamē votum non impedit maius bonum, quod eſt profeſſio in religione arctiori, Sic ſentiunt Silu. Religio 4. q. 1, in 4. Not. Tab. q. 24, Bonac. q. 2. de Clauſ. cit. num. 7. & ita deciſum fuiſſe in vna Bonon. Profeſsionis 14. Mart, 1622. vbi multi citantur doctores, quos ſequitur teſtatur Vecchius diſp. fin. dub. 2. nu. 4. contra pleroſq; quos citādo ſequitur Sanch. cit. num. 95.

Quinto. Sine dubio petenda eſt licentia tranſeundi ad ſecunda vota, & neceſſaria eſt etiam vt obtineatur, quando fit tranſitus ad laxiorem, vel æqualem ex mox probatis, nam vt non obtineatur habet locum tantummodo reſpectu arctioris, vt colligitur ex citato cap. Licet, & aſſerit Sanch. cit. num. 90. Superior autem eam concedere non debet, niſi ei prius conſtiterit arctiorem religionem eſſe paratam illum recipere, ſtatuit Sacra Congr. de mandato Sanctiſsimi Vrbani VIII. die 21. Sept. 1624.

Quando fit tranſitus ad arctiorem licentiam concedūt ſolum prælati maiores nempe Prouincialis aut Generalis, non autem Localis. Suadetur Tum quia etſi in cap. Licet, fiat mentio ſimpliciter de Prælato, qualis eſt etiam localis, tamen in hoc caſu excluditur, quia hoc eſt negotium magni momenti, & grauis cauſa, quæ reſeruatur maioribus prælatis. Tum quia prior conuentus non po-

teſt transferre ſuum ſubditum ab vno ad aliud monaſterium; ergo multo minus de ſuo ad extraneum. Sic ſentiunt Cucus, & Angelus quos citando ſequitur Rodr. tom. 3. q. 52. art. 3. cum ſuo Compend. Reſol. 123. num. 57. Suar. tom. 4. de relig. lib. 3. cap. 10. num. 3. & in mea religione hoc eſt certum, ex conſt. Decer. Iul. 2. & ex cap. 9. regulæ contra Nau. Com. 4. de regul. num. 10. Silu. religio 4. q. 3. Mirand. tom. 1. q. 31. art. 5. Bonac. q. 2. de clauſ. p. 9. §. 3. diff. 1. n. 9. Sanch. n. 59. ea ratione deſtructa, quod nomine Prælati veniat etiam localis, ſed habet locum in rebus leuis momenti.

Cum vero ſit tranſitus ad æqualem, vel laxiorem ſolus Papa facultatem facit, non autem Prælati maiores: Suadetur tum ex cap. 19. ſeſſ. 25. vbi dicitur, quod nemo regularis transferatur vigore cuiuſcunque facultatis ad laxiorem religionem, vbi ſermo eſt de facultate facta ab inferiori Papa, non autem excluditur licentia ſolum illicita, ſed quæcunque data ab alio, quam à Papa, quidquid dicat Nau. conſil. 56. num 3. cum Sanch. & alijs ab eo citatis lib. 6. cap. 7. num, 68. quia dictio (cuiuſcumque) includit quamcumque licentiam cum ſit ſignum vniuerſale. Tum quia in extr. Viam ambitioſæ, de regul. decernitur, Mendicantes non poſſe tranſire ad monaſticos, exceptis Cartuſianis, ſine licentia Papæ, eo quod Mendicantium ordines ſint arctiores. Tum quia licentia tranſeundi ad æqualem, & eo magis ad laxiorem habet aliquam ſpeciem diſpenſationis, nullus autem inferior Papa poteſt diſpenſare, aut commutare votum profeſsionis, ergo ad eum ſolum ſpectat hæc licentia. Ita aſſerunt Abbas vol. 1. conſil. 96. num. 3. Imola Clem. 1. de regul. num. 11. Roman. ſingul. 452. Compend. reſol. 124. num. 91. Bonac. cit. num. 13. quo ad laxiorem; non quo ad æqualem, contra Mirand. q. 31. art. 6. Sanch. qui nu. 68. multos trahit in ſuam ſententiam aſſerendo legitimã ſubſiſtente cauſa poſſe prælatum inferiorem dare licentiã, licet pateat aditus ad Sanctiſſimum ſequendo Nau. cit. conſil. 56.

Sexto

Sexto. Superior tranſiens, tenetur petere licentiam; localis quidem à Prouinciali, & is à Generali, & iſte à Papa, vnuſquiſque enim eo ordine petit licentiam à ſuo Prælato, aliter nulla eſt profeſſio, vt probaui ſupra q. 67. ſic ſentiunt Ang. religio num. 35. Silu. 4. q. 5. Roſel. 4. nu. 8. Tab. q. 24. quos cit. ſequitur Sanch. num. 8.

Septimo. Secundum datas hactenus reſponſiones nullus requiritur conſenſus Monaſterij, ſiue tranſitus fiat ad arctiorem, quia in cap. Licet, fit mentio de ſolo Prælato, ſiue fiat ad æqualem, vel laxiorem, quia cum tunc licentia ſpectet ad Papam, alterius conſenſu, aut conſilio in eo caſu non indiget. Nec obſtat cap. Statuimus, 19. q. 3. vbi non permittitur tranſitus ſine patris, & totius congregationis obtentu; loquitur enim de honeſtate, vel reſpectiue ad conſilium, quando dubitatur de licito tranſitu, nam tunc iudicium hoc ſpectat ad Prælatum, quod non proprio marte, ſed adhibito aliorum conſilio reſoluere debet Vide Sanch. cit. num. 49. & 62. Bonac. nu. 10. Vecch. diſp. fin. dub. 5. referentes contrarias opiniones.

Octauo. Prior religio tranſeuntem recipere iterum tenetur, ex quacunque cauſa reuertatur, modo valide nõ profecerit in ſecunda, ratio eſt, quia in his caſibus adhuc eſt religioſus prioris religionis, ergo tenetur recipere, non enim renuntiauit iuri ſuo per illum tranſitum. Ita Roſella religio 4. nu. 9. Silu. 4. q. 5. Sanch. nu. 104. Vecch. diſp. fin. dub. 2. num. fin. Mirand. tom. 1. q. 31. art. 18.

Nono. Omnes vnius conuentus tranſire poſſunt; ſuadetur illo communi axiomate. Eadem eſt ratio totius, quæ partis. argumento cap. 28. §. Idem cum totum, de off. deleg. & colligitur ex cap. Recolentes, de ſtatu Mon. Ratio eſt logica ab inductione, ſi enim quilibet de conuẽtu tranſire poteſt, ergo omnes ſimul. Eſt autem id verũ de tranſitu perſonali, non reali, quia loca ſua ſecum tranſferre non poſſunt, ex cap. Vn. §. Confirmatos de relig. dom. in 6.

Decimo. Mendicantis profeſſio inter monachos eſt nullius roboris decreto Martini V. extr. com. Viam

ambi-

ambitioſæ, de regul. vbi illis ſub pæna excomunicationis ipſo iure prohibet hunc tranſitum, exceptis Cartuſianis, ad quos poſſunt tranſuolare. Clemens V. ante tempora Martini ex clem. 1. de regul. Mendicantes tranſeuntes ad non mendicantes etiam cum licentia perpetuo inhabilitauit ad vocem, & quæcumque officia. Vide Compend. reſol. 123. Vecchium diſp. 15. dub. 5. à num. 13. Sanch. lib. 6. cap. 7. q. vltima.

Vndecimo. Profeſſus in ſecunda reuertendo ad priorem debet iterum proficere, quia per poſteriorem profeſſionem extincta fuit prior profeſſio, ita quod omnino abſolutus fuit ab ea, ergo ſi iterum reuertatur debet reproficere. Non autem tenetur ad nouam probationem, ſi reuertatur ad eundem conuentum, vel prouinciam, quia iam expertus fuit aſperitates religionis, & religio illius mores.

Duodecimo. Requiritur præterea licentia Papæ, quia licet regula D. Benedicti ſit ſtrictior regula Tertij ordinis, quæ abſolute carnes concedit, non autem illa, niſi extra refectorium, & ſilentio magis ligentur, quam Tertiarij, conſequenter ſolus regularis prælatus videatur eã facultatem concedere poſſe, ex cap. Licet, tamen res ita non eſt, quia extr. Viam ambitioſæ, de qua dixi §. Decimo, omnibus mendicantibus, inter quos eſt ordo Tertiarius, interdicit tranſitum ſine ſpeciali Papæ indulto ad monaſticos. Neq; obſtat Iul. 2. conſt. Decet, dum illis indulget tranſitum etiam ad Mendicantes alios cum licẽtia Generalis, aut Prouincialis, quia hæc licentia refertur ad tranſitum ad alios mendicantes, non autem ad monaſticos, ne Iulius 2. obuiet decretis Martini V. expedit enim iura iuribus concordare. Contra Nau. qui videtur conſulere 54. poſſe Tertiarium tranſire ad Benedictinos cum ſola licentia religionis, dũ extremis verbis ait, quod prælatam licentiam etiam poteſt petere à Papa.

73 QVAERES. An teneat profeſſio deſcendentium ex iudeis, hæreticis, & maumetanis in religionibus Minorum de obſeruantia in regionibus Hiſpaniarum, & Minimorum?

℞. Nulla

℞. Nulla eſt. Alia ratione non probatur, niſi authoritate Summorum Pontificum, nam reſpectu Minorum de obſeruantia ex conſt. Clem. VII. inſerta in conſtit. Cũ ex apoſtolatus, Pauli IIII. apud Mirand. tom. 1. q. 19. art. 7. de conſt. Pij IIII. Prouiſionis noſtræ, alijs reiectis confirmatis per conſt. Greg. 13. Conſueuit, habetur eſſe nullam profeſſionem non omnium deſcendentium à quibus vis hæreticis, iudeis, ſed ſolũ eorũ, qui deſcendunt, per lineam paternam, aut maternam vſq; a d quartum gradũ incluſiue ex prædictis damnatis, & non conuerſis, quorũ oſſa, aut ſtatuæ combuſta fuerunt, quod idem Greg. ſtatuit pro Minimis conſt. Muneris noſtri apud Rodr. tom. 3. q. 11. art. 4. Confect. conſt. 9. eiuſdem Gregorij.

Diſputarunt doctores apud Mirand. cit. q. 19. art. 7. §. Quidam & Rodr. tom. 2. ſummæ cap. 5. vt excludantur prædicti à religione, neceſſarium ne ſit an præter condemnationem, debeant etiam eſſe combuſti prætextu hæreſi s eorum parentes? Affirmat Rodr. cit. & ratio eſt clara, quia in dictis conſtitutionibus quas confirmat Greg. 13. adeſt dictio (Ac) quæ coniungit, & relatiuum (Quorũ) refertur tam ad iudeos, quam hæreticos, aut maumetanos. Negat Nau. qui conſ. 22. de hæret. illam copulatiuam habere locum in hæreticis tantum, non autem in iudeis, quem ſequitur Mirand. cit. concl. 2. nec verbum (iudei) ſæpius repetitum ſuperfluit, quia meo iudicio refertur ad iudeos, vel nondum conuerſos, infeſtantes tamẽ religionem chriſtianam, qui etſi non poſſint dici hæretici, quia baptizati nunquam fuerunt, pro talibus tamen condemnari poſſunt, quatenus ſe opponunt fidei chriſtianæ, eam impugnantes, vel conuerſos, & relapſos, & in eo caſu hoc verbum non eſt fruſtratorium, quia iudeos relapſos ab hæreticis, qui nunquam fuerunt ex iudeis diſtinguit. Reſpectu Minimornm vtitur Papa Gregorius dictione diſiunctiua, ita quod ſufficit condemnatio ſine combuſtione.

74 QVAERES. De profeſſione coniugatorum reſponſionem ad ſequentia dubia I. quæ conditiones requirantur,

rantur, vt coniugatus poſſit licite tranſire ad religionē? II. An vtraq; conditio ſit neceſſaria ad valorem profeſſionis? III. An licentia metu, vel dolo extorta impediat valorem profeſſionis? IV. An attentans profeſſionē vxore ignorante, vel contradicente valide profiteatur? V. An non repugnante, ſed ſolum diſſimulante teneat profeſſio? VI. An profeſſio nulla defectu licentiæ alterius conſolidetur accedente eius conſenſu? VII. An relicta teneatur ingredi religionem & profiteri? VIII. An requiratur licentia epiſcopi ad valorem profeſſionis? IX. An vxor manens in ſeculo poſſit reuocare virum profeſſum? X. An vir, cuius profeſſio fuit nulla poſſit propria authoritate exire? XI. Quid de profeſſione facta intuitu adulterij? XII. Quid intuitu diuortij ratione ſæuitiæ, aut furoris? XIII. Quid intuitu hæreſis?

Primo. Vt coniux licite profiteatur, neceſſe ſunt duo: Vnum eſt licentia alterius coniugis Alterum, vt coniux relicta ſi ſit iuuenis & ipſa ingrediatur, ſi vero ſenex, ceſſante tamen ſuſpicione velit manere in ſeculo, voneat perpetuo continentiam, expreſſe cap. Cum ſis cap. Vxoratus cap. Ad Apoſtolicam, de conuerſ. coniug.

Aetas autē ſenectutis in vtriſq; aſſignatur ſexagenaria à Soto in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4. Cord. q. 178. Azor. lib. 12. cap. 1. q. 6. §. Si queras Sanch. vero lib. 7. diſp. 32. in fine num. 16. Sexagenariam tribuit viro, quinquagenariam fæminæ, ſed neutrum placet, quia in ea ætate cōſtituti ſtimulis luxuriȩ etſi ſteriles agitari poſſunt, relinquatur ergo arbitrio prudentis.

Secundo. Sufficit ad valorem profeſſionis ſola relictæ licentia, ſine qua non tenet profeſſio, ex cap. Quidam, de conu. coniug. alterius vero votum, aut ingreſſus non eſt neceſſarium. Ratio eſt, quia ex citatis textibus cap. Cū ſis cap. Vxoratus, & ibi expreſſe Gloſ. Nullatenus cap. Ad apoſtolicam. eod. licet prohibeatur ingreſſus ſine alterius licentia, non tamen irritatur profeſſio alias facta; immo in capite Ex parte. 1. eod. dicitur, quod tenuit profeſſio eius, cuius vxor nequaquam vouit, neq; religionē

fuit

fuit ingreſſa. Habet locum licet in ſeculo relicta ſit ſuſpecta, vt cum gloſa De iure, citati cap. docent Roſella Imped. 11. Silu. Matrimonium 8. q. 12. dicto 4. Tab. Matrimonium 1. q. 3. Nau. conſil. 14. eod. nu. 3. Sanch. lib. 7. diſput. 33.

Tertio. Licentia extorta metu graui, vel dolo impedit valorem profeſſionis ex cap. Accedens, cap. Veniens de conu. coniug. cap. Notificaſti, 33. q. 5. vbi à gloſ. Licentia, redditur ratio, quia licentia coacta non eſt licentia, & ſermo eſt de ſubiecta materia voti. Ita Roſella Impedim. 11. Angel. Matrim. 4. num. 11. Silu. Diuortium q. 14.

Quarto. Vxore ignorante, viri profeſſio nulla eſt, quia vxor non conſenſit, nichil enim magis contrarium conſenſui, quam error, & ignorantia, & habetur ex cap. Placet. eod. vbi dicitur, quod reuocatus ab ignorante vxore mortua non tenetur redire ad monaſterium, ergo nulla fuit profeſſio. Ea vero contradicente, multo magis eſt inualida ex cap. Quidam, eod. quia in eo caſu nulla præſupponitur licentia.

Quinto. Vxore diſſimulante, nec curante de ingreſſu tenet profeſſio, quia illa diſſimulatio præſumitur tacita licentia. Nau. conſil. 6. de conuerſ. coniug. nu. 4

Sexto. Non conſolidatur niſi accedat ratificatio ipſius profeſſi, quia profeſſio ſtatim ac emittitur ſortitur ſuum effectum, nec poteſt manere dependens ab effectu venturo, dicam iterum capite ſexto q. 20.

Septimo. Relicta in ſeculo iuuenis, vel ſenex ſuſpecta viro profeſſo, tenetur ingredi religionem, ex cap. Agathoſa 27. q. 2. cap. Cum ſis. cap. Vxoratus. cap. Ad apoſtolicam, de conuerſ. coniug. quia in illis locis dicitur quod relicta debet conuerti, & ſeruire Deo, quod fit per profeſſionem, qui ingreſſus proprie dicitur. Ita Silu. Diuortium q. 30. Sanch. lib. 7. diſp. 32. nu. 4.

An votum relictæ in ſeculo, de qua non eſt ſuſpicio, ſit ſolemne? ℞. Non, cum non ſit alicuius approbatæ religionis, neque ſolemnitas voti alterius coniugis redundat

in

in alterum. Ita gloſ. Poſt mortem, cap. Seriatim diſt. 32. contra nonnullos aſſerentes eſſe ſolemne, ac proinde contractum matrimonium poſt mortem profeſſi eſſe nullum, quos bene impugnat Sanch. diſp. 32. num. 8.

Octauo. Ad valorem profeſſionis non eſt neceſſaria epiſcopi licentia, vt colligitur ex cap. 1. de conuerſ. coniug. vbi dicitur, quod non eſt reuocandus maritus cum licentia vxoris profeſſus ſine conſcientia epiſcopi, quando relicta vouit, vel ingreſſa fuit religionem. Non obſtante cap. Si vir. 27. q. 2. vt notat gloſa Conſcientia, nam ibi licentia exigenda eſt, non ex debito, ſed ex honeſtate, vt ibidem docent canoniſtæ. Si ſentiunt Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4. Scotus diſt. 32.

Nono. Si relictus vouit continentiã, iuxta quod determinant iura citata, non poteſt reuocare ingreſſum, ex cap. 1. eod. quia per votum renuntiauit iuri ſuo; ad quid enim reuocare virum, niſi vt illi reddat debitum? quod tamen neuter poteſt petere, ergo irreuocabilis eſt. Si uero non vouit poteſt illum reuocare, vt ſibi reddat debitum, ad quod tenetur, quia vxor huic iuri nõ renunciauit, licet dederit illi licentiam profitendi, quod verum eſt, ſi vxor ignorauit, ſe debere etiam vouere; ſi vero ſciuit ius præcipiens votum, non poteſt reuocare, quia ſuum dimittendo maritum, conſequenter admiſit votum perpetuæ continentiæ. Sicut qui vult recipere ordines ſacros, conſequenter etiam vult votum caſtitatis illi adnexum. Ita cũ gloſ. fin. cap. qui vxorem 33. q. 5. diſtinguunt Silu. Matrim. 8. q. 12. Tab. matrim. 1. q. 3. quos, & alios citando ſequitur Sanch. lib. 7. diſp. 33. num. 14. Non poteſt autem illum reuocare, quando non ſe continuit, licet profeſſus conſenſum doloſe obtinuerit, expreſſe cap. Veniens, eod. Tenet minime emiſſa profeſſio poſt intimatam reuocationem quia caruit licentia; ex Palud. in 4. diſt. 32. q. 2. art. 7. docet Sanch. cit. diſp. 33. num. 19.

Decimo. Non poteſt exire propria authoritate, ab vxore accepta facultate ingrediendi, quia per validã profeſſionẽ ſe totum prælato ſubiecit vnde neq; vxor iure

H ſerui-

ſeruitutis coniugalis poteſt illum repetere, cum ex data licentia iuri ſuo renuntiauerit, ſed debet implorare officium iudicis eccleſiaſtici, cuius eſt prouidere periculo incontinentiæ vxoris relictæ. Vega tom. 2. cap. 34. num. 104. & ex eo Sanch. cit. diſp. 33. num. 15. Poteſt vero propria authoritate, quando intrauit vxore ignorante, vel contradicente, quod probatur ex cap. Vna ſola 33. q. 5. vbi dicitur, quod Deus non exigit votum factum de alieno, ſed potius vetat vſurpare alienum; cum ergo religionem profeſſus, vxore inuita, vſurpauerit ius alienum, nempe vxoris, tenetur illud reſtituere, quod efficere debet redeundo ad ſuam vxorem religione relicta, maxime cum nulla fuerit profeſſio. Nau. conſ. 6. de conu. coniug. Sà religio 32. Nec obſtat cap. Placet. illis verbis. *Redire ad ſeculum in eius poteſtate non erat, ſed in poteſtate mariti*, nam ibi prohibetur proprius reditus in ordine ad petendum debitum, quia ex quo vouit quantum fuit ex ſe, non poteſt debitum petere, ſed tantum reddere.

Vndecimo. Non licet adultero etiã poſt diuortiũ valide profiteri, contradicente, aut ignorante altero innocente, quia tenetur ſe reconciliare innocẽti. Silu. Diuortium q. 10. & v. Matrim. q. 11. Tab. Matrim. 4. q. 5. Graff. part. 1. lib. 2. cap. 84. num. 14. Sanch. lib. 10. diſp. 10. num. 12. Si vero innocens nolit oblatam reconciliationem acceptare, poteſt adulter profiteri, expreſſe cap. Gaudemus; alter tamen in eo caſu non tenetur religionem ingredi, quia præceptum hoc ingrediendi habet locum extra caſum diuortij, docet Sanch. cit. num. 15. Licitum eſt innocenti adultero etiam inuito profiteri, licet adulterium ſit occultum, in foro conſcientiæ, in foro tamen externo requiritur ſententia diuortij, vel adulteriũ ſit ita notorium vt innocẽs valeat proprio iure ſe diſiungere. Nau. conſ. 14. ad finem, de conu. coniug. Sanch. lib. 10. diſp. 11. num. 11.

Duodecimo. Poſt diuortium perpetuum ratione ſeuitiæ, vel furoris, innocens valide profitetur, quia ratione diuortij perpetui in ſeculo relictus amiſit omne ius cõiugij

iugij, licet conualeſcat furioſus Nau. conſil. 5. de diuort. cum Sanch. lib. 10. diſp. 18. q. 3.

Decimo tertio. Validè profitetur coniux, altero exiſtente hæretico, vel apoſtata à fide, ex cap. fin. de conuerſ. coniug. Multum eſt enim pernicioſa habitatio fidelis cum infideli, ideo profeſſione optime tollitur, etiam altero ad fidem reuerſo.

75 QVAERES. Quas conditiones debeant habere recipiendi inter regulares Tertij Ordinis?

℞. Sequentes contentas in cap. 8. regulæ his verbis. *Hoc decreto prohibemus, nequis intra decimumquartum ætatis ſuæ annum, non orthodoxus, infectus hæreſi, amens, infamis, coniugali vinculo irretitus, alieno ære oppreſſus, ſeruus, epilepticus, aut quodpiam aliud corporis vitium, vel defectum patiens, & religioſæ vitæ inhabilis religionis noſtræ habitu induatur.* Singulæ particulæ ſunt explicandæ.

Decimumquartum. Hoc eſt conforme iuri communi, & doctorum ſentẽtijs aſſerentium probationis annum incipere in decimoquinto anno, vt referam cap. 4. q. 7. & ideo vide ibi.

Non orthodoxus. Componitur ex *orthos* ideſt recta, & *doxa* ideſt gloria ex gloſa in cap. 3. diſt. 16. & ad propoſitum ſignificat Catholicum, iuxta quod ſumitur in tit. de ſumm. Trin. in 6. recipiendus enim in religione debet eſſe chriſtianus, & catholicus, nam infideles, neque cathecumeni ſunt capaces religionis, cum non ſint mẽbra Chriſti, à quo omnis religio ducit originem.

Infectus hæreſi. Hoc eſt hæreticus non poteſt recipi ad religionem, quia non eſt membrum Chriſti, ſed diaboli, cuius conſortium, & communio fugienda ſunt cap. Aduocauit, 24. q. 1. & ſicut ſacramenta illis communicãda non ſunt cap. Nec quiſquam, 24. q. 2. ita neque religio Chriſtiana.

Amens. Hoc eſt ſine mente, & ſtultus, ſimiliter furioſus repelluntur à religione, quia ſunt incapaces anni probationis, & profeſſionis iuxta dicta q. 20. & cap. 4. quæſt. 59.

Infamis repellitur à religione, quia religio eſt ſtatus honorificus cuius non eſt dignus infamis, ſiue ſit talis de iure ſiue de facto. Quæ autem ſint crimina infamiam inducentia referuntur cap. Infames, 3. q. 7. & cap. Conſtituimus, 3. q. 5. illis verbis. *Homicidæ, malefici, fures, ſacrilegi, raptores, adulteri, inceſti, venefici, ſuſpecti, criminoſi, domeſtici periuri, & qui raptum fecerunt, vel falſum teſtimonium dixerunt, ſeu qui ad ſortilegos, diuinoſq; concurrerunt, ſimileſq; eorum nullatenus ad accuſationem, vel ad teſtimonium ſint admittendi, quia infames ſunt.* Vide Vecchium diſp. 4. dub. fin.

Coniugali. Coniugatus non poteſt recipi in religionē, quia id affert præiudicium alteri cōiugi ſine cuius licentia ingredi non poteſt iuxta dicta præcedenti quæſtione.

Alieno ære. Dixi ſufficienter ſupra q. 59.

Seruus, de quo ſatis dixi q. 50.

Epilepticus dicitur ille, qui laborat morbo caduco. Gloſ. in cap. communiter diſt. 33. vbi iſti repelluntur à ſacris ordinibus, & ab electione cap. 21. de elect. vnde conſequens eſt vt neq; ad religionem admittantur, per quem ſtatim via aperitur receptioni ſacrorum ordinum & electioni. Græce autem *Epilepſia* latine comprehenſio dicitur, quia is morbus mentem apprehendit, & corpus poſſidet proueniens ex abundanti humore melancolico ad cerebrum conuerſo, docet ex medicis Archid. in citatum caput.

Perſonæ ergo patientes illos defectus mox explicatos, & quoſcumq; alios inhabilitantes non poſſunt recipi ad habitum, & ſi recipiantur, habitu probationis exuendi ſunt, & ſuperiores, qui eos receperint puniendi ſunt à prælatis maioribus. Non tamen irrita eſt ſecuta profeſſio, quia non annullatur ibi.

76 QVAERES. Ad quos ſuperiores ſpectat inquirere an recipiendi careāt prædictis defectibus?

℞. Ad locales, nam cap. illo 8. dicitur, quod à Cenobiorum Miniſtris .s. Prioribus maiori fratrum ſuorum parte aſſentiente recipi poſſunt nouitij. Et ad eoſdem

etiam

etiam ſpectat inquirere circa qualitates requiſitas a Sixto V. ſupra ſub q. 61. vbi ex eodem retuli, receptas informationes probandas eſſe in capitulis aut Generali, aut Prouinciali; ergo cum ſupponantur receptæ, id ſpectabit ad ſuperiores locales.

77 QVAERES. An irregulares recipi poſſint tam ad habitum, quam ad profeſſionem?

℞. In numero Clericorum recipi non debent, niſi prius diſpenſentur, quia licet habitus ſuſceptio non ſit ordinis receptio, eſt tamen via quędam licet remota ad illos, quia indutus in numero clericorum ſe ponit in tali ſtatu, in quo licet aſcendere ad ordines, & cum irregularibus ſit interdictus huiuſmodi aſcenſus, illis quoq; ſupponitur prohibitus acceſſus ad hunc ſtatum clericorum, per quem peruenitur ad eorum receptionem argumento cap. 39, de regul. iur. cum enim prohibetur aliquid, interdicta cenſentur ea omnia, per quæ ad illud peruenitur, arg. l. Item quia, ff. de Pactis, iuncta gloſ. ibi. Intellige modo nō ſit irregularis vno ex illis delictis, de quibus Sixtus V. relatis à me ſupra q. 58. quia iſti non poſſunt licite recipi neq; in conuerſos, quamquam alias recepti valide profitētur, ex probatis ibidem; diſpenſari quoq; poſſunt quia in ea conſtitutione id non prohibetur.

In religione Tertij Ordinis antequam habitu induantur abſoluuntur ab omnibus cenſuris, & diſpenſantur in omnibus irregularitatibus, quæ omnia intelligenda ſunt iuxta dicta cap. 4. q. 56. obſeruo autem vnum, formam abſolutionis, & diſpenſationis, in fine regulæ poſitam pati aliquam exceptionem, tum in verbis, quia vtitur verbo diſpenſationis reſpectu ſuſpenſionis, & interdicti, quæ ſunt duæ cenſuræ, quæ per ſolam abſolutionem tolluntur, non per diſpenſationem, qua irregularitas aufertur; tū in ſubſtantia abſolutionis in ordine ad peccata, quæ ſecreto datur, non in publico, tamen permitti poteſt, ſi nihil temporis intercedat inter confeſſionem ſacramentalem, & abſolutionē, aliter intermittantur ea verba, quia nullum effectum conferunt.

CAPVT TERTIVM

De valore, vel nullitate Profeſſionis ex parte admittentium illam

PRæcedenti Capite de ea actum eſt reſpectu profitentis, conſequens eſt in præſenti de eiuſdem profeſſionis valore, vel nullitate in ordine ad recipientes proponenda quæſita reſoluere.

In admiſſione autem nouitij ad profeſſionem, duo ſpectantur, iudicium nempe habilitatis, quo inquiritur, an nouitius probationis anno peracto ſit idoneus, & habilis ad profitendum; & receptio eiuſdem, ſeu receptio ad religionem per profeſſionē factam in manu habentis facultatem incorporandi ad religionem; incorporare autem eſt oblatam nouitij obligationem perpetuo inſeruiēdi religioni acceptare, & vice verſa eidem ex parte religionis promittere perpetuo retinentiam in monaſterio cum onere alendi illum, & tractandi vti filium religionis. Hæc duo tangit Sacrum Concil. Seſſ. 25. cap. 16. illis verbis. *Finito tempore nouitiatus, ſuperiores nouitios, quos habiles inuenerint,* ecce iudicium de illorū habilitate faciendū, *ad profitendum admittant,* ex quo patet incorporatio per profeſſionem. Vt autem diſtincte de ſingulis agatur.

1 QVAERES. An recipere ad profeſſionē, ſeu incorporare nouitium religioni ſit actus proprie iuriſdictionis, vel alius actus independens ab ea, quē vocant ſuperioritatis, aut actus ordinis?

℟. Non eſt actus iuriſditionis proprie acceptæ, ſed ſolius ſuperioritatis, independens etiam ab ordine. Primū ſuadetur, tum quia ad contractus non requiritur actus iuriſditionis, cum ex ſolo conſenſu vtriuſq; partis ſine vlla iuriſditione, proprie accepta conficiantur, Barboſa lit.

C.nu.

C. num. 54. Tum quia geſta ab excommunicato vitando nullius ſunt roboris, quia caret iuriſditione cap. Ad probandum, de re iud. cap. fin. de cler. excom. min. ita communiter doctores; ſed excommunicatus vitandus valide recipit ad profeſſionem ex probandis infra q. 14. ergo is actus non eſt iuriſdictionis. Ita inter alios Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 78. quem citando ſequitur Vecchius diſp. 12. dub. 1. num. 2. Secundum, quod ſit actus ſuperioritatis, docet apud citatos Domin. & Francus in cap. Conſtitutionem, de regul. in 6. is enim actus ab eo præſtatur non vt membrum de collegio, ſed vt caput, & ſuperior in collegio, conſequenter actus ab eo emanat, vt à ſuperiore, & ſic ſuperioritatis actus nuncupatur, denominatio enim fit à cauſa proxima l. Quiſquis §. Hæc verba ff. de vulg. & pupill. ſubſt. Tertium, quod non ſit actus ordinis, cõſtat ex eo, quod nulli ordini appropriatur; tum quia aliter Abbatiſſa non haberet ius incorporandi nouitiam cõtra cap. Conſuluit qui cler. vel mon. cum careat exercitio ordinis, cuius eſt incapax. Tum quia aliter hæc receptio quibuſcumq; etiam laicis delegari non poſſet, vt probatur infra q. 17. Ita docent Ang. v. Nouitius nu. 4. Tabiena num. 5. Silu. religio 3. q. 17. quos citando ſequitur Sanch. lib. 5. cap. 4. nu. 8.

2 QVAERES. An ſolus papa poſſit nouitium per profeſſionem à ſe receptam incorporare religioni cuilibet?

℟. Poteſt; ſuadetur tum quia habet plenitudinem poteſtatis ſuper omnes immediate à Deo cap. Nouit. de Iud. Cuncta per mundum 9. q. 3. ita quod nullus poteſt eam illi auferre, aut limitare Nau. cap. 27. num. 263. ergo independenter à quouis ſuperiore regulari, aut alterius religioſi poteſt facere per ſe religioſum. Tum quia eſt ſupremus ſuperior, & generalis omniũ religionũ teſte Soto apud Rodr. tom. 1. q. 22. art. 6. Tum quia de religioſo poteſt facere non religioſum Scotus in 4. diſt. 38. quem referendo de communi Theologorum iuſta ſubſiſtente cauſa, ſequitur Rodr, tom. 1. q. 25. art. 2. ergo

& de non religioſo facere religioſum, id enim minus videtur eſſe. Tum quia ad ipſum ſolum ſpectat probare religionem Cap. fin. de religioſis dom. & cap. 1. eod. in 6. vt de communi tradit D. Thom. opuſc. 19. contra impugnantes religioné, ergo & ſolus religioſum conſtituere. Sed quid certum probare?

3 QVAERES. An Sacra Congregatio ſuper regulares deputata poſſit recipere ad profeſſionem nouitios cuiuſlibet religionis?

℞. Non, Tum quia non poteſt religioſos deſtituere ergo neq; conſtituere, res enim per quas cauſas naſcitur, per eaſdem poteſt diſſolui cap. 1. de regul. iur. Tum quia licet, ex conſt. Sixti V. Immenſa §. Nec ſane minus, apud Quarant. v. Congregatio, habeat à ſede Apoſtolica iuriſditionem delegatam ſuper regulares, id tamen intelligitur de rebus fori contentioſi, & quæ non ſunt contra ius commune; recipere autem ad profeſſionem non eſt quid cõtentioſum, ſed gratioſum de iure communi ſpectans ad ſuperiorem regularé, & non ad alios, ergo Sacra Congr. nichil poteſt ſuper hoc, ſine ſpeciali commiſſione ſedis Apoſtolicæ, vt docet Nau. conſil. 37. de regul. num. 4. §. Sexto.

4 QVAERES. An legati à latere poſſint recipere profeſſionem alicuius nouitij?

℞. Non, ob rationes allatas præced. q. militant enim hic; præterea legati à latere reſpectu regularium ſe habẽt tamquam iudices, vt videre eſt cap. 36. de elect. in 6. ex Rodr. tom. 2. q. 63. art. 4. In receptione autem profeſſinis non proceditur vt iudex, ſed vt acceptans, & contrahens obligationem ex probatis hic q. 1. Demum requiritur ad hoc ſpeciale mandatum quod non habent Sacra Congregatio, neq, legati à latere.

5 QVAERES. An epiſcopus poſſit recipere alicuius profeſſionem?

℞. Non, Tum quia recipere ad profeſſionem eſt actus ſuperioritatis in ſubditum, ſed modo omnes fere regulares exempti ſunt ab epiſcopo, vt notum eſt, etiam nouitij.

Tum

Tum quia per profeſſionem nouitius promittit obedientiam recipienti vti ſuo ſuperiori, & eius ſucceſſoribus, epiſcopo autem nullus ſuperior regularis ſuccedit neq; profeſſus illi tenetur obedire, obediētia enim reſpicit ſubditum, qualis non eſt profitens reſpectu epiſcopi. Ita omnes cum Arm. v. Nouitius num. 11. Tabien. q. 8. nu. 9. Rodr. tom. 3. q. 17. art. 11. & eius Compend. Reſol. 101. num. 63. Nau. conſil. 40. num. 2. §. Secundo, quos citando ſequitur Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 74. vbi cum illis obſeruat, poſſe epiſcopum recipere ad profeſſionem in monaſterijs ſibi ſubiectis ex cap. Viduitatis 27. q. 1. cap. Conſuluit. qui cler. Aphor. Epiſcopalis v. Profeſſio num. 4. cum conſenſu ſaltem maioris partis monaſterij, aliter profeſſio nulla eſt.

6 QVAERES. An quem ſuperiorem regularem ſpectet recipere ad profeſſionem?

℞. Spectat ad immediatum ſuperiorem conuentus de iure communi. Ducitur ex cap. Vidua 20. q. 1. cap. Porrectum. cap. Ad apoſtolicam, de regul. cap. fin. eod. in 6. iuncta gloſ. ibi. Ratio eſt, quia ipſe melius præ cæteris ſcit, quæ onera poſſit imponere ſuo conuentui; incorporare enim aliquem ſuo conuentui, eſt onus illi addere, cũ monaſterium obligetur alere nouitium per profeſſionem receptum, & illum tractare vt filium. Ita tenent Nau. conſil. 37. art. 7. Bonac. q. 2. de clauſ. p. 10. difficult. 2. §. ſexto num. 2. & alij communiter. Dixi *iure communi* quia de iure ſpeciali vnuſquiſq; conſulat ſuas regulas, & ſtatuta, atq; approbatas religionis conſuetudines. In mea religione ſpectat ad patrem Generalem, vel ad aliquem eius Commiſſarium, vel ad prouincialem ex cap. 9. regulæ, quam facultatem cum in illis ſit ordinaria, delegare poſſunt, vt probatur infra q. 17.

7 QVAERES. An Abbatiſſa, ſeu quouis alio nomine vocetur principalis præfecta monaſterij poſſit recipere ad profeſſionem ſibi ſubiectas nouitias?

℞. Sic, ex cap. Conſuluit, qui cler. Ratio eſt, quia ipſa eſt domina ſui monaſterij, & ad eam ſimul cum cæteris

monia-

monialibus obligare monaſterium recipiendo nouitiam inter profeſſas; Ita alijs citatis Bonac. cit. præced. q. num. 3.

8 QVAERES. An mortuo ſuperiore, cõuentus poſſit recipere ad profeſſionem nouitium.

℞. Non, quando ſpectat ad ſolum Abbatem, vtique vero ſi ſpectat ad vtrumq; vt expreſſe colligitur ex cap. fin. de regul. in 6. & ita tenet Ang. v. Profeſſio num. 1. Nau. com. 3. de regul. nu. 5. Silu. Religio 3. q. 13. Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 67. hoc intelligit, quando vtrumq; in ſolidum poteſt creare monachos, nõ autem ſi ſolus ſuperior cum aſſenſu capituli, vt habetur ex gloſ. Additio ibid. per cap. Vn. Ne ſede vac. in 6. §. Cum vero. Vide Nau. conſil. 36. de regul. Puto hoc de ſede vacante procedere in religionibus, vbi proprie ſedes Abbatialis dicitur vacare, non autẽ in alijs, vbi ſtatim prouidetur à prælato maiori de Præſidenti eamdem facultatem habente, quam tenebat pręmortuus viuens; interim tamen antequam fiat prouiſio, non poteſt valide fieri receptio, quia fieret à conuentu ſine prælato, quod iure communi prohibitum eſt.

9 QVAERES. An ad valorem profeſſionis præter conſenſum ſuperioris incorporantis nouitium religioni, requiratur iudicium, & conſenſus conuentus?

℞. Requiritur conſenſus etiam conuentus. Probatur tum ex cap. Congregatio 16. q. 7. ex cap. fin. de regul. in 6. iuncta gloſ. ibidem, & in cap. Porrectum v. Non faciat habitus, de regul. Tum quia quod omnes tangit ab omnibus approbari debet Reg. 29. in 6. Sed aliquem incorporare religioni tangit omnes de illo conuentu, cum per profeſſionem aquirat ius, quod alij profeſſi habent in religione. Tum quia profeſſio eſt quidam contractus, ex probatis cap. 1. q. 39. ergo in ea conſenſus præſtandus more aliorum contractuum, ſine quo exiſtere non poſſunt l. 1. ff. de pact. Reg. 85. in 6. Cum ergo nouitius incorporetur religioni, in qua non ſolum prælatus, ſed etiam ſubditi habent ius, hinc eſt, quod ad hunc contractum

omnes

omnes concurrere debent. Ita tenent Arm. v. nouitius nu. 11. Nau. conſil. 9. de conſt. à num. 12. Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 65. Ang. profeſſio num. 1. Graff. tom. 1. conſil. 4. de regul. Mirand. tom. 1. q. 24. art. 4. Rodr. tom. 3. q. 17. art. 7. quem eius Compendiator ſequitur reſol. 101. num. 59. cum quo ſuſtinet defectu conſenſus profeſſionem non eſſe ipſo iure nullam, ſed irritandam; reijciendus tamen, quia geſta defectu conſenſus requiſiti ſunt nullius roboris cap. Ea noſcitur, de ijs, quæ fiunt ad Prælat. & ſi defectu cōſilij requiſiti nulla ſunt ex cap. Nouit, cap. Quanto, eod. ergo multo magis nulla ſunt geſta ſine requiſito conſenſu. Nec verum eſt, quod ſubdit Compendiator tuendo ſuum patronum à Sanch. conſenſum ſuperuenientem habenti iam poteſtatem habere rationem formæ accidentalis, cuius omiſſione geſtum non vitiatur, quia non peruenit, ſed congeneus æqualiter eſt membris, ac capiti, cuius poteſtas in hoc dependet à conſenſu conuentus.

Nonnulli ex antiquis requirunt in ſuperiore conſiliū, non tamen conſenſum, dicentes ſolum Prælatum ſine cōſenſu conuentus nouitios ad religionem recipere poſſe, quos citat Nau. com. 3. de regul. num. 5. & Sanch. cit. num. 64. Probant 1. ex cap. Nullam, 18. q. 2. vbi dicitur totam poteſtatem pertinere ad Abbatem, explicat gloſa, ita totam pertinere ad Abbatem, vt non ad Monachos, 2. ex cap. Porrectum, cap. Ad apoſtolicam, de regul. & alibi; item in cap. 16. Seſſ. 25. vbi agitur de receptione nouitiorum ad profeſſionem, fit mentio ſolum de ſuperiore recipiente, & nulla de conuentu, ergo hæc facultas illi ſoli competit. 3. opinio contraria fundatur cap. Ea noſcitur, à nobis citato, ſed ibi ſolum dicitur, quod quando præſentatio ad beneficium pertinet ad collegiū non poteſt ſolus Prælatus præſentare, ex quo patet textū ibi ſupponere præſentationem ſpectare ad collegium, nō autem decidere ad vtrumq; attinere.

Rᵉ. ex ſupra probatis conſtare etiam de iure communi vt expreſſe id habet citatum cap. Congregatio, & non tā-

tum ex conſuetudine rationabili fere omnium religionũ, vt teſtantur Sanch. cit. num. 65. & Rodr. cit. art. 7. non poſſe prælatum creare religioſum ſine conſenſu cõuentus. Vnde ad primam rationem dico ibi Pelagium ſummum Pontificem loqui de poteſtate iuriſditionis, non autem ſuperioritatis, cuius actus eſt recipere ad profeſſionem ex probatis q. 1. hic; quod confirmatur, quia expedit iura iuribus concordare cap. Cum expediat, de elect. in 6 ſi enim ibi poteſtas expreſſe ſe extenderet ad creationem monachorum, is textus aduerſaretur alteri in cap. Congregatio 16. q. 7. vbi dicitur quod Abbas aliquem non poteſt ordinare ſine voluntate fratrum, hoc eſt facere monachum, vt docet Nau. conſil. 9. de Conſt. num. 12. Ad ſecundam dico in illis locis ideo ſolum fieri mentionẽ de prælato, quia ad illum præciſe ſpectat incorporare nouitium ad religionem, de qua incorporatione ſolum fit mentio, non tamen per hoc excluditur conſenſus prærequiſitus ad talem incorporationem, quæ ad ipſum ſubſequitur vt dixi initio huius capitis. Ad tertiam dico ex illo capite iuncta ſimul gloſa conſtare præſentationem de iure communi ſpectare ſimul ad prælatum, & collegium, & eſto id ibi ſupponeretur, adhuc bene infertur, id eſſe de iure communi, quia ibidem in caſu notatur, quod præſentatio facta ſine conſenſu collegij poteſt tenere, ſi prælatus habeat aliquod ius ſpeciale, ergo de iure communi ſpectat ad vtrumq;

In regula mei ordinis ſtatuitur cap. 9. vt ſuperior non recipiat nouitios ad profeſſionem ſine conſilio, & conſenſu fratrum; & licet in regulis Nicol. 4. & Leonis X. fiat mentio ſolum de conſilio, ſtandum tamen eſt præcitato capiti, quia Pius V. Conſt. 63. Ea eſt. Dat. 3. Iun. 1568. eam confirmauit vt continentem ſubſtantiam totius regulæ Nicolai 4. De regula autem Leonis X. nulla fit mẽtio neq; in ſtatutis, neq; in forma profeſſionis, in qua ſolius Nicolai exprimitur.

10 QVAERES. An ad valorem profeſſionis requiratur conſenſus totius conuentus, an ſufficiat maior pars capituli?

℞. Suf-

℞. Sufficit maior pars. Colligitur ex cap. 1. & fin. de ijs, quæ fiunt à ma. vbi dicitur, quod geſtum, ſeu reſolutum à maiori parte tenet, niſi minor pars rationabiliter reſiſtat. Ratio eſt, quia totum capitulum cenſetur facere quod facit maior pars. gloſ. in cap, 6. de Conſtit. v. Conſtitutum. Maior autem pars cenſetur illa, quæ in ordine ad totum capitulum excedit numero minorem, excluſo prælato, vt docent Ant. in cap. Poſtulaſtis de conceſſ. præbend, num. 11. Abbas ibid. aſſerens hoc verum in omni collegio, & alij, quos referendo ſequitur Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 69, Vecchius diſp. 12. dub. 1. nu. 12. Modo in aliqua religione non numeretur etiam prælatus ad augendum numerum.

11 QVAERES. An prælato annuente, & conuentu reſiſtente, vel è contra teneat profeſſio?

℞. Non, quia ſpectat ad vtrumq; ſimul, ex probatis q. 9. & docent Nau. conſil. 9. de conſt. num. 13. Rodr. tom. 3. q. 17. art. 7. Vecchius diſp. 12. dub. 1. num. 11. Mirand. tom. 1. q. 24. art. 4. Quare licet totus conuentus conſentiret in nouitium recipiendum, & ſuperior reſiſteret, inualida eſſet profeſſio, ſicut è contra ſi reſiſtente conuentu, prælatus reciperet profeſſionem nouitij, licet ſit Generalis, nulla eſt profeſſio. Nau. conſil. 37. de regul. Mirand. tom. 1. q. 24. art. 4.

12 QVAERES. An quando ex regula Prælati maiores habent facultatem incorporandi nouitios, excludantur locales, vt in noſtra Regula cap. 9. facultas hæc tribuitur illis, nulla mentione facta de Prioribus?

℞. Non excluduntur. Tum quia nulla eſt dictio excluſiua immo Sixtus IIII. Conſt. Ad Chriſti. Dat. 1480. refert olim profeſſionem recipi à Miniſtro, non diſtinguendo de locali neq; generali. Tum quia ſtatuta ſpecialia quantum fieri poteſt debent eſſe conformia iuri cõmuni, vel parum ab eo diſtare, vt probat Nau. ex cap. Dilectus, de conſuet. conſil. 9. de conſt. num. 14. ius autẽ commune hanc facultatem tribuit ſuperiori locali ex probatis q. 6. ideo prior non excluditur. Ita tenet Nau. cit.

In

In caſu autem quo maior, & minor ſuperiores ſimul cõcurrerent, maiore reſiſtente nulla eſt profeſſio, quia expreſſe conſtat maiorem ſuperiorem habere hanc facultatem de qua poteſt dubitari in minori, cum hæc facultas à regula expreſſe illi non concedatur: maiore vero aduerſante minoris receptio nullius eſt roboris, licet monaſterij conſenſus accedat, tum quia in tali caſu prelatus minor potius ſe habet vt vnum membrum de capitulo, non vt caput, monſtruoſum enim eſt in eodem corpore eſſe duo capita, extr. com. §. Vna, de maior. Tum quia prælatus maior inferioris facultatem limitare, & reſtringere poteſt etiam in re hac, vt expreſſe ſtatuit cap. Exijt, de verb. ſign. §. Sed quoniam, vbi dicitur quod facultas Prouincialis in ordine Minorum ad recipiendum ad profeſſionem, nouitium poſſe coarctari à Generali. Tum quia ſi ſuperior maior non poſſet recipere ad profeſſionem minore contradicente non eſſent ſubordinati ad inuicem, ſed pares, quod tamen falſum eſt, vt de ſe conſtat, quare inferiore reſiſtente ſuperior cũ aſſenſu conuentus ad profeſſionem valide recipere poteſt.

13 QVAERES. An in illis religionibus in quibus de iure ſpeciali, aut conſuetudine approbata ſpectat ad immediatum conuentus ſuperiorem recipere ad profeſſionem, nulla mentione facta de ſuperioribus maioribus, poſſint hi maiores recipere ad profeſſionem etiam contra voluntatem localis, accedente tamen conſenſu fratrum illius conuentus?

℞. Poſſunt. Probatur, tum quia ex eo, quod iure ſpeciali ſimul, & communi ſpectat ad localem, non inde tamen infertur hanc facultatem maioribus eſſe ſublatam, quia omnis poteſtas exiſtens in minori cumulatiue, & eminenter ſupponitur in prælato maiore, vnde Generalis habet in ſe omnem eam poteſtatem, quam habent Prouinciales, & hi cum Generali eam totam, quam habent Locales, poteſtas enim ſemper confertur à maiori ad minorem, cui ille eam non conferret, ſi illam in ſe prius non haberet, nemo enim poteſt transferre in alium ius, quod

non

non habet cap. Nuper §. Nos autem, de donat. inter vir. & vx. Tum quia in hac re Generalis reſtringit poteſtatem Prouincialis, vt retuli præcedenti quæſito. Tum quia ex Rodr. tom. 1. q. 17. art. 4. Maiores prælati reſtringunt poteſtatem inferiorum prælatorum, ergo contra eorum voluntatem poſſunt recipere ad profeſſionem. Ita colligo ex Sanch. lib. 5. cap. 4. nu. 71. Bonac. q. 2. de clauſ. p. 10. diff. 2. §. Sextus num. 2.

14 QVAERES. An prælatus excommunicatus non toleratus poſſit valide recipere ad profeſſionem?

℞. Poteſt. Probatur. Tum quia geſta ab excommunicato denuntiato ſunt inualida ſolùm ea, quæ pendent à iuriſditione proprie accepta ex communi doctorum Bonac. p. 5. de excom. num. 1. ſed incorporatio nouitij ad religionem non eſt actus iuriſditionis, ſed celebratio cuiuſdam contractus ſpiritualis, & eiuſdem acceptatio ad iura monaſterij. Tum quia contractus initi ab excommunicato vitando tenent, vt de communi probat Sair. lib. 2. cap. 9. de cenſur. num. 11.; ſed profeſſio eſt de genere contractus, ex probatis cap. 1, q. 39. Tum quia profeſſio tenet ex parte profitentis excommunicati vitandi aut tolerati, ex probatis cap. 2. q. 36. ergo & ex parte admittentis, non enim debet contractus claudicare l. Iulianus §. Si quis ff. de act. empt. Barboſa lit. C. numi 55. Thomaſetus regul. 84. Ita tenent Sanch. lib. 5. cap. 4. nu. 78. Vecchius ex ipſo diſp. 12. dub. 1. nu. 3. Bonac. cit. præced. q. num. 7.

15 QVAERES. An recipiens ad profeſſionem contra prohibitionem ſibi factam à ſuperiore, valide recipiat quando prohibitioni non annectitur irritatio facti contra illam?

℞. Tenet. Tum quia multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent. cap. Ad apoſtolicam, de regul. in materia receptionis nouitiorum ad profeſſionem vt ibi loquitur, licet nunc iure nouo Sacri Concil. ſeſſ. 25. cap. 15. talis receptio nimirum infra annũ probationis irritetur. Tum, quia hæc vt ſuppono, eſt ſimplex prohibitio, quæ

pote-

poteſtatem non tollit, ſed illius vſum contra prohibitionem exercitum reddit illicitum. Hoc procedit, prohibitio ſiue ſit à iure, ſiue ab homine, modo ei non adiungatur irritatio; & hoc locum habet, etiam ſi huiuſmodi prohibitio eſſet non ſolum ſimplex pœna, ſed etiam ſuſpenſio, & cenſura, etiam ſecuta declaratione, quia ſuſpenſio, ſicut & excommunicatio in vitando tollit ſolum poteſtatem iuriſditionis, non autem ſuperioritatis, à qua dependet actus receptionis ad profeſſionem, ex ſuperius dictis. Ita tenent Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 79. & ex ipſo Vecchius diſp. 12. dub. 1. nu. 5. contra Lapum, & Francum ab illis citatos, & Bonac. cit. ſub. q. 13. num. 7. §. Addit. qui aſſerunt nullam eſſe receptam profeſſionem, tum quia caret poteſtate per factam prohibitionem; ſed hoc falſum eſt, quia per ſimplicem prohibitionem infertur ſolum illicitus vſus. Tum quia inquit Bonac. Parochus ſuſpenſus ab aſſiſtendo matrimonio inualide aſſiſtit iuxta eumdem Sanch. num. 71. ſed ibi expreſſe dicit oppoſitum, ſe referens ad idem dictum lib. 7. diſput. 2. num. 10.

16 QVAERES. An ſuperiores maiores poſſint facere ſtatutum, vel oretenus in aliquo particulari caſu prohibere ne recipiantur ad profeſſionem nouitij tali defectu, vel vitio laborantes, vt morbo gallico, vel ex tali genere deſcendentes auferendo ſibi ſubiectis facultatem recipiendi, & conſentiendi in receptionem, addendo irritationem huiuſmodi receptionibus?

℞. Poſſunt condere huiuſmodi conſtitutionem prohibentem cum irritatione conſenſus, & receptionis attentatæ contra ſuum ſtatutum. Non poſſunt tamen condere ſtatutum inhabilitans ad profeſſionem huiuſmodi perſonas.

Primum ſuadetur. Tum quia ſuperior ex iuſta cauſa, qualis cenſetur in prædictis caſibus, poteſt inferiorem deponere à ſuo officio, & ſic conſequenter illi auferre omnē poteſtatem, ergo & hanc partem poteſtatis recipiendi nouitios, non enim eſt dubium partem in toto contineri

regul.

regul. 80. in 6. Tum quia prælatus maior poteſt reſtringere poteſtatem inferioris, vt docet Rodr. cit. ſub q. 13. Tum quia papa in cap. Exijt. de Verb. ſign. in 6. cit. ſub q. 12. ait quod Prouincialis facultas ad recipiendum nouitios poteſt reſtringi à Generali. Tum quia non ſolum ſubditi, ſed etiam prælati inferiores ſubijciuntur maiori prælato ratione promiſſę obedientiæ, vnde cum non habeant velle neq; nolle cap. 11. 12. q. 1. cap. 24. & 27. de elect. in 6. cap. 2. de Teſtam. in 6. cap. fin. de ſepult. in 6. bene infertur eorum voluntatem cũ ſimpliciter quo ad externa pendeat à ſuperiore, etiam in hoc ſubijci prælatis maioribus. Tũ quia ſuperiores maiores poſſunt nouitios prædictis defectibus, aut alijs laborantes eijcere à profeſſione, ergo & ſtatutum ſuper hoc facere, æquipollentia enim ſunt, aliquem expellere à religione, & eũ ad profeſſionem nolle admittere, ſeu legem condere non admittendi illum. Tum demum, quia hoc ſtatutum nõ eſt contra, ſed iuxta ius commune, quod maioribus prælatis concedit omnimodam poteſtatem ſuper prælatos minores illis ſubordinatos Cap. Inferior. diſt. 21. cap. Cum inferior. de Maior. Et ita ſentiunt Sanchez lib. 5. cap. 4. num. 71. & 73. Beia part. 4. caſu 35. Rodr. tom. 1. q. 10. art. 3. & tom. 3. q. 11. art. 2. eius Compend. reſol. 101. num. 60. & deinceps Nau. conſil. 26. de regul. num. 1. & 11.

An autem ſi de facto deueniatur ad receptionem profeſſionis teneat non præpoſita proteſtatione iuridice facta nouitio à ſuperiore, & conuentu proteſtantibus ſe non habere facultatem eum admittendi, & ideo fore nullam eius profeſſionem.

℞. Attentatam profeſſionem fore adhuc nullam, licet nulla præmittatur proteſtatio, quia profeſſio non redditur nulla omiſſione proteſtationis, ſed defectu conſenſus in admittentibus. Si vero prærequiratur proteſtatio ad nullitatem profeſſionis ex iure aliquo ſpeciali, illud attẽdendum eſt. Pro qua re vide Vecchium diſp. 13. dub. 15. præſertim num. 7.

Secundum de ſtatuto directe inhabilitante probatur Tum quia iure communi omnes fideles non habentes canonicum impedimentum ſunt habiles ad religionem, non enim eſt diſtinctio Iudei, & Græci, cum vnus & idem ſit omnium Dominus, ergo Papa inferiores non poſſunt cōdere legem prædictos excludētem à religione, quos neq; Papa excludit, vnde Papa Gregorius lib. 11. Epiſt. 61. Mauritio imperatori ſcribens, illum vehementer reprehendit, eoquod legem condiderat prohibētem recipi milites ante tempus militiæ completum in monaſterijs; quare ſignum eſt legem à religione prohibentem condere, ſpectare ad papam, & non alios. Tum quia ſtatutum factum contra non ſubditum eſt nullius momenti, cum ipſum non liget cap. 21. de ſent. excom. cap. 2. de conſt. in 6.; ſed tale ſtatutum eſt contra non ſubditos, cum ſit contra recipiendos, & incorporandos religioni; ergo non tenet. Sic ſentiunt præcitati doctores, contra Vecchium & alios ab eo citatos diſp. 4. dub. 1. num. 4. & 5. aſſerētes valere ex eo, quod non eſt contra ius commune, nam ſpeciale ſtatutum tunc dicitur eſſe contra ius commune cum illi poſitiue opponitur, non autem negatiue, vt eſt præſens. Sed conſtat directe, & poſitiue opponi iuri cōmuni, ius commune iudicat hos habiles ad profeſſionē, à qua illos non excludit ſicut dictum ſtatutum à pari de ſtatuto, & lege Mauritij Imperatoris. Præterea eſto non opponeretur iuri communi, ex alio capite apud me efficaciore, iudicatur nullum, quia, vt dixi fertur in non ſubditos.

10 QVAERES. An receptio profeſſionis poſſit à prælato delegari cuilibet non ſolum ſimplici religioſo, ſed etiam clerico ſeculari, aut perſonæ laicali?

℞. Poteſt. Tum quia nouitius poteſt procuratorem conſtituere delegando ipſum ad profitendum pro ſe, ex probatis cap. 2. q. 31. ergo & religio alium delegare profeſſionis receptorem. Tum quia eſt actus delegabilis, cum nullo iure prohibeatur; immo cap. Ad apoſtolicam de regul. dicitur Abbate per ſe, vel per alium recipiente,

non

non diſtinguendo de perſona delegata, ergo quilibet delegabilis eſt, nam dictio (Alius) ad quamuis perſonam refertur cap. Accedens, de Præbend. Et in cap. Inſinuante. Qui cler. delegata fuit cuidam de Fratribus S. Auguſtini. Tum quia ſecularis poteſt delegari in cauſa ſpirituali cap. 1. de Procur. in 6. Ita docent Roſella Nouitius 24. Rodr. q. 17. art. 12. Sanch. alios citans lib. 5. cap. 4. num. 77. Villalobos Tract. 25. diff. 20. num. 5. quem citando ſequitur Diana aliorum opinionum relator Tract. 2. de dub. regul. reſol. 70. contra quoſdam apud præcitatos.

18 QVAERES. An profeſſio nulla ex parte nõ habentis poteſtatem incorporandi conualeſcat per ratihabitionem prælati habentis poteſtatem recipiendi ad profeſſionem? e.g. in illis religionibus, in quibus ſuperior localis non habet facultatem recipiendi nouitios ad profeſſionem, an ſub ſpe ratihabitionis ſuperioris conualeſcat profeſſio antea nulla. Quod idem quæri poteſt, ſi conuentus, vel alius mortuo ſuperiore recipiat ad profeſſionem cum ſpe ratificationis futuri prælati?

℞. Prælatus exiſtens, vel futurus, cum erit, poteſt ratificare, & approbare illam profeſſionem, ſi vult, quia nihil obſtat in contrarium, ſi enim quantum eſt ex parte ſua poteſt ſimpliciter incorporare religioni, ergo, & attentatam receptionem approbare, ſeu vt proprius loquar, poteſt tunc per ſuum conſenſum, & approbationẽ profeſſionem antea nullam defectu ſui cõſenſus, & receptionis conſtituere validam. Illius tamen valorem non poteſt retrotrahere ad illum primum, quo illam emiſit inualidam, quia illa retrotractio contingit fictione iuris, quæ in profeſſione quo ad eius valorem non habet locum, in qua requiritur verus valor, & non fictus iure, vnde bene in iure cap. Significatum cap. Cum virum de regul. dicitur conualeſcere ex nunc, non ex tunc.

Et ex his non male infertur parum referre, quod profeſſio nulla defectu poteſtatis in admittente, dicatur ratificari per prælatum habentem hanc poteſtatem, modo

fuerit recepta profeſſio, atq; admiſſa à non potente nomine prælati potentis, ſiue enim recepta fuerit eius nomine, ſiue non, manifeſtum eſt ex dictis, accedente prælati conſenſu, & approbatione, eſſe tunc validam, & non antea, cum ad eam adſint tunc omnia requiſita. Nec obſtat reg. 9. Ratum quis habere non poterit, quod eius nomine geſtum non eſt. Habet enim locum in ratificatione retrotrahente, valor autem profeſſionis non retrotrahitur, vel intelligitur reſpectu aliorum effectuum ab ea procedentium, & in foro externo. Præterea prælatus poteſt ratificare geſta ſine ſuo nomine, quando geſtum ad ſui valorem requirit conſenſum, vt colligitur ex cap. Quod ſicut. de elect. illis verbis: *Niſi poſtea propter bonum pacis curauerint conſentire*, nam iſti fuerant contempti ab alijs, & ſic eorum nomine electio celebrata non fuerat: & cap. 3. de ijs, quæ fiunt à præl. papa dicit, quod capitulum poteſt ratam habere poſtmodum alienationem, quam eo reclamante fecit prælatus; ergo ratam habere poteſt prælatus profeſſioñe factam ſine ſuo nomine; firmatur enim tractu temporis, quod ab initio non ſubſiſtit quando ſublatis impedimentis aduenit conſenſus, explicant doctores hanc regulam 18. in 6. vnde dicit gloſ. ſuper reg. 9. quod ea non habet locum niſi in ſimplici ratificatione, vbi non interuenit conſenſus. Ad hanc ratificationẽ doctores, quos citando ſequitur Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 80. requirunt expreſſe profeſſionem ratificari, ſi ſit facta, ſeu recepta nomine ſuperioris, & aliam rationem non afferunt niſi regulam 9. ſuperius à me expoſitam; quibus adde Compend. reſol. 101. num. 64. Vecchium diſp. 12. dub. 1. num. 20. Nau. conſil. 40. num. 7. de regul. Rodr. tom. 3. q. 17. art. 12. Bonac. q. 2. de clauſ. p. 10. diff. 2. §, Sextus num. 9.

19 QVAERES. An conſenſus admittẽtium ad profeſſionem debeat eſſe liber ea libertate, quæ requiritur ex parte profitentis.

R. Non, ſed ſufficit coactus etiam metu graui. Tum quia quoties in iure ſit mentio de libertate requiſita ad

pro-

profeſſionem, ſemper ſermo de illa eſt in ordine ad profitentem. Tum quia libertas in voto eſt ſolum fauore vouentis, ne contra ſuam voluntatem cogatur aſſumere ſtatum perpetuum priuando ſe ſua libertate. Tum quia conſenſus coactus adhuc eſt cõſenſus cap. Merito, 15. q. 1. cap. Diſplicet, 23. q. 4. ergo non deeſt conſenſus ex parte acceptantium, conſequenter tenebit profeſſio. Hanc tenet Suar. tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 4. num. 21. quem citando ſequitur Vecchius diſp. 13. dub. 12. nu. 13. contra Leſſium lib. 2. cap. 41. dub. 7. nu. 6. aſſerentem eſſe nullã ob metum incuſſum acceptantibus.

Nec dicas 1. electio ſine conſenſu libero eligentium nulla eſt ex cap. Cum dilectus, de Conſuet. in fine, vt multis citatis in ſpecie docet Sigiſm. de elect. Prælat. dub. 52. ergo idem dicendum eſt de profeſſione ex parte acceptantium, valet enim argumẽtum ab electione ad profeſſionem in ordine ad libertatem conſenſus, docet ſupradictus Sigiſm. dub. 54. in fine 2. Requiritur liber conſenſus ex parte profitentis, ergo & ex parte recipientis, ne contractus videatur claudicare contra l. Litigatores ff. de Arbitr. 3. Profitens, & conuentus ſunt correlatiua ad inuicem, ille enim obligatur religioni, & is profitenti ex præſtito conſenſu ab vtraq; parte; ſed relatiua non debẽt ad imparia iudicari, ſed diſpoſitum in vno, cenſetur, & in altero l. fin. C. de Accept. ergo diſpoſita libertas reſpectu profitentis, cenſetur requiri etiam ex parte conuentus.

℞. ad 1. eſſe diſparem rationem, quia libertas in electione eſt à iure inducta ſolum fauore electorum, à quibus totus electionis valor pendet, & non electi; in profeſſione vero eſt potius fauore profitentis, qui per illam priuatur velle, & nolle, & ideo ſufficit libertas ex parte illius. Ad 2. dico libertatem conſenſus ſpectari in profeſſione vt votum eſt, quod ſicut perficitur à ſolo vouente, ita & reſpectu illius tantum exigitur libertas, non vero vt contractus eſt, & ideo non currit argumentum. Vel dic, illam regulam non habere locum niſi vbi militat

eadē ratio. Idē dic ad 3. vt docet Cynus ex leg. Curatore, C. de inter. Matrim. modo hic eſt diuerſa ratio, nam libertas eſt introducta fauore voti, quod conuentus non emittit, vt facit nouitius, ſed tantum illud acceptat.

10 QVAERES. An ſi nouitius reijciatur à ſuperiore, & conuentu, vbi peregit nouitiatum, poſſit à Generali cū aſſenſu Patrum ſui conuentus, vbi actu reſidet, valide admitti ad profeſſionem?

℞. Non. Probatur tum ex cap. Ad apoſtolicam, de regul. vbi præmittitur annus probationis fauore vtriuſq; vt nouitius aſperitates monaſterij, & conuentus mores nouitij experiri valeat, vt poſtea acceptatio inde ſubſequatur, ergo hæc acceptatio fieri non poteſt niſi dependēter ab anno probationis, Generalis autem cum ſuo conuentu mores illius nō fuit expertus. Tum quia ex Sacro Concilio Seſſ. 25. cap. 16. habetur, quod poſt annū probationis recipiant ad profeſſionem, quos habiles inuenerint, vnde acceptatio pēdet ex habilitate nouitij, ſed Generalis, neq; eius conuentus poſſunt habere cognitionē habilitatis nouitij, cum eius mores nondum experti ſint, immo potius debent credere ipſum fuiſſe reiectum ex ſua inhabilitate, & non ex malignitate conuentus, quia delictum in facto alieno non præſumitur leg. Merito, ff. pro ſoc. quare nulla erit attentata profeſſio. Nau. ita conſuluit 37. de regul. nu. 3. vbi dicit, quod Generalis non poteſt ſine conſenſu capituli illius conuentus, ad quem ſpectat admiſſio, aliquem recipere ad profeſſionem. Quod ſi nouitius adducat rationes, quibus probat fuiſſe reiectum iniuſte, poteſt Generalis mandare illis, vt nouitium recipiant ad profeſſionem. Et quod requiratur neceſſario conſenſus illius monaſterij, vbi nouitius perfecit nouitiatum, expreſſe dictat Leo X. in regula cap. 2. & docet noſtra cap. 9. & Rodr. tom. 3. q. 17. in fine art. 7. Si vero accedat conſenſus Patrum, vbi nouitius peregit probationem, tenet profeſſio, docet Portel v. Nouitia §. Additio. Eſt ergo id certum, quare quidam maiores videant qua ratione ſine dicto conſenſu admittere audent, peccant

peccant enim mortaliter, & filios adulterinos ſibi coaptant in præiudicium animarum ſuarum.

21 QVAERES. An conſenſus iſte præſtandus ſit ſecreto per fabas, ſeu calculos, & alia ſigna, an ore tenus?

℟. Vnuſquiſq; ſuæ religionis ſtatuta, & conſuetudines conſulat, & ſeruet: verum quidem eſt, quod melius eſt aſſenſum ſecreto porrigere, quia vnuſquiſq; hoc modo votum ſuum iuxta dictamen cõſcientiæ liberius præſtare poteſt, nam ore tenus aliquãdo quis ſuffragatur alicui, alias reffragaturus: vnde Leo X. in quadam conſtitutione citata à Vecchio diſp. 12. dub. 6. mandat Dominicanis, vt quæcumque negotia tractent per vota ſecreta.

22 QVAERES. An peccet mortaliter ſine iuſta cauſa negans votum habili ad profitendum, & e contra peccet ſi ſuffragetur inhabili?

℟. Peccat mortaliter in vtroq; caſu. Primum ſuadetur. Tum quia licet nouitius non teneatur profiteri, ſed poſſit retrocedere abſq; noxa, vt dicitur in cap. Conſulti, de regul. tamen ſi velit remanere, & profiteri habet ius ad profeſſionem, religio enim illum admiſit ad probationem, vt finito anno poſſet recipere ad profeſſionem, ſi eſſet habilis, ergo conuentus ex eo iure tenetur illum admittere, & cum agatur de re magni momenti, fit illi grauis iniuria, & conſequenter peccatur mortaliter. Quod habeat hoc ius ad profeſſionem ſi ſit habilis docet Hoſt. & Ioan. Andr. quos citando ſequitur Greg. Lopez. lib. 5. tit. 7. part. 1. Vnde Rota deciſ. 215. nu. 14. Coram Coccino reſoluit nouitium iniuſte reiectum habere ius agendi contra conuentum. Tum quia examinatores tenentur approbare, qui ex concurſu per examen apparet dignus, vt colligitur ex Seſſ. 24. cap. 18. & obſeruat Megal. conſil. 99. num. 4. nam concurſus dat illi ius ad beneficium Nau. Miſcell. 4. num. 9. ergo idem dicendum eſt in ordine ad profeſſionem. Videntur enim in hoc æquipollere, concurſus enim ad examen, & nouitiatus introducti ſunt ad experiendum, & cognoſcendum habilitatem promouendi. Tum quia ſine legitima cauſa diſſuadens religionem

gionem alicui peccat mortaliter contra Charitatem, ex Palud. & Anton. quos citando ſequitur Nau. cap. 12. nu. 44. ergo, & negans illi ſuffragium, quia id eſt plus, quam diſſuadere. Tum quia eſt cauſa, ne nouitius acquirat ſtatum religioſum, ſibi multum valde profuturum, & ſic illi non leuem facit iniuriam. Ita tenent Nau. cit. & alij quos citando ſequitur Vecchius diſp. 12. dub. 2. num. 1. contra Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 59. aſſerentem eſſe veniale, niſi expulſio eſſet grauis nota nouitio, quia non magis obligatur conuentus ipſum approbare, quam nouitius remanere, ad quod nullam habet obligationem, & confirmatur ex Concil. ſeſſ. 25. cap. 16. vbi dicitur. *Superiores nouitios, quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, aut è monaſterio eos eijciant*. Ex quibus verbis infertur ſuperiores poſſe libere expellere nouitios etiam habiles, de quibus ſolum ibi fit expreſſa mentio, nam de inhabilibus certum eſt eos eſſe expellendos. Sed dic tu ex prima ratione conſtare conuentum habere obligationem recipiendi nouitium, & non è contra. Ad confirmationẽ dico particulam, *Eos eijciant* referri ad inhabiles, aliter ſequeretur Concilium præcipere, ſeu concedere repulſam iniquam, & iniurioſam, quod non eſt dicendum, quia lex non debet eſſe vinculum iniquitatis. Barboſa lit. L. nu. 25. & lex iniuſta lex non eſt, D. Aug. lib. 1. de libero arbitr. cap. 5.

Alterum, peccare mortaliter inhabilem notabiliter ad religionem recipientem probatur. Tum ex cap. Monaſterijs 19. q. 3. vbi dicitur. *Nam dum graue ſit inexpertos hominum ſociari obſequijs, quis poſſit dicere quam ſit grauius ad Dei ſeruitium improbatos applicari*. Tum quia eligens indignum ad officium ſeculare peccat mortaliter ſecundum Caiet. v. Electio Arm. ibid. num. 5. quia multum damnificat rempublicam, ergo & eligens indignum ad Dei ſeruitium. Tum quia eligens dignum relicto digniore ad beneficium eccleſiaſticum peccat mortaliter ſecundum communem Theologorum, & Canoniſtarum, vt atteſtatur Nau. Miſcell, 37. nu. 2. ergo eo magis pec-

eat eligẽs ad religionem indignum. Sic ſentit Vecchius cit. num. 5. indignitas autem nouitij oriri poteſt præcipue ex duob. vel ex praua inclinatione ad malum, nam ex prauo eius exemplo multum periclitari poteſt diſciplina regularis, malorum enim familiaritate boni corrumpuntur ex cap. 8. de Iud. in fine, & ſeculares vt plurimum reſpiciunt ad vitam religioſi Valent. tom. 3. diſp. 10. q. 4. p. 6. Gerſon tom. 3. de vita ſpirit. lect. 6. apud Homobon. conſul. 100. part. 3. Vel ex inſufficientia litteraturæ, nam admittens ad ſtatum clericalem eum, qui vix ſcit pronuntiare non diſtinguens inter verba latina, & vulgaria ſine dubio peccat mortaliter, inquit enim Deus Oſee. 4. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris michi*; & cõmune axioma ſacrum eſt. *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter*. Qui ergo neſcit legere, & verba emendicat, atq; in ſingulis fere lineis incorrupte loquitur ſine dubio peccat, & irregularis eſt, ita quod ſi officium ſic negligenter exerceat, & quotidie celebret ſit in ſtatu peccati mortalis, & in hoc ſuperiores participes ſunt, cum teneantur huiuſmodi multum ignorantes ſuſpendere à diuinis officijs. Si vero iuuenis ſit nouitius, & litteraturæ addiſcendæ ſpem indubiam præſeferat, vt ſuis temporibus ordines recipere valeat, vt verbis Inſtit. Nouit. Clem. VIII. vtar. non peccant huiuſmodi recipientes. Vnde ſuperiores tenentur ſub mortali procurare, vt iuuenes, & alij capaces ſtudijs incumbant, prouidendo illis de neceſſarijs ad ſtudendum, aſſerit Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 27. nu. 14.

23 QVAERES. An conuentus nouitium alias habilem poſſit ſine culpa expellere præciſe ex eo, quod nolit ipſe, vel eius conſanguinei ſoluere expenſas?

℟. Poteſt, ſi initum fuit pactum eas ſoluendi, vt ſolet fieri in quibuſdam religionibus pauperibus, Probatur Tum ex Sacro Concil. ſeſſ. 25. cap. 16. vbi non reprobãtur expenſæ veſtitus, & victus pro nouitio in anno probationis, ſed conceduntur; ergo licite peti poſſunt, conſequenter ſub ea conditione vt expellatur, ſi illas non ſol-

uat.

uat. Tum quia pacta, & conuentiones ſunt ſeruãda cap. 1. & 3. de Pactis, ergo ſub hac conditione cogi poteſt nouitius. Et quod conuentus habeat ius exigendi expenſas pacto præcedente. docet Sanch. lib. 6. cap. 10. num. 5. Nec fortaſſis his obſtat Galuanus conſil. 12. quem ſequitur Vecchius diſp. 12. dub. 2. num. 3. dum aſſerit ea ratione non poſſe expelli nouitium alias idoneum, quia cõuentus non habet ius exigendi expenſas pro alimentis factas ſiquidem altari ſeruiens debet de illo viuere, quia hæc habent locum, quando non præceſſit pactum.

24 QVAERES. An poſſit ſine peccato recipi nouitius, qui impotens eſt ad obſeruantias regulares?

℞. Poteſt. Tum quia ſi eſt aliquod peccatum maxime eo, quod recipiens fit particeps peccati nouitij nõ valentis poſt profeſſionem obſeruare regulam; ſed nulla eſt peccati participatio, quia cum ſit impotens non peccat, impoſſibilium enim nulla eſt obligatio, & in dubio diſpẽſatur à ſuperiore, ergo ſicut non peccat receptus, ita neq; recipiens. Tum quia licet in facto non poſſit ſeruare regulam, bono tamen affectu poteſt illi multum prodeſſe, dando bonum exemplum domeſticis, & extraneis. Tũ quia ſaltem poteſt ſeruare tria vota, quæ ſolo voluntatis actu excoli poſſunt, docet Rodr. part. 2. cap. 6. num. 13. quem ſequitur Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 52. & huius tenet profeſſio, quia ad valorem profeſſionis neq; voluntas adimplendi promiſſa, neceſſaria eſt ex probatis cap. 2. q. 8. Et hoc præcipue procedit in illis religionibus, in quibus nullum eſt præceptum obligans ad culpam præter vota, ſuper quibus non poteſt cadere præſens quæſtio, quia ſolo mentis affectu obſeruari poſſunt, vt dixi; in alijs vero, vt vt in Franciſcana, & Reformatioribus prudentius agent, eos benigne licentiando, quia eorum inobſeruantia, licet excuſabilis, facile trahet alios in exemplum, & ſicut non licet membra à capite diſcedere Cap. 1. diſt. 12. & Cap. Cum nõ liceat. de Præſcr. ita neq; decet membra inter ſe differentia eſſe in regulæ obſeruatione. Quare conuẽtus poteſt etiam expellere illũ ſine peccato, quia huiuſmodi

impo-

impotentia reddit aliquo modo inhabilem nouitium ad iura profeſſionis, ex quo conuentus illum rationabiliter non expellere, ſed dimittere poteſt.

25 QVAERES. An Magiſter nouitiorum, cui ex officio Inſtit. Clem. VIII. ſuper reduc. Nouit. incumbit audire confeſſiones nouitiorum, poſſit refragari nouitio, quem ex ſola confeſſione nouit eſſe indignum?

℞. Poteſt. Si tamen vota ſecreto dentur, alias non. Primum ſuadetur quia ex hoc nulla ſequitur, neque ſequi poteſt ſigilli fractio, quia omnino ſuffragium remanet ſecretum, conſequenter confeſſio non redditur onerosa. Secũdum ex eo patet, quia adeſt periculum, poſſunt enim alij ex negato Magiſtri ſuffragio cogitare, ſe id feciſſe ex aliquo defectu occulto, cuius cognitionem habet ex ſola confeſſione, maxime quando ab alijs reputatur idoneus. Ita in ſimili de electione docent D. Thom. & Nau. plus aſſerentes non poſſe eligere quẽ ex vi confeſſionis ſciunt eſſe indignum. Contra Vecchium diſp. 12. dub. 4. prædictos contra ſe, & alios pro ſe citantem, addendo pro confirmatione ſui dicti Clem. VIII. Conſt. pro caſibus reſeru. à regul. mandare ſuperioribus, & confeſſarijs, qui poſtea ad ſuperioritatis gradũ fuerint promoti, caueant diligentiſſime, ne ea notitia, quæ de aliorum peccatis in confeſſione habuerint ad externam gubernationem vtantur; ex quibus verbis patet hanc cautionem non eſſe contra eligentes, ſed electos vtentes notitia confeſſionis.

26 QVAERES. An priuatus voce actiua, & paſſiua ſuffragium ferre poſſit in receptione nouitiorum?

℞. Priuatio vocis paſſiuæ non impedit, ſed ſolum actiuæ. Probatur quia ille eſt priuatus voce actiua qui eſt priuatus iure dandi vocem capitulariter, & collegialiter Gloſ. Imbi Clem. I. de regul. quam citant, & ſequuntur Nau. conſil. 6. de Verb. ſign. Rodr. tom. 2. q. 56. art. 1. §. Circa Sed receptio nouitij fit capitulariter, & collegialiter, ergo ea carens non poteſt vti in receptione nouitiorũ. Cõfirmatur, quia priuatus voce ſimpliciter cenſetur priuatus in omni genere negotij, vt loco citato docet

Nau.

Nau. & in terminis Graff. tom. 2. conſil. 2. diff. 11. n. 11. & Vecchius diſp. 12. dub. 6. Niſi extet in contrariũ ſpeciale ſtatutum religionis, vt extat apud Obſeruantes, teſte eodem Vecchio.

27 QVAERES. An præſtitus à conuentu conſenſus reuocari poſſit?

℞. Non; niſi emergat noua cauſa diſſentiendi. Probatur Tum quia quod ſemel placuit amplius diſplicere non non debet Reg. 21. in 6. & probatum ſemel non poteſt amplius reprobari. l. Pomponius ff. de negot. geſt. argumento cap. In iſtis 4. & cap. Horrendus 32. q. 5. modo non ſuperueniat iuſta cauſa, ex Ioan. Andr. in dicto cap. In iſtis per cap. Inſinuante. de off. deleg. in 6. vbi dicitur, quod quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio. Tum quia ſicut poſſunt reuocari ſponſalia ab altero coniuge ſuperueniente cauſa, nondum inito matrimonio, de communi apud Sanch. lib. 1. diſp. 62. num. 3. ita, & conſenſus in matrimonio ſpirituali, & conſtat ſimilitudo, quia ſicut ſponſalia ſunt præparatio ad matrimonium, ita nouitiatus ad profeſſionem. Ita docet Vecchius diſp. 12. dub. 7.

28 QVAERES. An valeat profeſſio, non obſtante concluſione facta iterum recipiendi vota pro quodam nouitio, in quem prima vice conſenſerant Fratres, ſed deinde cognitis quibuſdam eius vitijs petierunt à ſuperiore, vt de nouo inquireretur de eius habilitate, qui volens illis complacere propoſuit an id expediret, & concluſum fuit affirmatiue, vnde prælatus dubitans de excluſiua, noluit admittere nouitium ad nouum ſcrutinium, ſed mediante prælati maioris commiſſione de facto recepit ad profeſſionem.

Quidam Crouſers Capuccinus lect. 4. in cap. 2. regul. negat, cuius rationes, quas refert Vecchius diſp. 12. dub. 7. reſtringuntur ad hanc, quia prior conſenſus reuocatus fuit ſaltem tacite, hoc ipſo quod iudicatũ fuit deueniendum eſſe ad ſecundum ſcrutinium: & ad inſtantiam, quia licet non ſit integrum electoribus reuocare factam electionem

ctionem, non tamen valet inferre, neq; poſſe reuocari conſenſum præſtitum ad receptionem, aſſignat enim diſparitatem, quia electus aquirit ius ad electionem, nouitius autem nichil aquirit, ſed conſenſus præſtitus efficit, vt poſſit recipi ad profeſſionem. Confirmat Vecchius nu. 8. Tum quia concluſio recipiendi de nouo vota continet ablatiuum abſolutum, & ſic conditionem ſignificantem priorem conſenſum fore ſuſpendendum. Tum quia hæc concluſio requirens nouum ſcrutinium reſtringit, & irritat primum. Tum quia conſenſus fratrum debet durare vſq; ad horam profeſsionis; ſed mutatus fuit in alium de nouo exigendum, ergo deficiente conſenſu, nulla fuit profeſſio.

℞. Valet profeſſio, vt ore tenus reſpondit Leſſius, quia prior cõſenſus non fuit ſufficienter reuocatus, ſed per illud ſcrutinium ſolum concluſum fuit deueniendum eſſe ad nouam diſquiſitionem.

Aduerſariorum rationes nullius ſunt virtutis aſſerentes non probantes reuocatum fuiſſe priorem conſenſum, ſiquidem ratio eius falſa eſt, tum quia per illud ſcrutinium ſolum deciſum fuit deueniendum eſſe ad noua ſuffragia, in qua deciſione nulla apparet prioris conſenſus reuocatio, quia in illa nulla fuit facta proteſtatio de reuocatione prioris conſenſus, neq; interpoſita appellatio, ne procederetur ad recipiendã nouitij profeſſionem, in caſu enim de his nulla ſit mentio. Tum quia velle facere aliquid, non eſt illud facere, ſed animum ſuum declarare circa faciendum, ex cap. 3. de Voto. Nau. conſil. fin. de Teſtã. Cum ergo in re non fecerint ſecundum ſcrutinium propoſitum, remanet primum. Tum quia res per quas cauſas naſcitur per eaſdem diſſoluitur cap. 1. de reg. iur. ſed primus conſenſus habuit eſſe cum ſolemnitate capitulari, ergo tolli debuit eodem modo, ſed non fuit ſublatus, cũ non fuerit factum determinatum ſcrutinium, ergo adhuc remanet. Ad inſtantiam dico, & non facere ad rem, quia non dubitatur, an poſſit reuocari prior conſenſus, ſed de facto an ſit reuocatus, ad quod dixi negatiue, & eſſe pari-

tatem,

tatem, quia vtrumq; ſcrutinium caſſari poteſt ſubſiſtente noua cauſa, nam de electione habetur cap. Nulli, de elect. in 6. de conſenſu receptionis probatum fuit præcedẽti q. & ex vtroq; ſcrutinio aquiritur ius ab elect. ad electionẽ, & à nouitio ad faciendũ ſe recipere ad profeſſionẽ, & ſicut ad ſecundã electionem deuenire non poſſunt niſi prima caſſata cap. Conſiderauimus, de elect. ita neq; ad ſecundam receptionem, niſi prima caſſata. Ad primum Vecchij dico eſto intermedium ſcrutiniũ ſignificet priorem conſenſum fore ſuſpendendum, non fuiſſe tamen ſuſpenſum, quia nichil de hoc exprimitur in caſu, & conſequenter nulla ibi eſt conditio, quę deberet fundari in illa ſuſpenſione. Ad 2. iam conſtat non fuiſſe deſtructum cõſenſum, quia in concluſione non fuit appoſita reuocatio, neq; proteſtatio, neq; appellatio, vt dixi. Ad 3. conſequenter dico duraſſe priorem conſenſum, vt toties probaui. Et licet mentaliter ille conſenſus fuerit deſtructus, hoc tamen nihil obſtat, quia ſe habet ac propoſitũ, quod in mente retentum nichil operatur. l. Si repetendi C. de cond. ob turpem cauſ.

Quod ſi occurrat alius ſimilis caſus, vt prælatus non valeat recipere ad profeſſionem, debent, aut reuocare expreſſe priorem conſenſum in facienda concluſione; aut proteſtari, ſeu appellare, quia in tali caſu attentata profeſſio non eſſet valida, appellatione enim pendente nichil eſt innouandum cap. Dilecti filij 3. de Appell. & appellatione interpoſita ſtatus cauſæ mutari non debet cap. Ex parte. 2. de Reſcr. & appellatione ſuſpenditur iuriſditio & facultas in iudice, & prælato cap. 10. de Appell. in 6.

29 QVAERES. An ſuperior poſſit impedire huiuſmodi nouum ſcrutinium faciendum ſuper idoneitate nouitij?

℟. Non poteſt, quando reuera ipſi faciunt conſtare inhabilitatem nouitij, & tunc eo contradicente, conuentus poteſt ad illud deuenire. Probatur, tum quia ex q. 11. reſiſtente conuentu ſuperior nouitium ad profeſſionem

recipere non poteſt, ſed conuentus in hoc caſu habet ius reſiſtendi non obſtante primo conſenſu, vt patet ex q. 27. ex noua ſuperueniente cauſa, ergo prælatus non poteſt impedire nouum ſcrutinium. Tum quia ſicut quis tenetur prauum reuocare conſilium, ita & malum conſenſum tertio præiudicans, ergo ſuperior reuocationem conſenſus impedire non poteſt, aliter eſſet articeps futuri præiudicij, immo author. Tum quia prælati habent iuriſditionem non in deſtructionem, ſed in ædificationem, deſtruerent autem ſi impedirent huiuſmodi nouum iudicium. Tum quia in illicitis non eſt ſtandum mandato ſuperioris à cap. 91. ad 100. 11, q. 3. cum tunc nullum ius habeat præcipiendi, ſed in caſu prædicto mandatum, & impedimentum eſt illicitum, cum ex eo ſequatur indignum recipi ad profeſſionem. Demum capitulum aliqua ſine prælato facere poteſt, vt apparet ex tit. de ijs, quæ fiũt &c. ergo & in caſu hoc, cum habeat rationabilem cauſam capitulum.

30 QVAERES. An in ſcrutinio præſtando à conuẽtu prælatus concurrat ſimul cum illo, an excludatur?

℞. Excluditur de iure. Suadetur, tum quia ad prælatum ſpectat ordinare monachum, ad capitulũ vero præſtare conſenſum ex cap. fin. 16. q. 7. Tum quia notum eſt ſuperiorem ex officio ſuo incorporare nouitium religioni accedente conſenſu ſui capituli ex q. 9. hic, ergo. Tum quia nomine conuentus, ſeu capituli non venit prælatus ex gloſa in clem. 2. de ætate per iura ibidem allegata, ſed conſilium, & conſenſus exigitur à conuentu, quo nomine non venit ſuperior. Tum quia ſi concurreret præiudicaret ſibi, & ſuis ſucceſſoribus, nam habet ius dimittendi nouitium, ſi nolit ex iuxta cauſa ipſum incorporare religioni, quamuis conuentus etiam totus conſenſerit in receptionem ex q. 11. Si autem ſuperior ferret refragium, & conuentus ſuffragium, tunc in tali caſu eius negatiua eſſet nullius roboris, quia cum ſit occulta, & maior pars conuentus conſenſiſſet in nouitium, prælatus contra ſuum votum cogeretur recipere nouitium ad profeſſionem, &

conſe-

conſequenter profeſſio eſſet nulla ex non præſtito conſenſu prælati, qui eſſentialis eſt valori porfeſſionis. Demũ ex probatis hic q. 10. votum prælati non numeratur inter ſuffragia conuentus, ſed maior pars accipitur excludendo prælatum, ergo non concurrit ad vota conuentus pro nouitio recipiendo.

31 QVAERES. An conſenſus ex parte monaſterij præſtitus in profeſſione nulla renouandus ſit in ratificatione profeſſionis?

℞. Negatiue cap. 6. q. 11.

32 QVAERES. An voluntas parentum poſſit obligare filios ad religionem, itaut profeſſio ab illis dependeat?

℞. Non. Suadetur, Tum quia non poſſunt incorporare religioni, cum non ſint de religione, ergo eorum volũtas non requiritur ad profeſſionem. Tum quia filius in ijs, quæ ſpectant ad ſtatum vitæ, vt in matrimonio, & religione, filius non tenetur obedire parentibus, regulariter loquendo, docent omnes cum Bonac. q. 4. de Matrim. p. 17. num. 18, ergo parentes non poſſunt eoſdem obligare religioni, vbi enim nulla eſt ſubiectio, neq; obligatio. Nec ijs obſtant cap. Addidiſtis. cap. monachum. cap. Quicumq; & alia id genus 20. q. 1. vbi dicitur, quod paterna deuotio, aut propria profeſſio facit monachum; intelligitur enim hoc, ſi puer oblatus religioni à parentibus ratum habuerit oblationem poſt annos diſcretionis aptos ad profitendum, conſentiendo profeſſioni, vt docet gloſ. in citatis capitibus, per cap. Cum virum. de regul. vbi id expreſſe dicitur. Vnde dixit Hoſt. in cap, 2. de regul. & Ant. de Butrio, aſſenſum, ſiue diſſenſum parentum nullum afferre impedimentum profeſſioni filij. Vide dicenda, cap. 4. q. 9.

33 QVAERES. An conuentus putans, & probabiliter credens recipere ad profeſſionem Petrum, ſi de facto recipiat Paulum, teneat profeſſio?

℞. Non tenet. Probatur ijſdem rationibus, quibus cap. 2. q. 24. probaui non valere profeſſionem eius, qui

inuin-

inuincibiliter putabat profiteri in vna, & de facto profecit in alia; militat enim eadem ratio, & ſicut non tenet cōſenſus profitentis, ita neq; conuentus conſentientium in alium diuerſum ab eo, cuius fauore intendebat conſentire. Et ita inſinuat à ſimili Vecchius diſp. 13. dub. 13. ad finem.

34 QVAERES. Quas nam pænas ius commune ſtatuat contra admittentes ſimoniace nouitium ad habitum religionis?

℞. Iure antiquiore per extr. citandam renouato, ingreſſus transfertur in aliud monaſterium arctius ad agendum ibi perpetuam pænitentiam. cap. Veniens, cap. De regularibus, cap. Dilectus 2. cap. Quoniam, de Sim. Recipiens vero debet reſtituere acceptum, ex cit. cap. Veniens, & præterea detrudendus in arctius monaſterium ad agendum pænitentiam, alijſq; pænis affligendus condignis, cap. cit. Dilectus, & Quoniam, de Sim. Vrbanus vero IV. extr. com. Sane, eod. religioſos quoſcumq; vtriuſq; ſexus ſiue ſuperiores, ſiue ſubditos directe, vel indirecte ex pacto aliquid recipiētes pro ingreſſu, ſiue ſint pecunia, ſiue paſtus, iocalia, aut quæuis alia etiam pro vſu pio eccleſiæ, & ex pacto dantes, tam viros, quam fœminas ingredi volentes vti ſingulares perſonas afficit excommunicatione, conuentus vero, & capitula ſuſpenſione illas ſibi reſeruando.

Dubia aliqua hic occurrunt. I. An hæ pænæ incurrātur ſolum profeſſione ſecuta, an etiam in ingreſſu nouitiatus? II. Quid veniat nomine ſuſpenſionis hic? III. An aliquid accipi poſſit ab ingrediēdo oblatum à religione? IV. An aliquid accipi poſſit abſq; incurſione dictarum pænarum?

Primo. Incurruntur ſolum profeſſione ſecuta, quia in iure nomine ingreſſus venit irreuocabilis, qui eſt profeſſio, ſic ſentit Bonac. de Simon. §. 4. num. 11. ſequendo Suar. tom. 1. de relig. lib. 4. de Sim. cap. 56. contra Filiucium cap. 13. de Sim. q. 4 num. 11.

Secundo. Nomine ſuſpenſionis venit priuatio à re-

ceptione ad profeſſionem. Suadetur. Tum quia quis in eo venit puniẽdus, in quo deliquit, cap. 42. de Appell. cap. fin. de Vſur. Tum quia in ſimili caſu de profeſſione emiſſa, & recepta infra annum probationis, Mendicantes ſuſpenduntur à receptione ad profeſſionem, per cap. 2, de regul. in 6. vt probatur ſequenti quæſito. Tum quia iſta ſuſpenſionis pæna communis eſt capitulis, & conuentibus tam virorum, quam monalium, vt aperte colligitur ex verbis conſtitutionis; cum autem moniales ſint capaces huius ſuſpenſionis, & non eius, quæ eſt propria clericorum, concludendum eſt, ibi ſermonem eſſe de ſuſpenſione à receptione profeſſionis; non autem à ſuſpenſione proprie accepta pro priuatione ab officio, & beneficio, quæ competit ſolis clericis, quidquid dicant communiter doctores cum Bonac. Filliucio, & Suar. citatis.

Tertio. Petens aliquid à monaſterio, vel monaſteriũ ipſum offerens aliquid viro docto, vel diuiti, vt a religione rapiatur non incurrit has pænas, quia imponuntur religioſis recipientibus, non autem offerentibus, neq; volentibus ingredi petentibus, ſed tantum dantibus, vt colligitur ex verbis extrauagantis.

Quarto. Poteſt aliquid accipi intuitu expenſarũ, quæ fiunt illo anno, vel etiam ratione paupertatis conuentus, præſcindẽdo ab illo, quod recipiatur præciſe pro ingreſſu religionis, ita enim dare, vel accipere non eſt ſimonia, vt probaui cap. 1. q. 41. §. Nota, & expreſſe dicitur cit. cap. Dilectus, & in fine citatæ extrauagantis.

35 QVAERES. An ſimoniace religionem ingreſſus habeat ius ad alimenta, ſicut habent cæteri profeſſi?

℞. Habet, quia ex hoc capite non ſecus eſt profeſſus ac ceteri, qui ſimoniace non ſunt ingreſſi; neque enim profeſſio eſt beneficium eccleſiaſticum, quaſi ex hoc non habeat ius ad alimenta, & ad alia iura religionis, vt probaui cap. 1. q. 43, contra Nau. com. 4. de regul. nu. 25. Rodriquez. tom. 3. q. 63. art. 3. quos impugnat Sanch. lib. 8. cap. 4. num. 39.

36 QVAERES. An ſit aliqua pæna ſtatuta contra

reci-

recipientes nouitium ad profeſſionem infra annum probationis?

℟. Comminatur pæna excommunicationis, quæ non eſt latæ ſententiæ, ex gloſa. v. Sub pæna, cap. Non ſolum de regul. in 6. & præterea ſunt ipſo iure ſuſpenſi à receptione quorumcumq; ad profeſſionem ſui ordinis Prædicatores, & Minores, ex citato capite, & cæteri Mendicantes nouitium infra annum probationis recipientes ad profeſſionem ex capite, Conſtitutionem, eod. De qua pæna agunt Silu. religio 3. q. 17. Angel. v. Nouitius nu. 3. & 4. Roſella num 4. & 6. Sanch. lib. 5. cap. 4. nu. 8. vbi num. 10. concludit nunc poſt Concilium non habere locum, ſed ceſſare, quia pæna alicui ſtatui ſtatuta locũ non habet, quando actus irrite fit; quod non placet, quia adhuc in caſu noſtro actus eſt nullus, & pæna ſuſtinetur, & multa ſunt ſtatuta actum attentatum irritantia, & tamen viget pæna inflicta contra facientes. Hæc autem non ſolum eſt pro Mendicãtibus illius temporis, qui tunc erant quatuor ordinum Prædicatorum, Minorum, Auguſtinianorum & Carmelitanorum ex Concilio generali Lugd. ſub Greg. X. relato cap. Religionum, de relig. dom. ſed etiam ſubſequentium à ſede apoſtolica poſt approbatorum, quia lex ſemper loquitur l. Ariani C. de hæret. Ab hac autem ſuſpenſione abſoluunt ſuperiores religionis docet Hoſt. relatus ibi à gloſ. Suſpenſos, argumento cap. Nuper, de ſent. excom. vbi dicitur, quod quotieſcumq; legislator ſibi non reſeruauit abſolutionem eo ipſo videtur facultatẽ alijs reliquiſſe relaxãdi, & ita bene ſentiunt Ang. & Silu. citati, contra nonnullos.

37 QVAERES. Quaſnam pænas ſtatuerint Summi Pontifices Sixtus V. Greg. XIV. & Clem. VIII. in ſuis conſtitutionibus, de quibus cap. 2. q. 52. & ſeq. contra ſuperiores regulares nouitios admittentes, earum forma non ſeruata?

℟. Sixtus V. in prima conſt. Cum de in omnibus, afficit excõmunicatione ſibi reſeruata, quoſcumq; ſuperiores locales, ſiue prouinciales, aut generalem recipientes ad

habitum, vel ad profeſsionem illegitimos ex inceſtu, vel ſacrilegio procreatos; de alijs religioſis non fit mentio, ideo excluduntur ab hac pæna. Hæc pæna poſt conſtitutionem. Circumſpecta Greg. XIV. qui quoſcumq; illegitimos fecit habiles ad religionem, excepto filio reſpectu religionis, in qua viuit pater, non habet locum præciſe quod ad receptionem illegitimi, quia pænam non meretur legis conceſsione factum l. Gracchus, C. de Adul. Neque oppoſitum ex conſt. In ſuprema. Clem. VIII. reducentis prædictas ad terminos iuris quo ad valorem profeſsionis, colligitur, vbi dicit, ſe velle ſaluas eſſe pænas inflictas contra ſuperiores, qui in admittendis ad habitum, & profeſsionem regularibus earumdem conſtitutionum formam non ſeruauerint. Nam ibi ſermo eſt de pænis contra ſuperiores in ordine ad illos, qui recipi non poſſunt, cuiuſmodi ſunt obnoxij debitis, & ratiociniis, nō autem de illegitimis, excepto filio in religione, in qua pater viuit, cum illi, vt dixi, licite recipi poſsint, non autem alijs quamquā vtrius profeſsio ſecuta teneat, ex probatis cap. 2. à q. 52. ad 60.

Idem Papa in eadem conſt. Cum de omnibus, priuat vocibus actiua, & paſsiua nec non officiis, gradibus, honoribus, & dignitatibus quibuſcumq; per eos obtentis, cū perpetua inhabilitate ad illa, & alia quæcumq; obtinenda religioſos quoſcumq; eorumq; ſuperiores recipientes criminoſos, ære alieno oppreſſos, & ratiociniis obnoxios; nec obſtat prædicta Clem. VIII. conſtitutio reducentis ad terminos iuris conſtitutionem Sixti V. quod ad valorem profeſſionis, quia vult manere pænas inflictas contra huiuſmodi recipientes, quibus non indulget receptionem, ſed prohibet ex cap. 2. q. 58. probaui §. Licet, ſiquidem reſpicit ſolummodo fauorem recepti, non autem recipientis.

Nomine graduum, honorum, & dignitatum veniunt officia cum onere, & ſuperioritate coniuncta, non autem gradus lectoris, prædicatoris, confeſſarii, magiſtri, regētis, & cætera huiuſmodi, vt declarauit idem *Sixtus* in

eadem

eadem conſtitutione. Ad Romanum.

Clemens VIII. conſt. Sanctiſsimus, apud Quar. cit. priuat omnibus officijs obtentis atq; vtraq; voce cũ perpetua inhabilitate ſuperiores, qui probant nouitios in conuentibus non deputatis pro nouitiatu à ſede apoſtolica; quam loci nouitiatus deſignationem faciendam nouiſsime mandauit Vrbanus VIII. in ſuo Breui. Religioſos. Dat. 11. Apr. 1631. mandando Generalibus, ac etiam Procuratoribus generalibus, quatenus viſo Breui ſuo curent deſignari, vel deſignata monaſteria, in quibus nouitij probantur, confirmari tenoris ſequentis.

BREVE S. D. N. D. VRBANI diuina prouidentia Papa VIII. Super Profeſſionibus per Regulares emiſſis non facto in locis deſignatis Nouitiatu.

Ad futuram Rei Memoriam. Religioſos viros, qui ſpretis huius ſeculi vanitatibus, diuini Numinis obſequijs ſub ſuaui Religionis iugo ſeſe manciparunt, paſtorali benignitate complectimur, vtq; in vocatione, qua vocauit eos Dominus, permaneant, iuxta creditum Nobis Apoſtolica ſeruitutis munus ſedulò intendimus, ac deſuper eiuſdem muneris partes propenſis ſtudijs intendimus, prout ad Dei laudem, Catholicaq. Eccleſia decus, & exaltationem conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cùm itaquè ſicut accepimus quamplures Ordinum, Congregationum, & inſtitutorum regularium profeſſores ad habitum regularem recepti probationis annum in Monaſterijs, ſeu Domibus regularibus ad id deſignatis, vel ab Apoſtolica Sede approbatis minime fecerint, proindeq; iuxta Conſtitutionem fel. rec. Clementis Papa VIII. pradeceſſoris noſtri deſuper editam, profeſſio per eos ſubinde emiſſa inualida exiſtat: Nos religioſos pradictos ex huius ſancta Sedis benignitate ſpecialibus fauoribus. & gratijs proſequi volentes, eorumq; ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa la-

tis, ſi quibus quomodolibet innodata exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, Venerabilibus fatribus noſtro Scipioni Epiſcopo Sabinen. Cardinali Burgheſio nuncupato maiori Pœnitentiario vel Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, cæteriſq; Ordinarijs locorum in quibus eorundem Religioſorum Monaſteria, Domus, ſeu Conuentus, aliaue regularia loca conſiſtunt, ſiue ipſorum Religioſorum præfectis, vel Superioribus generalibus per præſentes committimus, & mandamus, quatenus omnes, & ſingulos Religioſos prædictos, qui ad habitum regularem alias canonice recepti annum probationis in Monaſterijs, ſeu Domibus regularibus ad id deſignatis minime fecerunt, ſubindeq; profeſſionem nihilominus emiſerunt, ad profeſſionem denuo ſeruatis alias ſeruandis emmittendam, quæ ſic emiſſa illis, & eorum cuilibet tàm in foro interiori quàm exteriori ſuffragari debeat, abſque nouo probationis anno ex ſpeciali huius ſanctæ Sedis benignitate auctoritate noſtra Apoſtolica recipiant, & admittant; eoſdemq poſtquàm profeſſionem denuo, vt præfertur, emiſerint, ad omnes gradus, honores, dignitates, praeminentias, atquè habilitates, quas ſi ab initio valide profeſſi eſſent, legitimè obtinerent, eadem auctoritate reſtituant, ac reſtitutos eo ipſo eſſe, & cenſeri declarent, itàut habeant eundem locum, ſeſſionem, & votum, prout haberent, ſi priores profeſſiones validæ fuiſſent, & nondum promoti, ad omnes etiam ſacros, & præsbyteratus ordines, ſeruatis aliàs ſeruandis, promoueri, & tàm ipſi quàm alij ad eoſdem ordines iam ritè promoti in ſuſceptis ordinibus huiuſmodi, etiam in altaris miniſterio miniſtrare liberè, & licitè valeant, nec non omnes actus, ſiue contractus quos contraxerunt, & legitimè contraxiſſent, vel cum laicis, vel cum alijs Monaſterijs, ſeu alterius Religionis viris, ſi nullum aliud paterentur vitium, vel defectum, niſi ex eo ſolum quia initi aut contracti ſunt inualidè ab ijs, qui cõtra dictam Conſtitutionem in Domibus non deſignatis, ſiuè ab eadem Sede non approbatis, profeſſi ſunt, auctoritate noſtra

ſtra

ſtra prædicta confirment, & approbent, ac validos omnino declarent, ſuper quibus omnibus & ſingulis plenam, & amplam facultatem dicta auctoritate, tenore præſentium tribuimus et impartimur, Decernentes præſentes litteras, & in eis contenta, atq. illarum vigore in præmiſſis facienda, & exequenda quæcunq. valida, firma, & efficacia exiſtere; et fore, ſuoſq. plenarios, et integros effectus ſortiri, obtinere ac omnibus & ſingulis, quos illa concernunt, & concernent quomodolibet in futurum, in omnibus, et per omnia pleniſſimè ſuffragari, eoſque præmiſſorum occaſione, vel prætextu quomodolibet moleſtari, perturbari, aut inquietari nullatenus poſſe, nec debere, ſicquè, & non aliter ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales etiam de latere Legatos, dictaq; Sedis Nuncios, in quauis cauſa et inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, irritum quoquè & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac præfata Clementis Prædeceſſoris alijsq; Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non quatenùs opus ſit, Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum huiuſmodi, & quibuſuis alijs etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis, Statutis, et Conſuetudinibus, Priuilegijs quoquè Indultis, & Literis Apoſtolicis, illis, eorumquè Superioribus & perſonis ſub quibuſcunquè tenorib. & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſquè efficacioribus, & inſolitis clauſulis ac irritañ. alijſquè decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium, etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & aliàs quomodolibet iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innouatis; Quibus omnibus, etiamſi de illis ſpecifica, & expreſſa, ac indiuidua, & de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idē importantes mentio, ſeu quæquis alia expreſſio habenda, aut

aliqua exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris. hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe harum ſerie derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumquè. Ceterùm ſimilibus imposterum cōſultum eſſe volentes dilectis filijs Ordinum, Congregationū, & Inſtitutorum huiuſmodi Superioribus generalibus quocumquè nomine cenſeantur, ac Procuratoribus etiam generalibus per præſentes diſtrictè præcipimus, et mandamus, quatenus ſtatim viſis præſentibus loca, Monaſteria, vel Conuentus in quibus Nouitij probationis annum agant, & alia quæ dictus Clemens Prædeceſſor ſuper hac re obſoruari iuſſit obſeruentur, deſignari, ſiue confirmari omnino curent, & faciant. Vt autem præſentium notitia ad omnes facilius perueniat, volumus vt illarum, exemplis, etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in Iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ; Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Anulo Piſcatoris die ij. Aprilis M. DC. XXXI. Pontificatus noſtri anno Octauo,

38 QVAERES. An ſuperiores nouitium recipientes ad religionē, nulla præmiſſa informatione, incurrant prædictas pænas?

℟. Nequaquam, quia illæ pænæ, vt patet ex prædictis, infliguntur ſuperioribus recipientibus inhabiles illos, non autem omittentibus illas informationes, & in hoc nullam puto eſſe difficultatem; quia aliud eſt recipere inhabiles, aliud omittere informationes, de quibus ibi dicitur; neq; enim lex aptatur illis, quibus nec verba congruunt cap. 3, §. Penul. de elect. in 6. Docet Vecchius diſp. 7. dub. e. nu. 3. Rodr. tom. 3. q. 54. art. 4. cum ſuo comp. Reſol. 401. num. 91. Portel. v. Nouitius num. 6. Diana eoſdem citans reſol. 83. de regul. requirētes aliquod impedimentū ex relatis in conſtitutione Sixti V. Pontificis Maximi, ita quod ſuperiores regulares per ſolam omiſſionem præciſe informationum nullam incurrunt pænam

39 QVAE-

39 QVAERES. An bona fide, ſeu etiam ex aliqua negligentia recipiens aliquem ex prædictis inhabilem incurrat illas pænas, an præterea requiratur temeritas, ſeu dolus, & malitia?

℞. Requiritur dolus, & malitia, vt colligitur ex verbis illis. *Et ſi qui eorum contra præſentem noſtram conſtitutionem temere admittentur.* hæc enim dictio, *Temere*, idē ſignificat, quod ſcienter facere, & ex malitia Card. in Clem. 1. §. Si quis, de ſtatu mon. & ibi Anchar. Quare nolens præmittere informationes, ne impedimentum notificetur, aut recipiendo illas per teſtes ſelectos contrariū probantes, vel alia ſimili ratione, & medio eludens impedimentum, vt iuuenem recipiat ad religionem, ſine dubio dictas pænas incurrit. Quod ſi bona fide, aut etiā ex ignorantia craſſa, & lata culpa, quia neglexit recipere informationes, quas poterat recipere, præciſis dolo, & malitia, non incurrit has pænas, quia ignorantia, & bona fides inculpabilis ſine dubio excuſat à peccato, & conſequenter etiam à pæna quacumq; vt communiter docent omnes præſertim canoniſtæ in cap. 2. de conſtit. in 6. vbi dicitur, quod ignorantia, quæ non eſt craſſa, neque ſupina excuſat à ſententijs quorumlibet ordinariorum, ſiue ſint cenſuræ, ſiue aliæ penæ tam ſpirituales, quam temporales, ex gloſ. Sententijs, ibid quod locum habet, quando lex non vtitur verbo, *Præſumpſerit*, aut dictione *Temere*, quia in his, & ſimilibus excuſat ignorantia etiam ſupina, quæ ſine dolo, & malitia eſt, procedens ſolū ex negligentia quamuis lata, qua ſuperior omiſit ex inſcitia inquirere de qualitatibus nouitij, non autem affectata, quæ ſine malitia eſſe non poteſt, cum in eo caſu fingat ſe neſcire impedimentum, vel non teneri inquirere, vt inhabilem admittat; quod ignorantia craſſa, excuſet late probat Sanchez. lib. 9. diſp. 32. à num. 36. & in caſu noſtro præter Vecchium cit. diſp, 7. dub. 5. num. 3. docent Rodr. tom. 3. q. 54. art. 4. & cum eius Compēd. reſol. 101. num. 88. & 91. Portel. v. Nouitius num. 6. §. Aduertit, quamquā iſti ex ſola omiſſione culpabili volūt ſuperiores incurrere dictas pænas.

Citatus

Citatus Rodr. art. 1. cum ſuis affirmat Sixtum V. illos crimino ſos, & obnoxios debitis non feciſſe inhabiles omnino, & ſimpliciter, ſed ſolum quando temere recipe- rentur, omiſſa .s. informatione, præmiſſa vero bona fide, eſſe habiles, quamuis poſtea inueniãtur ex parte rei inha- biles. Hoc probat .1. quia papa tantum intendit com- peſcere audaciam eorum ſuperiorum, qui ſub colore cha- ritatis, inordinatæ tamen, præſumebant recipere tales criminoſos, vt eos protegendo, eximerent à iudicio fori externi, non autem efficere eos inhabiles; ſed non placet, quia ad compeſcendam ſuperiorum audaciam nullum efficacius medium, quã eoſdem recipiendos ſimpliciter inhabilitare 2. probat, quia actis diligenter informatio- nibus, fieret illis iniuria, ſi cognito defectu expellerentur. Falſum eſt, quia ſine dubio notum eſt ipſis recipiendis proprium impedimentum, vnde ſibi aſcribant repulſam, quia ex ſua iniquitate comodum non debent reportare cap. 7. de Iud. & qui non facit, quod debet, recipit, quod non oportet l. Iulianus §. offerri ff. de act. empt. ſi enim ingreſſus tacuit impedimentum, poſtea propalatum, iuſte reijcitur, ne propria malitia illi ſuffragetur, præterquam- quod verbum *Temere* non ſolum ad ſuperiores, ſed etiã ad recipiendos refertur, cum ad inuicem relationem ha- beant. Probat 3. quia eſt lex pœnalis reſtringens ius cõ- mune, quod licet prohibebat illorum receptionem, non tamen irritabat profeſſionem, vt facit Sixtus V. lex autem correctoria alterius iuris ſufficit ſi in minimo illud corri- gat, vitanda enim eſt correctio legum, quantum poſſibile eſt, ergo ſufficit ſi verificetur in hoc, quod illi dicantur in- habiles, quando omiſſæ fuerunt informationes; quod pro- bat verbis multum efficacibus ipſius Sixti V. ſic. *Tamen ſi diligentia adhibita nichil appareat, quod eos impediat, ha- biles eos putandos eſſe*. Ex quo appatet eos inhabilitari in quantum temere admittuntur, non autem ſi bona fide.

9 Hæc non obſtant; quia lex vetus per hanc nouam re- ſtringitur, & corrigitur quantum patiuntur verba, quæ expreſſe inhabitant, & irritam reddunt profeſſionem eo-

rum

rum, qui ſubiecti ſunt ſimpliciter illis impedimentis. Ad confirmationem dico, ſenſum illorum verborum non eſſe vt illi ſint inhabiles, in quantum temere admittuntur, ſed papam in ſecunda conſtitutione locutum fuiſſe, vt regularibus ſignificaret eſſe excuſabiles ab illis pœnis, licet eis liquido non conſtaret, recipiendos dictis carere impedimentis, quod difficile eſt inquirere, eo quod remotiſſimi ſint à ſua patria, in hoc enim caſu reputandi ſunt habiles fauore religioſorum, non autẽ fauore proprio, quia alias ſequeretur ex ſua malitia comodũ reportare, multi enim hac via abirent in regionem longinquam vſurpare ſibi regnum.

40 QVAERES. An præfatæ pœnę priuatiuæ vtriuſq; vocis, & officiorum ſtatim incurrantur, an præterea requiratur ſententia iudicis declaratiua?

℞. Incurruntur ſolum poſt factam declarationẽ, quia de ratione pœnæ eſt, vt patiatur à reo, executioni vero demandetur per ſententiam iudicis, & quod in omni pœna, ſiue ſit actiua, ſiue mere paſſiua, vt in dictis conſtitutionibus, requiritur ſententia iudicis, vt cum communiori, & probabiliore ſententia tenet Sanch. lib. 2. cap. 22. nu. 7. cum Nauara cap. 23. num. 66. Salas diſp. 15. de l. ſect. 3. Graff. par. 1. lib. 2. cap. 11. Soto lib. 1. de iuſt. q. 6. art. 6. & alij apud præcitatos Verba autem *ipſo iure, eo ipſo*, appoſita in dictis conſtitutionibus referuntur ad ſententiam iudicis declaratiuam criminis propter quod pœna ipſo iure incurritur, facta declaratione, vnde alia clauſula, *abſque alia declraratione* appoſita refertur ad declarationem criminis, non pœnæ, cum iam per legem ſufficienter ſtatuta, & declarata ſit, quæ procedit licet delictum ſit notorium, adhuc enim neceſſaria eſt iudicis ſententia, Graff. cit. num. 36.

41 QVAERES. An ſuperiores regulares data ſententia criminis declaratoria poſſint reſtituere voces, officia, & habilitare reos declaratos?

℞. Poſſunt, quia ibi ſummus Põtifex ea ſibi nõ reſeruat, ſicut fecit excommunicationem latam contra recipientes

illegiti-

illegitimos; immo ſi adeſſet reſeruatio, adhuc poſſent reſtituere, virtute priuilegiorũ, de quibus apud Compend. v. Abſolutio v. Diſpenſatio, & tradit Confect. tit. 17. cap. 7. tam in foro conſcientiæ, quam pro foro externo, prælati etiam regulares præſertim maiores ſuis priuilegijs vti poſſunt pro foro externo, docet Rodriquez tom. 1. q. 24. art. 13. & 16.

42. QVAERES. An cogentes aliquam perſonam ad ingrediendum religionem, præter peccatum, quod committunt cogendo, incurrant aliquam pænam?

℞. Incurrunt excommunicationem nulli reſeruatam, ex Seſſ. 25. cap. 18. cogentes fæminam ad ingrediendũ monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum, vel ad profeſſionem emittendam; item conſilium, fauorem, vel auxilium dantes; Item interponentes præſentiam, conſenſum, vel authoritatem ad prædicta, ſi ſciant fæminam ad ea cogi. Circa quam ſequentia dubia occurrunt explicanda. I. Quænam perſonæ cogentes eam incurrant. II. Qualis metus requiratur. III. An ſit in gratiam ſolius feminarũ. IV. Quandonam ab interponentibus, & alijs incurratur. V. Quinam ſint caſus in iure expreſſi excludentes hanc pænam à cogente. VI. An dolo inducens ſit excommunicatus. VII. Quid veniat nomine ingreſſus. Ad ſingula eſt propria reſponſio.

Primo. Sunt perſonæ vtriuſq; ſexus ſiue mares, ſiue feminæ, non ſolum laici, ſed etiam eccleſiaſtici tam ſeculares, quam regulares, etiam qualibet dignitate fulgentes, vt ibi expreſſe dicitur, Sanch. lib. 4. cap. 4. num. 2. excludit imperatorem, & reges, qui has pænas nõ incurrunt, niſi exprimantur.

Secundo. Neceſſarius eſt metus grauis, nam cogens leui metu huiuſmodi pænas non incurrit, ex Gloſ. fin. cap. Vni. de ijs, quæ vi, in 6. cum neq; profeſſionem irritet ex probatis cap. 2. q. 12. quamuis in fæminis ob conditionẽ ſexus, & alias circumſtantias metus alias leuis in viro, reputetur grauis. Sic ſentit Sanch. cit. num. 4.

Tertio. Sermo eſt de omni, & ſola muliere, ſiue ſit

virgo

virgo, ſiue vidua, aut alia quæcumq; fæmina, ex quo viri excluduntur, licet enim finis huius decreti, qui eſt, vt intrantes habeant liberum ingreſſum, verificetur etiam in viris, qui quandoq; coguntur, & ſic non libere ingrediũtur, tamen cum ſimus in pænalibus, & verba ſint clara, nulla ratio ſufficiens ſuadet, hoc decretum comprehendere viros. Docet cum Suar. Sanch. num. 3. Bonac. q. 6. de excom. p. 3. Rodr. tom. 3. q. 14. art. 3. Mirand. tom. 1. q. 17. art. 4.

Quarto. Dantes fauorem, auxilium, & conſilium, itẽ interponentes præſentiam, quę debet eſſe formalis, & ad hoc, non caſu, aut vrbanitatis gratia, conſenſum item, & authoritatem, modo tamen ſciant fæminam cogi, hanc pænam incurrunt ſolum effectu ſecuto, & vt clarius loquar, quando ipſe principalis cogens eſt excommunicatus, argumento Reg. 42. quia iſti acceſſorie excommunicantur, ergo quatenus principale excommunicatur.

Quinto. Caſus in iure expreſſi excuſantes ab hac pæna, cogentes ingreſſum ſunt duo; vnus, quando vir ingreditur tunc enim vxor cogi poteſt ad ingrediendum ſi ſit ſuſpecta, iuxta dicta cap. 2. q. 75. Alter eſt, quando vir non vult recipere vxorem condemnatam, vel etiam comprehenſam in adulterio, in eo caſu poteſt cogi. cap. Gaudemus, de conuerſ. coniug. idem dic de alijs delictis, per cap. De lapſis 16. q. 6. gloſ. offenſionis cap. 9. 20. q. 1.

Sexto. Dolus non infert eam pænam, quia de eo non ſit mentio, ſed de ſola coactione, quæ dolus non eſt, vt de ſe patet, & cum ex diuerſis non fiat illatio, conſequens eſt dicere, decretum loquendo de cogentibus non poſſe applicari dolo vtentibus, maxime cum pænæ ſint reſtringendæ.

Septimo. Cogens debet efficere vnum de tribus, aut inducere ad profitendum, aut ad recipiendum habitum probationis, aut ad ingrediendum monaſterium, priora duo explicatione non indigent, tertium patitur difficultatem, nam Nau. conſ. 6. de regul. aſſerit cogentem filiã ad ingrediendum monaſterium ſolum educationis cauſa,

incur-

incurrere hanc pœnam, quia indirecte videtur eam cogere, vt tempore debito accipiat habitum, & faciat profeſſionem precibus, aut blanditijs monialium, aut minis eiuſdem, qui coegit intrare. Sed non placet ſi cogens nõ habeat intentionem, vt poſtea hac occaſione fiat monialis quia pater, vel alius eius loco, habet legitimam cauſam filiam, aut aliam ſibi ſubditam cogendi, vt intret vel educationis cauſa, vel ad euitanda pericula, in quæ fragilis ſexus cadere facile poteſt. Hanc tenent Sanch. cit. num. 12. Rodr. part. 2. cap. 8. nu. 10. & tom. 3, q. 17. art. 19. vbi impugnat Nauarum, cum ſuo compend. reſol. 101. num. 79. Portellus v. Monialis num. 14.

43 QVAERES. An impediens ingreſſum alicui ad religionem incurrat aliquam pœnam?

℞. Incurrit eamdem excommunicationem de qua in præcedenti quæſito, vt dicitur in eodem cap. 18. his verbis. *Simili quoq; anathemati ſubijcit eos, qui ſanctarum virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo ſine iuſta cauſa impedierint*. Ad hanc incurrendam duo requiruntur, vnum eſt impedire ſuſceptionem habitus, aut profeſſionis; alterũ eſt impedire nulla ſubſiſtente legitima cauſa, ſi enim hæc ſubſiſtat nulla incurritur, quia legitime factũ pœnam nõ meretur. l. Grachus C. de Adult. cap. 2. de conſt. ex Nau. conſil. 16. de Statu monach.

Nomine autem *Veli* non venit profeſſio, ſed habitus probationis, nam licet in iure nomine *Veli* veniat profeſſio pluribus in locis, vt videre eſt in multis capitibus 20. q. 1. & 2. & alijs ſub 27. q. 1. & alibi, tamen ſub eodem vocabulo comprehenditur etiam habitus probationis, vt aperte habetur ex cap. Ex parte 14. de Conuerſ. coniug. §. Porro 1. & ibi gloſ. & in cap. Viduas 27. q. 1. v. Permanere, & magis facit hic ad rem noſtram, quia melius ſaluatur Concilium in terminis loqui de vtriſq; nempe de ingreſſu ad probationem per receptionem veli, & de emiſſione voti, ſeu profeſſionis, nemo enim proficere poteſt, niſi prius habitum probationis ſuſceperit, vnde

qui

qui impediret eam ſuſceptionem à fortiori impediret profeſſionem; præterea dictio *Vel* eſt disiunctiua inferens diuerſitatem actuum, cum alternatiue ponatur, vt in ſimili dixit Bart. in l. Supra iter §. officium ff. de aqua plu. arc. Vt ergo quis incidat in hanc pænam ſufficit alterum, nempe quod impediat ingreſſum, aut profeſſionem, quæ ambo hic alternatiue prohibentur ex probatis, quicquid dicat Suar. de Cenſuris diſp. 1. ſect. 7. num. 9. & Filiucius cum alijs, quos citando ſequitur Bonac. p. fin. de excom. propoſ. 2. contra Sanch, lib. 4. cap. 4. num. 15. qui contra Suar. vult impedientem ingreſſum non incidere in excommunicationem, quia decretum ſupponit fæminam iam eſſe nouitiam, & ſolum prohiberi ne impediatur profeſſio, & cum impedire ingreſſum ſit remotum impedimentum, ideo ad illud ea pæna non eſt extendenda; ſed ex dictis patet vtrumq; directe, & in terminis prohiberi, aliter vana eſſet huiuſmodi prohibitio relata ad ſolam profeſſionem, ſi etiam non aduerſaretur impedienti ingreſſum, ſiquidem impedito ingreſſu, efficaciter impeditur profeſſio; neq; verum eſt quod loquatur de nouitia iam exiſtẽte, ſed abſolute loquitur etiã de nondum ingreſſa in ordine ad velum, de nouitia vero in ordine ad profeſſionem.

44 QVAERES, A quibuſnam abſolui poſſint incidentes in prædictas excommunicationes?

℞. A quibuſcumq; confeſſarijs ab ordinario approbatis, ſeculares quidẽ ab epiſcopo, regulares vero à ſuo prælato, expoſitis, argumento cap. Nuper, de ſent, excom. vbi dicitur, quod quando conditor canonis ſibi ſpecialiter non reſeruauit, eo ipſo videtur alijs facultatem feciſſe abſoluendi. In ſpecie docet Bonac. cit. p. fin. de excom. prop. 3.

45 QVAERES. Quidam nouitius, cuius Magiſter potius in vita actiua, quam contemplatiua exercebat, & ideo tædio affectus quaſdam plantulas reſecit, & auiculã necauit, de quibus pænam ſuſtulit, & alias perpetrauit leues negligentias iuuenibus familiares. An ſit à religione

repel-

repellẽdus? & an eius Magiſter peccet mortaliter, negando illi ſuffragium potius ex indignatione, quam zelo religionis?

℞. Non eſt reijciendus, & Magiſter peccat mortaliter. Primum probatur, tum quia expulſio à religione eſt grauiſſima pæna, & inducit aliqualem infamiam, ergo repellendus non eſt intuitu illorum errorum, qui parui ſunt momenti. Tum quia pæna debet proportionari culpæ, cap. Felicis §. illud de pænit. in 6. iuxta illud Deuter. 25. pro mẽſura peccati erit, & plagarũ modus, dicta autẽ ſunt leuia. & expulſio grauis, cum agatur de amiſſione ſtatus, & honoris. Tum quia pæna debet eſſe medicina culpæ, Diuus Auguſt. 1. Retract. cap. 9. non eſſet autem, quoties iuuenis iſte repelleretur, quia extra non habet vnde viuat, cum parentes habeat ſatis pauperes, & artem non habeat, ergo ex caritate retinendus eſt, quamquam alias eſſet repellendus. Tum quia nouitij non ſunt exercendi in viridarijs, & delitijs huius ſeculi, ſed in rebus ſpiritualibus orationi inſiſtentes, diſcentes, legentes, & ſcribẽtes, prout ſtatuit Clemens VIII. in Inſtit. nouit. §. quilibet, ergo potuit nouitius habere anſam. Demum quod requiratur grauis cauſa, & non leue delictum ad repellendum nouitium expreſſe docet Vecchius diſp. 12. in fin. dub. 3. in caſu autem noſtro nulla aſſignatur grauis cauſa, ergo repellendus non eſt.

Alterum probatum fuit ſupra q. 42. & in hoc caſu præciſe non dubito, cũ non de pia voluntate repellentis conſtet in diſcipulum.

46 QVAERES. An ſolus conuentus cum priore poſſit eijcere nouitium, an prætereа requiratur aſſenſus Prouincialis?

℞. Requiritur etiam aſſenſus ſuperioris maioris. Probatur, tum quia res, per quaſcumque cauſas naſcitur per eaſdem diſſoluitur, inſtituitur autem de licentia ſuperioris maioris, ergo. Tum ex Seſſ. 25. cap. 16. illis verbis. *Superiores, nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut e monaſterio eos eijciant.* loquitur enim

in

in numero plurali, inſinuare volens requiri etiam placitũ ſuperioris maioris, & non tantum localis. Tum quia expellere nouitium eſt grauis pœna, & cauſa magni momenti ex probatis præcedenti quæſito: in grauioribus autem fit recurſus ad maiores cap. 59. in fine, de Appell. cap. 3. de Bapt. & licet ibi ſermo ſit de cauſis referendis ad ſedem apoſtolicam, idem tamen dicendum eſt reſpectu aliorum ſuperiorum, ex gloſ. magna prope finem, extr. cõ. de pœnit. & hoc maxime procedit in mea religione, in qua nullus admittitur ſine licentia maiorũ, neq; profiteri poteſt, ex cap. 9. Reg. ergo neq; reijci.

47 QVAERES. An pater prouincialis poſſit ferre ſuffragium pro nouitio licet non reſideat in conuentu deputato pro nouitiatu?

℞. Poteſt. Tum quia tota facultas, & ius conſiſtens in inferiori ſuperiore cumulatiuè reperitur in maiore; ſed ſuperior localis cum ſuis ſubditis habet vocem pro recipiẽdo nouitio, ergo & pater prouincialis. Tum quia in ſingulis conuentibus ſuæ prouinciæ habet amplam facultatem etiam maiorem, quam habeat prior, ergo poteſt ſuffragari nouitijs, & licet non habeat cognitionem experimentalem de nouitio, cum quo non viuebat, habet tamẽ ex auditu aliorum, quibus credendum eſt, ſicut in capitulo generali multi vocales non agnoſcentes quendam in Generalem eligendum, alijs, quibus eius mores, & probitas nota ſunt, credunt; quod idem dicendum eſt in caſu noſtro. Ita expreſſe tenet Portel. nouiſſime in ſuis reſponſ. part. 1. caſu 11. Idem dic de Generali reſpectu nouitiorum totius religionis. Quod idem locum habet in definitoribus generalibus, quando habent votum conſultiuum, deciſiuum, ſeu electiuum in alijs electionibus, & prouiſionibus, cum eadem ſit ratio.

48 QVAERES. An ſi in conuentu, vbi eſt nouitiatus, omnes vocales præter vnum, & alterum, & ſuperiorem ſint priuati voce actiua, poſſit nouitius ab illis duob. vel vno tantum recipi ad profeſſionem?

℞. Poteſt. Probatur, quia ſicut electio poteſt rema-

nere in vno ſolo ex Gloſ. Pauciores, cap. Gratum, d. elect. quod ſupponunt Nau. conſil. 6. eod. & Sigiſm. dub. 24. de elect. prælat. Ita & electio nouitij, valet enim argumentum ab electione ad profeſſionem, ex probatis cap. 1. q. 48. Quod locum habet licet ſolus habens vocem eſſet ſuperior, & omnes de conuentu voce carerẽt nam quamuis de iure communi, & conſuetudine omniũ fere religionum acceptatio nouitij ſpectet ſimul ad conuentum cum ſuperiore, ex probatis hic q. 9. pag. 122. id tamen intelligendum eſt, niſi conuentus ſit priuatus voce ſuffragandi, ratio enim dictat, quemquam non debere pati damnum ex culpa aliena, quod pateretur nouitius, ſi in eo caſu à ſolo ſuperiore non poſſet admitti ad profeſſionem. Si vero ſolus prælatus eſſet priuatus voce, ſimiliter valeret receptio profeſſionis facta ex conſenſu monaſterij abſq; ſuffragio ſuperioris, qui tamen adhuc voce priuatus poſſet illius profeſſionem recipere, & nouitium incorporare religioni, quia is actus non eſt ferre ſuffragium, nec actus iuriſdictionis, ſed ſuperioritatis, ex dictis hic initio, & q. 1. quam non amiſit ſuperior, eo quod incurrerit priuationem vocis actiuæ.

49 QVAERES. An receptio nouitij ad profeſſionẽ ſit proprie actus electionis?

℞. Non eſt. Probatur, tum quia electio proprie accepta pro iuridica, & canonica, de qua in titulo de electione, & electi poteſtate, eſt legitimus actus vnius perſonæ ex multis vt dixit Portellus parte 1. caſu 9. num. 3. inſinuando noſtram reſponſionem, in ea enim pluribus dignis propoſitis aſſumendus eſt vnus præcæteris aptior & habilior ad munus, & officium, ad quod eleuatur electus, perficiendum; modo nouitius, licet per ſuffragia iudicetur bonus, & aptus ad profeſſionem, & ad ſtatum religionis, non tamen aſſumitur, alijs relictis, quia non eligitur vti aptior comparatione aliorum, ſed abſolute talis iudicatur, ergo actus, & iudicium de habilitate nouitij ad ſtatum religionis irreuocabilem non eſt proprie actus electionis. Tum quia id ſupponit Leo X. In quadam

dam conſtitutione incipiente. Expoſuit nobis, dum mādat religioſis Dominicanis, vt ad negotia ab eis concludenda, præter canonicam electionem, vt ſunt inſtituere Syndicum, recipere ad habitum, vel profeſſionem, & alia huiuſmodi, procedant per fabas, ſeu alia vota, ſecreto. Ita tenet referendo Vecch. diſp. 12. dub. 6. Verū quidem eſt, quod aliud electionis genus nuncupatur, ſumendo etiam ſtricte hoc electionis vocabulum, & in genere moris, ſi quidem teſte Ariſt. 3. Aeth. cap. 3. electio nichil aliud eſt, quam eorum, quæ in nobis ſunt, conſultiua appetitio; & ſecundum Euſtratium in ſuis moralibus, proprius loquendo ad rem hanc, electio dicitur duorum, quæ propoſita fuerunt, hominis iudicium, quo alterum alteri ex incitatione, appetituq; anteponit; in fine autem anni probationis de more proponitur nouitius patribus de conuentu, vt iudicium ferāt ſitne dignus ſtatus regularis nec nē, quod ſi maior pars annuat alterum alteri anteponitur, hoc eſt, ſtatus religioſus anteponitur; ſtatui ſeculari fauore nouitij, & ſic iudicium factum eſt actus electionis.

50 QVAERES. An teneat conſenſus conditionatus e. g. ſuperior, & conuentus ſuffragantur nouitio ea conditione, quod non intendunt eum acceptare, ſi laborat morbo gallico, item ſi non ſoluet expenſas, vel quid aliud promiſſum?

℞. Quo ad conditionem de præſenti, vel præterito, ea non ſubſiſtente nulla eſt profeſſio, ſuadetur ex cap. Prote, de Reſcr. in 6. & cap. Præterea 2. de Appell. Ratio eſt, quia omnino deeſt conſenſus, quod eſt de eſſentia profeſſionis, ſicut, & cæterorum contractuum, & conſenſus limitatus producit effectum limitatum l. In agris, ff. de acquir. rer. dom. Ita docent Nau. conſ. 26. de regul. n. 1. & 11. & conſ. 87. eod. Mirand. tom. 1. q. 30. art. 4. quos, & alios ſequendo citat Vecch. diſp. 13. dub. 15. n. 4. & 5. Si vero ſubſiſtit conditio, ideſt, ſi non laborat morbo gallico, aut careat alio impedimento iuxta intentionem acceptantium, tenet profeſſio, quia conditiona-

tus actus tenet conditione exiſtente l. ſi quis ſub conditione, ff. ſi quis omiſ. cauſ. teſtam. Afflict. deciſ. 355. nu. 4. Marius Anton. lib. 1. Var. reſol. 56. num. 3. & reſol. 88. num. 4. Conditio enim de præſenti, vel præterito non ſuſpendit actum. l. Cum ad præſens, ff. ſi certum pet. argumento cap. 1. de Baptiſm. conſequenter acceptatio ipſa actus tenet.

Quo ad conditionem de futuro valet quidem acceptatio, quod probatur, quia licet conſenſus conditionatus ſuſpendat valorē actus futuri ideſt profeſſionis, quæ emitti non poteſt, niſi conditione purificata, aliter nulla eſſet, tamen conditio non tollit valorem receptionis, & in hoc differt conſenſus is ab aſſenſu electionis, quia in hac præſtitis ſuffragijs ſtatim deueniendum eſt ad electionis celebrationem, cap. Publicato, de elect. non in illa, cum profeſſio differri poſſit, ex probatis cap. 2. q. 68. & ita docet Portel. part. 2. caſu 7. de nouitio, qui bene receptus fuit ſub conditione, vt ante profeſſionem exhiberet informationes.

51 QVAERES. An dum deueniendum eſt ad receptionem nouitij, ſi quis proteſtetur, vt ad illam non deueniatur allegando habere defectus, & impedimenta, ea non obſtante proteſtatione poſſit ſuperior cum cæteris procedere ad receptionem, & collectionem ſuffragiorum?

℞. Quando proteſtatio eſt legitima non poteſt ſine peccato ſuperior cum conuentu procedere vlterius ad receptionem votorum, quia adeſt legitima cauſa ſuſpendēdi hoc negotiū, quod cum ſit magni momenti, diligentius, & cautius præmeditandum eſt. In eo autem caſu debet breue temporis ſpatium ſtatuere proteſtanti ad probandum impedimenta, quæ ſi non probauerit intra præfixum tempus, debet ſuperior procedere ad receptionem nouitij, & eius profeſſionem admittere, non enim diu differenda eſt cap. 2. q. 68. circa hæc enim quæ ſubſtant maioribus periculis, cautus, & citius agendum eſt cap. 5. diſt. 61. & cap. An. 7. q. 2. cap. 3. de elect. in 6.

De-

Defectus autē, qui poſſunt adduci reducuntur ad duo capita; vel ad defectus iuris ſiue papalis, ſiue regularis, iuris quidem pontificij conſtitutionum Sixti V. & aliorum, de quibus dictum fuit cap. 3. à q. 52. ad 65. & tunc, quāuis teneat annus probationis, ex probatis cap. 4. q. 27. & ſecuta etiam profeſſio, ex cap. 2. q. 58. adhuc non poteſt deuenire ad receptionem, tenetur enim ſuperior obſeruare dictas conſtitutiones, quia Clem. VIII. vt probaui cap. 2. cit. §. Licet, pag. 92. illas, quo ad ſuperiores reliquit in ſuo robore, etiam quo ad pænas, quas ſuperior incurreret ſi nouitium admitteret, iuxta dicta hic ſub q. 37. & 38. Si vero ſunt defectus, & impedimenta iuris ſpecialis religionis, in eo caſu videat prælatus qualem ei ſua religio tribuat facultatem, ſecuta tamen receptio, & profeſſio teneret, niſi alias adeſſet clauſula irritans, aut deeſſet conſenſus, iuxta dicta hic q. 15. & 16. Verum quidem eſt, quod ſi defectus potius ſe teneat ex parte ſuperiorum, quàm nouitij, vt quia non præmiſerunt informationes, eum induerunt ſine licentia, non propter hoc eſt expellendus, cum ipſe in culpa non fuerit, ſed ſuperiores, qui ideo peccant, & veniunt punendi, & ſi ex hoc capite eijciatur fit illi grauis iniuria, & habet ius agendi contra religionem, vt admittatur ad profeſſionem.

Vel ſunt defectus morum notati in ipſo probationis anno à proteſtante, vel alio, & in eo caſu proteſtatione nō obſtante poteſt ſuperior, & congruum eſt procedere ad receptionem votorum, quia religioſi in faciendo iudicio de anno probationis ſitne nouitius aptus, necne ad religionem, procedendum eſt ſecreto per vota, non per proteſtationem, & differentia à præcedentibus eſt, quia impedimenta à iure iam ſunt determinata, & definita, & ideo proteſtatione admonetur ſuperior, vt ſe certificet de illis defectibus, alii vero vt plurimū ſunt incerti, an reddāt nouitium ineptum ad religionem, ſiquidem proteſtanti apparent tales, alijs vero non, ad vitandam ergo hanc incertitudinem, & potius tumultum, & diſcordiam, ſe-

ſtreto vnuſquiſq; iudicet proximum, & abundet in ſenſu ſuo; videat tamen ne paſſione, odio, aut alia malignitate ſuum deprimat fratrem ſubſerendo zizania, non zelum religionis reſpiciendo, videtur enim huiuſmodi repulſa potius reprehenſibilis, & turpis, iuxta illud. *Turpius eijcitur, quam non admittitur hoſpes*, cap. 25. de iureiur. non enim pro leuibus delictis reijciendus eſt nouitius, ſed pro grauioribus attentis circumſtantijs perſonæ, & religionis, probaui hic q. 45. Vide Vecchium diſput. 12. dub. 3.

52 QVAERES. An nouitius in numero conuerſorũ receptus antequã profiteatur poſſit aſſumi ad ſtatũ clericorum, & in eo proficere?

℞. Non, quia expreſſe prohibetur à Clem. VIII. in conſtitutionibus Nouitiorum illis verbis. *Sed qui ad cõuerſorum habitum recepti fuerint, ad clericorum ſtatum tranſire, etiam durante tempore probationis non poſſint*, Si tamen de facto tranſeat, ſecuta profeſſione, tenebit ille ſtatus, quia Summus Pontifex ab illo non deijcit, vnde, poterit exercere munia ſtatui clericali conuenientia. Receptus vero ad profeſſionem in numero conuerſorum in religione Minorũ, immo, & in alijs non poteſt aſcendere ad ſtatum clericalem recipiendo ordines ſine expreſſa licentia ſuperioris Generalis, & hoc in dicta religione, & ordinatus remanet ſuſpenſus ab executione ordinum, ex mandato Leonis X. Vide Rodr. tom. 1. q. 42. art. 19. & tom. 2. q. 123. art. 3. cum ſuo Compend. reſol. 87. nu. 5.

53 QVAERES. Quidam iuuenis in capitulo prouinciali iudicatus fuit idoneus ad religionem, & adſcriptus fuit in ordine clericorum, deq; facto indutus fuit habitu probationis clericorum, & appropinquante profeſſionis tempore, Prior ſimul cum maiori parte conuentus iudicauit illum ineptum ad ſtatum clericorum, vnde illi dixit, ſi vis profiteri, patres parati ſunt te recipere in numero conuerſorum, quia ignarus es! & minime ſufficiens ad ſtatum clericorum; nouitius ijs auditis valde cõ-

triſtatus

triſtatus volebat retro cedere, à patribus autem rogatus, vt remaneret, reſpondit, ſe quidem remanſurum, ſed nolle vnquam proficere in numero laicorum, & ſi profeciſſet, adiunxit, ſe velle ius ſuum proſequi coram ſuperioribus, de facto tamen profecit, & prior illum recepit vti conuerſum. Quæres, inquam, an ſuperior, ad quem recurrit, debeat illum reſtituere ad ſtatum clericorum?

℞. Superior maior poteſt illum reſtituere ad ſtatum priſtinum. Probatur tum quia eius eſt perficere actum, cuius incipere, argumento cap. Nullus epiſcopus, diſt. 1. de conſecrat. Tum quia datur latitudo maioris, vel minoris literaturæ, vide ad hoc Barboſam part. 2. de poteſt. epiſc. alleg. 46. num. 14. & Rodr. tom. 1. q. 24. art. 7. vbi aſſerit non tantam ſcientiam requiri in religioſis, quanta eſt neceſſaria in clericis ſecularibus ſed ſufficere ſi ſciat bene legere, licet non percipiat linguam latinam, (quamuis de hoc in puncto iuris multum dubitarem cum Sacrum Concil. Seſſ. 23. cap. 11. decernat, ne minores ordines linguam latinam ignorantibus conferantur,) & cum hæc res ratione latitudinis ſatis incerta ſit pro certo teneo, ſuperiorem poſſe, immo debere nouitium admittere, maxime quando eum quaſi parē alijs clericis inueniunt. Tum quia quod ſemel placuit, amplius diſplicere non debet, nam toto probationis anno illum, vt clericum tractauerunt, ergo, & in ipſo actu profeſſionis. Tum quia Prior cum ſuo conuentu non habet hanc facultatem deijciendi à ſtatu clericali eum, quē ſuperior maior iudicauit dignum huius ſtatus, cum ſuo definitorio, quia inferior non habet poteſtatem in ſuperiorem, neq; eius factum deſtruere poteſt, cap. 4. diſt. 21. Clem. Ne Romani, de elect. Tum quia non obſtat factum ſubſecutum proteſtationi contrarium quia inuite profecit, vt ſibi poſtea conſuleret, & ideo non dicitur renuntiaſſe iuri ſuo, quia renuntiatio metu facta non nocet renuntianti, cap. Super hoc, de Renunt. prætérquāquod ſemper intendit proficere vt clericus, non vt laicus, & hoc

ſiue adempta illi fuit corona, ſiue non. Tum quia eo pacto, & conditione indutus fuit, vt profiteretur, in numero clericorum, & ſuperiores cũ reliquis initio conſenſerũt in hoc, eo ipſo quod in principio ei obtulerunt habitum clericorum, & non contradixerunt, ergo illi ſeruandum eſt hoc pactum. Non diſſimilem caſum poſtea vidi apud Portellum part. 2. caſu 8.

54 QVAERES. A quo ſuperiore ſit admittendus ad profeſſionem ille nouitius, qui annum probationis peregit in aliena prouincia, à ſuo ne, an ab eo, in cuius prouincia peregit nouitiatum?

℞. A proprio ſuperiore ſuæ prouinciæ, in cuius libro adſcriptus fuit, ſiue profiteatur, vbi peregit nouitiatum, ſiue extra, hoc enim poſterius fieri poſſe, non obſtante Breui Vrbani VIII. ſuperius ad verbum extenſo ſub q. 37. pag. 149. probatur infra cap. 4. q. 24. Suadetur, quia vnuſquiſq; nouitius admittendus eſt ad profeſſionem à proprio ſuperiori, qui in eo caſu eſt ſuperior ſuæ prouinciæ, non autem ſuperior loci, aut prouinciæ vbi moratur in probatione, cum is ſolum ſit illi ſuperior, quo ad annũ probationis, & educationis. Nec obſtat, quod quis non poteſt exercere ſuam iuriſditionem in aliena diæceſi, & prouincia, ex cap. 2. de conſt. in 6. cap. Statutũ, §, Cum vero. §. In nullo, de Reſcr. in 6. quia dictum axioma locum habet in iuriſditione ſolum contentioſa cum cauſæ cognitione, & Gloſ. Terminos, cap. Nouit. de off. leg. nõ autem in gratioſa, & voluntaria, ſine ſtrepitu, & cauſæ cognitione exercenda, vt docet etiam Nau. conſil. 14. de cland. deſponſ. num. 3. & conſil. 41. de Temp. ordin. n. 1. & 3. in caſu autem noſtro admiſſio ad profeſſionem nõ eſt actus iuriſditionis propriæ dictæ, ſed ſuperioritatis, ex probatis hic q. 1. pag. 118. neq; eſt actus contentioſus requirens cauſæ cognitionem à bello agitandæ, ſed gratioſus, & voluntarius redundans in vtilitatem nouitij, & monaſterij, cui per profeſſionem incorporatur.

55 QVAERES. An nouitius, qui ex legitima cauſa diuiſit de conſenſu ſuperiorum locum nouitiatus, egeat

ad

ad profitendum vtriuſq; loci patrum conſenſu, an ſufficiat aſſenſus poſterioris?

℞. Conſenſus vtriuſq; monaſterij optimum eſt iudiciũ, quia illud eſt perfectũ, & integrum iudicium, quod plurimum ſententijs confirmatur, cap. Extra, diſt. 64. Clẽm. 1. de ſent. excom. §. Quod etiam, quia per ampliores homines perfecta veritas reuelatur l. fin. C. de fideicommis. nihilominus puto conſenſum à ſecundo tantum conuentu præſtitum ſufficere ad valide profitendum, quia is ſufficienter expertus eſt mores nouitij, ergo bonum iudicium de nouitio facere poſſunt, neq; enim illius profeſſi per totum annum nouitij mores obſeruare tenentur, neq; nouitius religionis aſperitates experiri, Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 28. & 52 præterquamquod præſumitur tacitus prioris conuentus aſſenſus, eo ipſo quod illum non expulit, & cum vltimus conſenſus præcedentes confirmet, l. Per fundum. ff. de ſeru. ruſt. prædior. ſecundum monaſterium ſuum preſtando conſenſum efficit nouitium idoneum ad profitendum. Intellige prædicta, ſi ſaltẽ æqualiter diuiſit, nam ſi in poſteriori manſit ſolum per tres, aut quatuor menſes, meo iudicio exigitur prioris conuentus aſſenſus, cùm in ſecundo non videatur ſufficienter probatus.

56 QVAERES. An nouitius ſine iuſta cauſa expulſus habeat ius agendi contra religionem, vt recipiatur.

℞. Affirmatiue ſupra q. 22. pag. 135.

57 QVAERES. An nouitius teneatur renũtiare bonis ſuis, iuxta diſpoſitionẽ capitis 16. Seſſ. 25. intra duos menſes non ſolum ante profeſſionem, ſed etiam antequam recipiatur, & iudicetur idoneus ad profitendum?

℞. 1. Nemo volens religionem etiam Minorum ingredi tenetur renuntiare ſuis bonis, illa pauperibus erogando 2. Neq; cogitur ex dicto capite renuntiationem facere, ſed poteſt ſecum inferre in religionem bonorum capacem omnia ad ſe pertinentia 3. Poteſt autem renun-

tiare

tiare ſi velit etiam poſt conſenſum præſtitum à conuentu de illum admittendo ad profeſſionem, modo id ab eo fiat ante profeſſionem, quamuis differretur profeſſio. 4. Si vult nouitius renuntiare debet ſeruare formam in eo capite præſcriptam.

Primum ſuadetur, quia nullũ de hac re extat præceptum, & Dominus in Euangelio Matthei. 19. adoleſcenti ilii conſilium dedit, non præceptum dandi omnia pauperibus; & licet D. Franciſcus in prima regula hoc dicat, & & quendam, eo quod ſua bona conſanguineis diſtribuerat, noluerit recipere, tamen hæc non obſtant, quia non arguitur obligatio ſub culpa ſaltem graui, quia Sanctus Pater multa ſupererogationis bona præſtãdo opera proprio exemplo alijs præluxit, non vt eos obligaret, ſed vt ad maiorem perfectionem alliceret. Vide Rodr. tom. 3. q. 16. art. 6. cum ſuo Comped. reſol. 101. num. 52. Tabien. Nouitius nu. 11. Sanch. lib. 7. cap. 5. n. 4. Vecchiũ diſp. 8. dub. 1.

Secundum oſtenditur, in eo . n. decreto nulla apponitur obligatio renuntiandi, ſed tantum præſcribitur forma ſeruanda in renuntiatione, ſi nouitius illam facere velit, obligatio enim iuris inducenda non eſt, ſine iure ad id obligante cap. 20. 2. q. 5. & cap. 3. de Transl. epiſc. Quam ſi nolit poteſt omnia ſecum ferre in monaſterium, quod in omnia eius bona ſuccedit, peracta profeſſione.

Tertium conſtat ex eo, quod decretum illud præſcribit menſes duos ante profeſſionem, ergo parum refert intermediet necne conſenſus monaſteri ad profitendum, differt enim is conſenſus à profeſſione, & cum ex diuerſis non fiat illatio, ſi tempus terminetur profeſſione, ergo non receptione conſenſus in illam, & id ſupponit Rodr. tom. 1. q. 37. art. 2. Et cum ſit profeſſio tam ea, quæ ſtatim emittitur finito probationis anno, quam illa, quæ legitur poſt aliquod tempus prorogata, non eſt à nobis diſtinguendum inter vtramq; cum neq; lex dicti capitis diſtinguat, ex vulgatis iuribus, vnde Sanch. lib. 7. cap.

5. num.

5. nu. 82. ait poſſe fieri infra bimeſtre licet differatur poſtea profeſſio.

Quartũ de forma ſeruanda in renuntiãdo habetur ibidem his verbis. *Nulla quoq; renuntiatio, aut obligatio antea facta etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcũq; cauſa pia valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſiue eius Vicarij fiat intra duos menſes proximos, ante profeſſionem, ac nõ alias intelligatur effectũ ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione, aliter vero facta, etiamſi cum huius fauoris expreſſa renuntiatione etiam iurata, ſit irrita, & nullius effectus.* Duo ergo requiruntur, & quod fiat bimeſtre ante profeſſionẽ & coram ordinario loci, ſufficit autem ſi epiſcopus ſit electus, & confirmatus, licet nondũ conſecratus, quia epiſcopus confirmatus ea omnia præſtare poteſt, quæ ſunt iuriſditionis, vt in caſu præſenti, docet Sanch. lib. 7. cap. 5. num. 65. item Archiepiſcopus licet nondum receperit pallium, quia non habens pallium ſolum prohibetur cogere Concilium, & exercere ea, quæ ſunt ordinis epiſcopalis, cuiuſmodi non eſt licentia huiuſmodi, ex eodem Sanch. cit. num. 66. Item eam dare poteſt Capitulum ſede vacante, quia ſuccedit epiſcopo quo ad ea, quæ ſunt iuriſditionis. Item habentes iuriſditionem quaſi epiſcopalem, & exempti, non autem prælati regulares in monaſterijs exemptis, quia in hoc nouitii omnino ſubiiciuntur epiſcopis. Vide præfatum Sanch. cit vſq; ad num. 76. Licentia autem in ſcriptis non eſt neceſſaria, licet ſit optima, & neceſſaria in foro externo, ſi lis moueatur; requiritur obtẽta, quia dicit textus, quod renuntiatio debet fieri cũ licẽtia nõ fieret autẽ, ſi non obtineretur, & debet actũ præcedere, ita quod non ſufficit ratihabitio de futuro, quia actus iſte ſtatim ac eſt factus, debet eſſe firmus, & ſtabilis. Bimeſtre autẽ intra quod nouitius poteſt renuntiare cõputandum eſt de momento ad momentum à die profeſſionis, docet idem Sanch. cit. num. 81. vbi in contrarium allegat Zecchium, & Zerolam dicentes poſſe fieri etiam paulo ante, quia illa diſtantia non matematice, ſed moraliter accipienda eſt. In noſtra regula

cap. 9. præſcribitur trimeſtre poſt ſuſceptum probationis habitum, ſed ſtandum eſt ſacro Concilio, ita quod nulla ſit facta iuxta regulam, cui in hoc derogatum fuit.

58 QVAERES. De quibuſnã renuntiationibus, & obligationibus loquatur Sacrum Concilium?

℟. Nomine renuntiationis, ſeu obligationis veniunt omnes illæ, per quas nouitius bonis ſuis deſtitutus cogitur ea occaſione profiteri, alias fortaſſis non profeſſurus. Quare primo includitur renuntiatio beneficii, Rodr. tom. 1. q. 37. art. 2. Sanch. lib. 7. cap. 5. num. 38. Vecch. diſp. 8. dub. 7. num. 4. Secundo patrimonium, ſeu quoduis aliud, ad quod ordinatus ante fuit nouitius, Sanch. cit num. 40. & 41. Tertio, officia ſecularia publica, ex eodem Sanch. num. 43. Vecch. num. 7. Quarto liberatio tutoris, ſeu curatoris à reddenda ratione adminiſtrationis, Nau. conſ. 83. de regul. Sanch. num. 35. Vecch. num. 9. Quinto, fideiuſſio, Sanch. num. 34. Vecch. nu. 8. Sexto, maioratus Molin. tom. 3. diſp. 604. Sanch. n. 29. Sexto, donatio, ſeu oblatio facta ad pias cauſas etiãſi ſit votum præciſe factum in honorẽ Dei, ſeu Beatæ Virginis, aut Sanctorũ, Vecchius num. 11. contra Rodr, tom. 2. q. 47. art. 2. in fine, & Sanch. num. 28. Septimo donatio inter viuos, Nau. conſ. 81. & 82. de regul. Vecch. nu3. quamuis adſit clauſula irritans non ſecuta profeſſione Sanch. num. 17. & 20. ſiue fiat extraneo, ſiue monaſterio num. 21. cum illa clauſula expreſſa nichil operetur Gloſ. fin. cap. 17. de reſcr. & Gloſ. Ex illa clauſula, cap. fin. de Præſumpt. quando tacite ſubintelligitur, vt in re præſenti ineſt, ex diſpoſitione illius decreti, contra Molinam tom. 1. diſp. 149. §. Quod ad eccleſiam, aſſerentem non habere locum ſi illa clauſula exprimatur. Octauo, omnes contractus lucratiui, vt conſtat ex dictis, item omnes oneroſi magis ex parte nouitii, quam aliorũ contrahentium, non autem oneroſi æqualiter, vt ſunt emptio, venditio, locatio. permutatio quia in his cum tãtum recipiatur, quantum traditur, nouitius libere poteſt

profi-

pro fiteri, ſicut, & retrocedere illis non obſtantibus.

Excludũtur, ergo primo cõtractus magis oneroſi, & nõ lucratiui ex parte nouitij, vt ex dictis patet, Secundo, teſtamentum, quia cum ſit reuocabile ex ſua conditione, nouitium non cogit ad remanendum, vel recedendum, eſt communis opinio apud Rodr. tom. 2. q. 47. art. 10. & tom. 3. q. 16. art. 1. cum ſuo Compend. reſol. 101. num. 48. Nau. com. 2. de regul. num. 51. & conſil. 83. Sanch. cit. num. 13. Vecch. diſp. 8. dub. 17. nu. 3. Tertio, codicilli, donationes cauſa mortis, quia ſequuntur naturam teſtamenti, & reuocabiles ſunt vſq; ad mortem, ita præcitati doctores.

59 QVAERES. An ante ingreſſum volens diſponere de ſuis bonis etiam intuitu religionis teneatur ſequi dictum decretum?

℞. Sacrum Concilium nichil diſponit de nondum indutis habitu, ſed ſolum de nouitijs habitum actu geſtantibus. Probatur, tum quia illud caput 16. per illam parrticulam (quoque) cuius officium eſt coniungere ſequentia cum præcedentibus, §. Prætorum quoq; Inſtit. de iure naturę, copulatur cum præcedenti, in quo ſermo eſt de nouitijs habitum actu geſtantibus, ergo, & de eiſdem ſolum intelligitur præcedens. Tum quia in dubijs textus recurrendũ eſt ad rubricã, & titulũ Maſcard. de probat. concl. 1284. num. 4. quia quiſque textus congruis ſubijcitur titulis, l. Si quid autem, §. Si quid vero, C. de vet. iur. enucl. ergo hæc difficultas decidenda eſt ex intelligentia tituli, qui cum ſit de regularib. tantum, de ſecularibus loqui nõ poteſt. Alias rationes vide apud Sanch. lib. 7. cap. 5. num. 4. vbi cum alijs teſtatur ita declaraſſe Sacram Congregationem Portel. v. Nouitius num. 41. Diana reſol. 55. de dub. regul. Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 27. nu. 25. Oppoſitum ſentit Nau. conſ. 81. & 82. cuius rationes reſtringuntur ad has duas, & quia lex pænalis, & exorbitans extenditur ad alium caſum, ſi alias fruſtraretur; ſed id habet locum quando verba legis applicari poſſunt illi caſui, non poſſunt autem applicari hic

quia

quia nōdum ingreſſus eſt metus ſecularis, & nequaquam nouitius: & quia forma præſcripta in dicto capite eſt ſubſtantialis, cuius omiſſione actum irritatur, bene loquitur, ſed non probat extendi ad non ingreſſum, quod eſt principale intentum; hunc ſequitur Rodr. tom. 2. q. 47. art. 8. & multi alij à Sanch. reiecti.

Infertur hinc bene feciſſe quemdam amicum, qui antequam iuuenis, cuius curam habebat religionem ingrederetur, liberationem ab adminiſtratione obtinuit, nam poſt ingreſſum debuiſſet expectare illud bimeſtre, vt eſſet firma, vt conſtat ex q. præced. 58. & 59. Vnde etiam aduertant regulares facientes ſibi promittere aliquid pro ſacriſtia, vel alio titulo honeſto, nam, vt promiſſio valeat, debet fieri, & expediri obligatio ante ingreſſum nouitij, aliter facta ſtatim poſt ingreſſum non tenet.

Bona autem, de quib. fieri poteſt renuntiatio, ſeu obligatio iuxta formam illius decreti, debent eſſe propria nouitij, ſiue ab eo diſponatur, ſiue à parentibus vel alijs; de bonis autem ipſorum parentum, vel aliorũ nichil diſponit Concilium, vt videtur ſupponere Sanch. lib. 7. cap. 5. num. 23. & 24.

CAPVT

CAPVT QVARTVM

De anno probationis, loco nouitiatus, & Magiſtro Nouitiorum.

VIſum fuit in præcedentibus capitibus quãdo profeſſio eſt valida, vel nulla ex parte tam Nouitij, quam conuentus, in præſenti de eadem agendum eſt in ordine ad annũ probationis, & locum nouitiatus, de quibus multa dixi cap. 2.

1 QVAERES. Quid ſit nouitiatus?

℞. Nouitiatus poteſt ſpectari dupliciter, vno modo materialiter prout dicit locum, in quo nouitius probatur; & is locus debet habere aliquas conditiones, quas refert Clem. VIII. in ſuis decretis. Inſtit. ſuper recept. & educat. Nouit. his verbis. Quod vero ad loci qualitatem vniuſcuiuſq. Nouitiatus ſpectat, locus huiuſmodi propria clauſura ab ea parte Conuentus, & Monaſterij in qua degunt profeſſi, ſegregatus ſit, atque diſtinctus: habeatq; tot ad dormientium cellulas ſeparatas, quot erunt numero Nouitij, vel dormitorium ita capax, vt pro ſingulis lectuli commodè ſterni poſſint, in quo etiam cellula, vel certus ac determinatus locus pro Magiſtro, eiuſque ſocio reperiatur.

In eo etiam, præter alias communes commoditates, aptus locus adſit ad ſpirituales collationes, ſeu conferentias faciendas ac lectiones, inſtructioneſque Magiſtri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendũ ſe, igne communi recipiant.

Oratorium inſuper, ſeu Capella, ſi commodè fieri poterit, ad Nouitios in ſpiritualibus, præſertim in cæremoniis, eccleſiaſticiſq; functionibus exercendos.

Hortus quoque peculiaris ad honeſtam recreationẽ bene concluſus, atque munitus adſit, ſin minùs, hortum, cæteris Fratribus communẽ recreationis tempore ingre-

diantur. Ipſis verò Nouitijs ibi commorantibus, curabit Magiſter cum loci Superioris auctoritate (ſi opus fuerit) ne in eundem quiſquam alius ingrediatur.

Ad huiuſmodi locum Nouitiatus nemini eiuſdem, vel alterius ordinis regulari, etiam Conuentus, & Monaſterii Officiali, vllo vnquam ſub quouis prætextu aditus pateat, præterquam Magiſtro eiuſque ſocio, ac etiam, Monaſterii, aut Conuentus Superiori; ſi quandocunque ingrediẽdum ſibi neceſſario exiſtimauerit, quo tamen caſu aliquẽ ſemper ex ſenioribus Conuentus, vel Monaſterij Patribus ſocium aſſumat.

Huius loci clauſuræ clauis apud Magiſtrum ſemper aſſeruetur, illiq; ſoli liceat ex graui tantùm cauſa ingreſsũ illuc alicui permittere; ſi quis autem Nouitiorũ quempiã alloqui voluerit, Magiſtro præſente, & nõ aliter alloquat.

Hæc autem habes extenſa apud Quar. v. Monaſteria, & conuentus. Nald. v. Religioſus. Vecchium diſp. 11. Si tamen ei loco deeſſent aliquæ ex dictis conditionibus, ſubſequens profeſſio teneret, quia non irritatur ibidem, modo ſit deſignatus à ſede Apoſtolica ad hunc effectum, vt probatur infra ſub q. 29. Altero formaliter prout dicit ſtatum quemdam medium inter ſecularem, & regularem; nam nouitius non eſt ſecularis neq; perfecta religioſus, cum talis non ſit cum effectu, niſi profeſſione ſubſecuta cap. Religioſo §. Quamuis de Sent. excom. in 6 & in hoc ſenſu nouitiatus eſt diſpoſitio, & via ad profeſſionem, ſicut prima tonſura eſt præparatio ad recipiendos ordines, & ſponſalia ordo ad matrimonium. Vide Nau. conſil. 20. de priuil. nu. 7. & Becan. cap. 43. de Sacr. q. 21. nu. 3.

Nouitius autem licet in rigore non ſit religioſus, quo nomine in odioſis non venit, nichilominus tamen in fauorabilibus bene venit, conſequenter gaudet omnibus priuilegijs, & gratiis conceſſis profeſſis, ac ſi fuiſſent ſibi ipſi conceſſa. Sic ſentiunt verius Sair. lib. 7. de cenſ. cap. 13. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 16. num. 17. Sanch. lib. 4. cap. 39. num. 17. & de Gabellis lib. 6. cap.

10. nu. 16. Vecchius diſp. 11. dub. 10. referens oppoſitã opinionem doctorum ſecularium, & antiquorum, cum quibus eſt Rodr. tom. 3. q. 51. art. fin. illa autem practicatur hic Mediolani, nam nouitij non excludũtur ab exemptionib. Regijs.

2 QVAERES. Ad quem finem profeſſioni præmittitur probationis annus?

℞. Innocentius III. relatus cap. Ad apoſtolicam de regul. his verbis. *A ſanctis patribus indultus eſt probationis annus non ſolum in fauorem conuerſi,* ſed etiam monaſterij, vt ille aſperitates iſtius, & iſtuo mores illius valeat experiri; Cum in ſubſidium fragilitatis humanæ ſpatium probationis ſit regulariter inſtitutum cap. 2. eod. in 6. Illi autem Patres fuerunt Sanctus Benedictus, & Sanctus Gregorius papa, relati in cap. Gonſaldus 17. q. 2. Non eſt autem neceſſarium, vt experiatur omnes religionis auſteritates, ſed principales, docet Nau. conſ. 32. de regul. nu. 5. vt dicitur iterum infra q. 40.

3 QVAERES. An iſtud tempus probationis perficiatur vno, vel pluribus annis?

℞. Vno anno, vt expreſſe dicitur cit. cap. Gonſaldus cap. Ad apoſtolicam. cap. Ex parte. de regul. Clem. Eos, de regul. & Sacrum Concil. cap. 15. Et in hoc ſtandũ eſt, vt docet Gloſ. Anni. cit. cap. Ad Apoſtolicam, vbi refert, quod iure antiquiore clerico ignoto, & noto laico biennium probationis ex cap. Monaſterijs 19. q. 2. & laico ignoto triennium dabatur ex cap. Si quis incognitus. 18. q. 2. & in hoc nulla difficultas, ſufficit vnius anni ſpatium, niſi ex ſpeciali ſtatuto decernatur aliter in aliqua religione, vt in religione Societatis ſtatuitur bienniũ, cui ſtandum eſt ab illis. Vide Sanch. lib. 5. cap. 4. n. 20. Vecch. diſp. 11. dub. 2.

4 QVAERES, An nouitius poſſit profiteri infra annum probationis?

℞. A temporibus Greg. prædeceſſoris Alex. 2. qui viuebat anno 1061. relatorum cap. Gonſaldus 17. q. 2. extitit ſimplex prohibitio, ne nouitii reciperentur infra

annum probationis, confirmatam cap. Ad apoſtolicam, & cap; Ex parte de regul., facta tamen profeſſio tunc tenuiſſet vſq; ad tempora Alex. 4. qui relatus in cap. Nō ſolum eod. in 6. prohibuit ne Prædicatores, & Minores reciperent nouitios ad profeſſionem infra annum probationis, annullando eorum profeſſionem in dictis religionibus factam, ex qua tamen oriebatur obligatio ingrediendi aliquam religionem, quam prohibitionem Bonif. VIII. cap. Conſtitutionem eod. extendit ad omnes Mendicantes eodem modo. Demum Sacrum Concil. Seſſ. 25. cap. 15. extendit ad nouitios cuiuſcumq; religionis, ſiue maſculos ſiue fœminas, irritando emiſſam profeſſionem infra illud tempus factam, ex qua nullus ſequeretur effectus. Et in hoc nulla difficultas.

Excipiuntur tamen duo caſus. Primus eſt reſpectu Militarium, qui poſſunt profiteri infra annum probationis, modo habeant legitimam ætatem requiſitam à Concil. quod in cit. cap. 15. loquitur de profitentibus apud regulares ſtricte, & propriiſſime religioſos. Deciſum fuit à Rota deciſ. 21. Sanch. lib. 7. diſp. 44. nu. 8. & declarauit Sacra Cong. apud Vecchium diſp. 11. dub. 2. num. 4. Beia part. 4. caſu 28. Alter excipitur ab ipſo Concil. ead. ſeſſ. cap, 21. vbi decernitur, eum cui confertur Abbatia, ſeu Prioratus in commendam teneri intra ſemeſtre profiteri.

Alij caſus referuntur. Primus, eſt in coniuge nondum matrimonio conſumato, qui intra bimeſtre cogitur profiteri, aut ad matrimonium redire cap. Ex publico. de Conuerſ. Coniug. Sed Sanch. lib. 2. diſp. 24. q. 2. vult. n. 7. illud caput correctum fuiſſe per Sacrum Concilium, vt ibi probat, quod etiam Rodr. docet. tom. 3. q. 13. art. 4. Secundus, cauſa infirmitatis, quod reijcitur infra q. 49. Tertius, quando Mendicans tranſit ad non Mendicantem. Sed communiter reiicitur, quia ſicut diuerſæ ſunt religiones, diuerſæ etiam ſunt aſperitates, & quandoq; aſperior eſt modus viuendi apud aliquos non mendicantes, quam mendicantes; preterquamquod licet

prior religio probauerit mores nouitii, eoſdem tamen non fuit experta poſterior, quare nouo indiget nouitiatu integro, quicquid dicat Sorbus v. Nouitius §. Sed an requiratur, eſt communis opinio Nau. conſil. 61. num. 4. conſil. 62. num. 5. Conſil. 77. num. 4, Sà Religio 35. Rodr. tom. 3. q. 15, art. 11. Mirand. tom. 1. q. 22. art. 2. concl. 3. Vecchii diſp. 11. dub. 2. num. 5. §. Hæc tamen. A quibus non abeſt Beia part. 4. caſu 29. §. Contraria, vbi dicit egreſſum prætextu nullitatis profeſſionis, ſi iterum ingrediatur eamdem religionem alterius præſertim prouinciæ teneri de nouo præmittere nouitiatum, ergo multo magis id erit verum, ſi tranſeat ad alienam. Nec verum eſt, quod aduerſarii obloquuntur, in Concil. ſermonē eſſe de ſolis ſecularib. quia in hoc nō diſtinguit, ergo neque nos diſtinguere debemus.

5 QVAERES. An poſſit nunc renuntiari de communi conſenſu vtriuſq; anno nouitiatus, & ſic profeſſionem emitti infra illum, non obſtante Concilio?

℞. Iure antiquo renuntiatio tenebat, & profeſſio infra annum probationis in quauis religione ante conſtitutionem Alex. 4. & etiam poſt, apud non Mendicantes, quia ante illa tempora prohibitio reſpectiue profitendi infra annum non irritabat attentatam profeſſionem, iuxta, quæ dixi ſub q. 4. nunc vero ex Sacro Concil. irritatur emiſſa infra annum reſpectu omnium religionum, vt ibi dixi.

Quod autem ex irritatione adiuncta prohibitioni ſublata ſit vtriſque facultas renuntiandi, ſuadetur. Tum quia alias Sacrum Concil. fruſtra irritam feciſſet profeſſionem ſic emiſſam, quia quælibet profeſſio fieret valida titulo renuntiationis ſaltem facto, hoc ipſo, quod illa emitteretur infra annum probationis, quilibet enim iuri ſuo renuntiare poteſt, vt iuribus adductis de more docet Graff. tom. 1. Conſil. de Cleric. coniug. num. 4. Tum quia ſimpliciter prohibetur, & irritatur profeſſio facta infra annum probationis, ergo nullo modo nouitius ad illam admitti poteſt, neq; titulo renuntiationis per Reg. 84. Cum quid vna via prohibetur alicui, ad id alia

admitti non debet, ergo intelligitur ſublatum ius renuntiandi. Tum quia difficultatem, quam faciunt aliqui ex cap. Ad apoſtolicam illis verbis. (*Vterq; renuntiare videtur ei, quod pro ſe noſcitur introductum*) facile tollitur, quia papa vtitur verbo (*Videtur*) quod præſefert dubietatem, neq; aſſerit vtrumq; habere hoc ius renuntiandi, quia non eſt ius priuatum, quicquid dicat Gloſ. Monaſterij, ſed potius commune, & publicum, cui non poteſt renuntiari cap. Si diligenti. de foro comp. præterquamquod ſubiungit, prohibendum eſſe Abbatibus, ne paſſim quoslibet ante tempus probationis recipiant; & licet ibi teneat illa profeſſio, valor tamen non tribuitur renuntiationi, ſed quia multa prohibentur fieri, tamen facta tenent, quod eſt dicere, ideo tenere, quia prohibitio fuit ſimplex ſine adiuncta clauſula irritatoria. Tum quia plus vigoris habet conſuetudo cum ſit non ſolum optima legum interpres cap. Cum dilectus, de conſuet. ſed etiã legis ſublatiua cap. fin. eod. quam renuntiatio, quæ huiuſmodi non præſtat; ſed conſuetudo non tollit decretũ irritans cap. Quod ſuper, de conſang. in fine, ergo neq; renuntiatio. Tum quia non obſtat, quod lex poſterior generaliter loquens reſtringatur per priorem, quæ ſi caſum particularem ordinat, non cenſetur tolli per ſubſequentem etiam generaliter loquentem, quia hoc habet locum, quando nullum ſequitur abſurdum, iam autem ex prima ratione conſtat ſequi abſurdum niſi dicamus per Concil. ſublatum fuiſſe ius renuntiandi anno probationis. Hanc communiter ſequuntur doctores cum Rodriquez tom. 3, q. 15. art. 7. eius Compend. reſol. 101. num. 41. Nau. conſ. 62. de regul. Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 19. quicquid Henr. lib. 13. de excom. cap. 40. n. 2. citatus à Sanch. dicat cum alijs.

6 QVAERES. Vt nouitiatus ſit legitimus, neceſſariũ ne eſt, vt peragatur de intentione, & conſenſu vtriuſque partis, aliter nullus ſit?

℞. Vtique. Suadetur Tum quia eſt quidam actus humanus, ergo humano more peragendus eſt, ſicut reliqua

Tum

Tum quia actus agentium non operatur vltra eorum intentionem. Ita colligitur ex Nau. ſubobſcure conſil. 19. & expreſſe conſil. 26. num. 17. Rodr. tom. 3. q. 17. art. 12. in fine vbi dicit, quod receptus à non potente, non agit valide nouitiatũ, accedente vero ratihabitione, tunc incipere legitimum nouitiatum, cum quibus eſt Sanch. lib. 7. diſp. 37. nu. 52.

7 QVAERES. In quanã ætate debet nouitius facere nouitiatum?

℞. Aetas apta ad probationem incipit in fæminis ab anno decimo tertio, in maſculis ab anno decimo quinto incæptis, & dicuntur ingredi ad annos pubertatis, ab his enim annis incipit homo eſſe pubes cap. 3. de deſponſ. impub. Ratio eſt, quia impuberes, quales ſunt minores dictis ætatibus, non poſſunt plenum experimentum capere de caſtitate, quæ inter aſperitates eſt maxima, & hoc ſupponitur à iuribus à me citatis cap. 2. q. 47. de ætate iure antiquo requiſita ad profitendum, quæ erat prælibata fere non diſtincta, vel parum ab anno probationis, quibus adde Clem. Eos, de regul. Nec obſtat caput 16. Concil. vbi dicitur, quod finito tempore probationis, ſuperiores nouitios habiles admittant ad profeſſioné, quaſi annus probationis debeat eſſe decimus ſextus, poſt quem ſolum poteſt fieri profeſſio ex cap. 15. Subintelligitur enim ſi habeat legitimam ætatem; quod confirmatur ex ſequenti cap. 17. vbi agens de puellis introducendis, decernit, vt puella habitum probationis ſuſceptura ſit maior duodecim annis, & non ante eum ſuſcipiat, ergo de mente Concil. annus probationis in puellis incipit ab initio decimi tertij. Sic ſentiunt communiter doctores cum Sà. religio 11. Nau. conſil. 20. Rodr. tom. 3. q. 15. art. 2. fine Bonac. q. 2. de Clauſura p. 10. diff. 2. §. 2. nu. 2. Sorbus Nouitius Not. 4. Sanch. lib. 4. cap. 4. num. 22. Sorbum reprobans lib. 4. cap. 18. nu. 25. ſed male, quia id non inueni in meo codice, quod illi imputat.

Nouitiatus ergo incipit in ea ætate, aliter antea inceptus non tenet neque legitimus eſt ex probatis; neque ma-

litia ſupplere poteſt ætatem, vt omnes docent; conſequẽter ex eo ſubſequens profeſſio non tenet, prærequirens ad ſui valorem legitimum nouitiatum, vt aperte decernit Concil. illo cap. 15. & ſic docent communiter omnes, & Sanch. cit. num. 25. Verum quidem eſt, quod ſi quis incæpit nouitiatum ante annos pubertatis, poteſt hunc defectum ſupplere manendo in loco deputato donec perfecerit annum integrum in ſtatu pubertatis.

8 QVAERES. An impuberes fæminæ, quæ nondum attigerunt decimum tertium, & maſculi decimum quintum, recipi poſſint in loco nouitiatus ſaltem erudiẽdi, licet non poſſint recipi ad probationem?

℞. Poſſunt. Non tamen poteſt illud tempus computari pro anno probationis, nec illis prodeſt in ordine ad illam, & profeſſionem, vt præcedenti quæſito dictũ fuit. Illud probatur. Tum quia iure antiquo impuberes poterant ex voto, vel deuotione offerri à parentibus religioni, vt aperte habetur 20. q. 1. & cap. 1. 20. q. 2. vbi dicitur, quod in qualibet minore ætate tradi poſſunt, & in cap. Addidiſtis cit. q. 1. tradi poſſunt etiam tempore infantiæ; ergo & recipi poſſunt; tradere enim, & recipere ſunt corelatiua, quæ ad imparia non iudicantur. Tũ quia iura requirentia pubertatem loquuntur in ordine ad probationem. Neq; aliquid innouatum fuit iure nouo, quod ſolum loquitur de ingreſſu in ordine ad probationem, & profeſſionem, ad quam non poteſt aliquis ante decimumſextum expletum admitti, niſi poſt ſuſceptionem habitus in probatione per annum ſteterit.

9 QVAERES. nonnulla de his impuberibus: 1. An oblati à parentibus poſſint ad libitum proprium, vel parentũ exire? 2. An matre repugnante poſſit pater offerre filiũ? 3. An alter ſine altero nõ repugnãte poſſit offerre? 4. An tutor poſſit pupillum offerre religioni? 5. An inuitus filius poſſit tradi religioni?

Primo ℞. Parentes non poſſunt niſi poſt annos impubertatis eos reuocare cap. Significatum, & cap. Cum ſimus. de regul. nec ipſi retrocedere etiã de eorũ conſenſu

re-

reſiſtĕte cŏuĕtu, qui aquiſiuit ius eos retinĕdi ad diuina obſequia poteſt tamen cŏuentus cedere iuri ſuo. Parentes eos reuocare poſſunt, implorata ſuperiorũ authoritate, ſi illis inuitis ingreſſi fuerint, infra annum, & diem à die ſciĕtiæ, & non deinceps cap. 2. de regul. cap. Puella 20. q. 2. Quod ſi ſponte fuerint ingreſſi, poſſunt quouis tempore reſilire, eodem cap. Significatum. Intellige prædicta ſemper reſpectiue ad votum factum à parentibus, vel à filio, nam ex deuotione oblatum ſemper reuocare poſſunt Vide Silu. v. religio 2. q. 10. 11. Roſellam Tab. Arm. v. Nouitius, & Sanch. lib. 4. cap. 18. optime de hac re.

Secundo Reſp. Requiritur vtriuſq; conſenſus argumento Reg. quod in re communi potior eſt conditio prohibentis, ita mox citati v. Patria poteſtas.

Tertio Reſp. Poteſt, ex cap. 1. & 2. 20. q. 2. in quibus textus interdum coniunctiue, aliquando diſiunctiue loquitur. Ratio eſt, quia in iſta oblatione, quæ eſt ſpiritualis, attenditur potius naturalis obligatio, quæ in vtroque eſt æqualis, quam patria poteſtas inducta iure ciuili §. Fæminæ Inſt. de Adopt. Vide Roſel. Nouitius n. 2. Tab. q. 1. & ſupradictos.

Quarto Reſp. Poteſt, ex cap. Puella 20. q. 2. tradunt præcitati.

Quinto Reſp. Non poteſt ex cap. Præſens 20. q. 3. quia requiritur conſenſus ſaltem tacitus filij. Silu. religio 2. q. 10. Tabiena. Roſella v. Nouitius.

10 QVAERES. An nouitiatus ita debeat ad vnguĕ eſſe perfectus quo ad integritatem vnius anni, vt ſi deſit vna hora, vel quid minus ſit illegitimus nŏ ſufficiens ad valide profitendum?

℞. Nulla eſt profeſſio, requirens annum nouitiatus perfectum, & abſolutum de momento ad momentum; Concil. enim illo cap. 15. expreſſe dicit, quod nulla eſt profeſſio nouitij, qui per annum poſt habitum ſuſceptũ in probatione non ſteterit; ergo ſi deſit hora, non dicitur ſtetiſſet per annum in probatione.

Et hoc habet locum, tam in perfectione anni proba-

tionis, quam in ætate requiſita ad profitendum, ſi enim fieret etiam per ſemihoram antequam ingrederetur in annum decimum ſeptimum nulla eſſet; & in anno biſextili duo illi dies pro vno computantur cap. Quæſiuit §. Feſtum. de verb. ſign. l. Cum biſextus ff. de verb. ſign. & ita docent Mobina tom. 2. de Iuſtitia q. 573. §. Atq; vt Sanch. lib. 2. diſp. 24. nu. 22. Vecchius diſp. 11. dub. 4. nu. 2. Naldus Profeſſio 6. Graff. Conſil. 6. de regul. n. 2. Bonac. q. 2. de clauſ. p. 10. diff. 2. § 3. Et multi alij quos citando ſequitur Diana reſol. 57. de dub. Regul. contra Rodr. & alios à Vecchio citatos aſſerentes nouitiũ poſſe proficere eadem hora, qua anno tranſacto fuit indutus habitu probationis, quod poſt factum non damnarem ad varia incommoda vitanda: omnes vero in eo conueniunt, quod nouitius valide profitetur ſtatim finita probatione, ſi enim veſtitus fuit hora decima quinta e. g. poteſt profiteri decima ſexta incepta, immo ab illo puncto, in quo deſijt receptio habitus, intellige ſi nouitius indutus fuit in conuentu, vbi eſt nouitiatus deputatus. Aliqui requirunt annum, & diem, ſed id nullo iure præcipitur, vt alijs citatis aduertit Sanchez.

11 QVAERES. An annus probationis ita debeat eſſe continuus, & vnitus, vt reddatur inualidus, ſi aliqua ratione interrumpatur à nouitio recedente à nouitiatu ſine licentia; ſiue animo non amplius redeundi, ſiue fugiẽdo rigorem ſuperioris ſui.

℞. Nouitiatus interrumpitur per retroceſſionem, vel fugam, ita quod ſi nouitius pænitentia ductus redeat non poſſit ſubſequens tempus continuare cum præcedenti iam elapſo, & ſubſequens inde profeſſio nulla eſt. Probatur tum iure antiquo cap. Ex parte de regul. Clem. Eos, eod. vbi habetur particula (*Per annum*) & cap. 1. eod. in 6. additur (Per totum annum). Hæc autem præpoſitio (*Per*) adiuncta tempori ſignificat eiuſdem continuationem, de communi Archid. in cap. Cum contumatia v. Per annum de hæret. in 6. teſte Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5. nu. 15. de hac re. Tum iure nouo cap. 15. illis verbis

(*Per*

(*Per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit.*) Sed iſti receſſerunt,& fugam arripuerunt,quomodo ergo ſteterunt in probatione? Tum quia tempus à lege præſcriptum in dubio debet cenſeri continuum,vt notatur in rubr. de diuerſ. & temp. præſcript. argumento Clem. Vn. de reſtit. in integrum. Tum quia intermiſſione temporis diuerſificantur mores, & opera hominum. l. Si non ſortem §. Libertus ff. de cond. indeb. ergo,& annus probationis, in quo ſpectantur mores nouitij. Ita tenent fere omnes,quos citando ſequitur Sanch.lib.5.cap.4.num.21. Rodr.tom.3.q.15.art.8. Mirand.tom.1.q.22.art.4. Nau. Conſil.32. Vecch.diſp.11. dub. 3. referens aliquos opponentes. Bonac.q.2.de clauſ.p.10.diff. & §. 2. nu. 3.

Diſcrepant Doctores, quodnam tempus interrumpat nouitiatum,nam Suar. quem ſequitur Vecchius diſp. 11. dub. 3. nu. 7. & Sanch. lib. 5. cap. 4. nu. 32. Docent nouitiatum interrumpi, ſtatim ac nouitius habitu dimiſſo receſſit, licet pænitentia ductus eadem die redeat,probant, tum quia id tempus habet locum formæ, quæ in minimo vitiat actum;non placet, quia non requiritur continuatio phyſica, ſed ſufficit moralis, & ideo in nullo dicitur forma vitiata. Tum quia ſi deſit modicum tempus in abſolutione anni,non tenet ſubſequens profeſſio,quia annus debet eſſe continuus de momento ad momentum, ſupra ſub q. 10. ergo quæuis modicitas illum diſcontinuat, ſicut non perficit; Eſt differentia, quia tempus abſolute deeſt. Addit Vecchius nouam, ſed debilem rationem, quia eo ipſo emittit ſtatum religionis, ſubdendo hunc indigere noua receptione; nega vtrumq;

Lapus citatus à Sanch. aſſerit interrumpi per quatuor horas. Nauar. conſil. 32. n. 3. ait interrumpi per exitum nouitij à clauſtro per tres, aut quatuor dies ſine licentia. Sorbus v. Nouitius §. Secundo ait interrumpi per tres dies. Bonac. cit. §. Et hoc, ait interrumpi per duos aut tres dies. Francus ait non interrumpi per tres dies. Itaq; videtur tempus arbitrarium.

Michi hæc placita magis arrident. Tum qnia verba

ciuili

ciuili modo, & moraliter intelligenda ſunt l. Penult. ff. ad exhibend. Tum quia ſicut Parochus abſens per aliquos dies dicitur non interrumpere reſidentiam, ex citatis iuribus à Graff. par. 1. lib. 2. cap. 97. nu. 57. ita, & nouitius recedens per modicum tempus dicitur reſidere in probatione; vnde in materia reſidentiæ dicitur ex doctrina ſacrorum canonum relata Seſſ. 23. cap. 1. quod qui aliquantiſper abeſt non videtur abeſſe. Tum quia recedens breui reuerſurus non cenſetur receſſiſſe l. Præſens ff. de Procur. l. 3. ff. de diuort. ex cap. 21. diſt. 1. de Pænit. ergo recedens nouitius, ſi breui reuertatur, dicitur nō receſſiſſe, & conſequenter nec interrupiſſe nouitiatum. Tum quia verba cum æquitate intelligenda ſunt, licet alias id non paterentur gloſ. Si verba cap. 2. 23. q. 1. per iura ibi allegata; æquitas autem non patitur, vt nouitius fortaſſis prope finem anni recedens per vnum, aut alterum diem, incipiat de nouo reficere nouitiatum, id enim illi eſſet potius occaſio in totum recedendi, quam remanēdi, præterquamquod id eſſet etiam incommodum religioni. Tum quia per paucos dies recedens non ideo fruſtratur finis nouitiatus, non enim ſemper, & continuæ debet experiri auſteritates, ſed tempore, & loco. Vide infra q. 13. vbi definitur tempus diuidens nouitiatum.

Receſſus autem iſte debet eſſe cum effectu extra Monaſterium, verba enim ſunt cum effectu intelligenda; & ille dicitur de facto recedere, qui relinquit priorem locū, & ad alterum accedit. Vide Vecch. cit. n. 8. Procedit ſiue habeat animum non redeundi, ſiue redeundi; hæc enim illius ſunt accidentia. Siue habitu retento, ſiue dimiſſo, quia aſperitas habitus continua intelligitur moraliter, aliter de nocte dormiens, ſine habitu, vel manens in cella ſine illo non diceretur manere in probatione.

2 Latitans in cōuentu, vt euadat pænam, vel ſeueritatem diſciplinæ non dicitur receſſiſſe, neq; fugiſſe, & ideo non interrumpitur nouitiatus Nau. conſ. 33.

Exiens licentia non petita per vrbem, aut de nocte vagans recreationis gratia, aut ad fornicandum, vel quid

aliud

aliud agendum, & reuertens nõ dicitur interrumpere nouitiatum, quia non recedit, neq; fugit. Sic ſentit Sanch. cit. nu. 33. Vecch. nu. 5. Bonac. nu. 3. §. Et hoc.

Priuilegium continuandi nouitiatum disiunctum à Iulio 2. alias conceſſum ſublatum fuit per Sacrum Concil. probat Sanch. cit. nu. 35. & conatur Miranda tom. 1. q. 22. art. 4. contra Rodr. tom. 3. q. 15. art. 8.

12 QVAERES. An eiectus, ſi iterum recipiatur debeat incipere nouitiatum, vel alias cæptum proſequi?

℞. Si fuit iuſte eiectus, debet de nouo iterare nouitiatum, quia ſicut fuit iudicatus ineptus ad religionem, ita, & nullus nouitiatus in eius gratiam peractus. Si iniuſte, habet ius recurrendi ad ſuperiores, & faciendi ſe reſtituere in integrum ad continuandum ceptum nouitiatum, per Reg. 41. non enim imputatur ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum. Et nemo ſine ſua culpa, niſi ſubſit cauſa priuandus eſt iure ſuo cap. 7. diſt. 56. cap. 7. de eo, qui lign. & Reg. 23. in 6. Quare cum ex parte ſua non fuerit interruptus nouitiatus, ſed priuatus ſine culpa ſua, & ſine cauſa, venit ſine dubio reſtituendus. Ita docet Vecchius diſp. 11. dub. 3. nu. 9.

13 QVAERES. An interrumpatur per acceſſum ad ſuperiores cauſa appellationis, vel ad dicendum ſuam rationem?

℞. Non interrumpitur. Tum quia iſte non eſt receſſus, neq; retroceſſio, ſed licitus acceſſus ad ſuperiores. Tũ quia accedens prætextu grauaminis ad ſuperiorẽ maiorẽ cenſetur habere ab eo tacitam licentiam, ſed recedens à conuentu cum licentia non interrumpit nouitiatum, vt probo q. 14. ita ſentit Vecchius diſp. 11. dub. 3. nu. 9.

Occurrit autem ſequens caſus, ex cuius reſolutione ad plenum confirmatur dicta reſponſio non ſolum quo ad recurſum, ſed etiam quo ad fugam, de qua ſupra q. 11. vbi dicta ſubijcio dicendis hic. Eſt autem ſubiecti tenoris.

Frater N. Nouitius ætatis ſuæ annorum ſexdecim cõpedibus ferreis conſtrictus in veſperis Aſſumptionis B.

M.

M. V. anno 1634. timens vehementer expulſionem e religione, cum ſui magno dedecore, & damno, quam Magiſter illi ſæpius minitatus fuerat etiam apud profeſſos aſſerendo, dum vinculis eum ſubiecit velle expellere in aduentu proximo patris Prioris, nouitius ſibi conſulendo, ne pateretur tam graue dedecus, die ſequenti hora decima quinta fugam arripuit, ſeu potius recurſum habuit ad ſuperiorem Prouincialem, qui illum ad locum nouitiatus die decima octaua eiuſdem menſis Auguſti reſtituit.

Difficultas eſt. Vtrum debeat de nouo incipere annũ probationis, an duos menſes cum fere dimidio, qui illi ſuperſunt, cum præcedentibus poſſit continuare?

℞. Non fuit interruptus nouitiatus, ſed reliquos menſes continuare poteſt cum præcedentibus, & illis perfectis ſtatim proficere, ſi aliud non obſtet.

Quia talis exitus fuga proprie non eſt, ſed recurſus, ſeu appellatio de facto ad ſuperiorem, quæ non impediunt, neq; diuidunt nouitiatum. Illud ſuadetur. Tum quia fuga, & recurſus differunt, nam illa rationabilis non eſt neq; includit ad ſuperiorem acceſſum, vt facit recurſus, qui licitus eſt, & rationabilis, vt omnes docent cum Nau. com. 2. de regul. num. 61. Rodr. tom. 1. q. 30. art. 3. & tom. 2. q. 53 art. 10. ad finem Mirand. q. 29. de ord. iud. vbi art. 3. ait recurſum, & appellationem ad ſuperiorem eſſe defenſionem de iure naturæ cuilibet competentem; nouitius autem iſte vti grauatus, vt infra conſtat acceſſit ad ſuperiorem, vt ex narrato caſu patet, ergo non fugit. Tum quia l. Quis ſit fugitius §. Idem Iulianus ff. de edilit. edic. dicitur, puerum eſſe fugitiuum qui à Magiſtro receſſit, & ad matrem peruenit, ſi ſe celandi cauſa, ne ad dominum reuerteretur, fugiſſet; in caſu autem noſtro accidit oppoſitum, nam nouitius à Magiſtro quidẽ receſſit non vt fugeret, ſed vt accederet ad patrem Prouincialem, quo informato de grauamine, reuerteretur ad locum nouitiatus vt de facto fecit, ergo non fugit, conſequẽter ex hoc capite frater Columbanus nouitiatum non interrupit. Quod

Quod autem recurſus ad ſuperiorem non interrumpat nouitiatum, ducitur. Tum quia recedens à nouitiatu cũ licentia ſuperioris non dicitur illum diuidere, vt de communi docent Nau. conſil. 32, de regul Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5. num. 18. Sorbus v. Nouitius Rodr. tom. 3. q. 15. art. 8. Azor. part. 1. lib. 12. cap. 2. q. 8. Mirand. tom. 1. q, 22. art. 15. quos ſequendo citat Vecchius diſp. 11. dub. 3. num. 10. licet alias licentia eſſet illicita, docet. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 14. num. 14. Recurſus autem ad ſuperiorem includit tacitam licentiam, hoc ipſo, quod licitus eſt acceſſus ad ſuperiorem ad repellendum grauamen; vt docent præcitati primo loco; neq; enim licentia formalis neceſſaria eſt in ijs, quæ alias cõceſſa ſunt, Gloſ. Licentia cap. 2. de temp. ood. in 6, Graff. tom. 1. conſil. 8. de voto num. 6. Tum quia nemo priuandus eſt iure ſuo ſine culpa cap. 7. diſt. 56. Reg. 23. in 6. ſed is recurſus fuit inculpabilis, ergo non fuit diuiſus nouitiatus, eſt enim valde oneroſum totum fere nouitiatum repetere maxime ſub eodem Magiſtro parum affecto in diſcipulum.

Præterea metus grauis, qualis eſt timor amittendi ſtatum l. Iſti quidem ff. de eo, quod metus.; & honorem ob expulſionem à religione l. 7. tit. 13. part. 7. apud Sanchez lib. 4. diſp. 5. num. 10. & 11. & in ſpecie nouitiorũ Galuanus conſil. 12. excuſat à peccatis in ijs, quæ non ſunt intrinſece mala, & à cenſuris, alijſq; pænis, vt docẽt omnes in tit. de ijs, quæ vi, ergo & ab interruptione nouitiatus, non enim eſt maior ratio, cur excuſet reſpectu illius, & non huius. Ne ergo nouitius deijceretur à ſuo ſtatu cum magno ſui dedecore iuſtam habuit rationem confugiendi ad ſuperiorem.

Tertio. Dato non conceſſo, quod is receſſus eſſet fuga, adhuc non eſſet nouitiatus interruptus quia exitus nouitij à loco ſine licentia ſuperioris per duos, aut tres dies non interrumpit nouitiatum, docent apud prælibatum Vecchium num. 7. Leſſius Nau. Lorich. Nald. Ratio poteſt eſſe, quia parum pro nichilo reputatur. & qui aliquantis

per abeſt, non videtur abfuiſſe, ſi ſtatim eſt reuerſurus ex doctrina ſacrorũ canonum citata Seſſ. 23. cap. 1. & tempus continuari dicitur, licet quis abſit per aliquot paucos dies, iuribus citatis docet Graff. part. 1. lib. 2. cap. 97. num. 57. & tempus quatuor, aut quinq; dierum in iure reputatur parum, & modicum l. Et ſi poſt ff. Si quis caut. In caſu autem noſtro nouitius ſolum duobus diebus, immo vnico die naturali abfuit à loco nouitiatus, ſtando in rigore iuris, nam ſtatim ac peruenit ad patrem prouincialem, quod fuit ſequenti die dicitur eſſe extra nouitiatum cum expreſſa licentia ſuperioris, quod idem eſt ac ſi eſſet in nouitiatu nã Abbas vterq; referente Nau. conſil. 32. n. 3. ait quod religioſus manens extra monaſteriũ ſub obedientia ſuperioris, & cũ eius licẽtia, videtur reſidere intra illud; is autẽ nouitius ſtatim ac vidit patrẽ prouincialem incepit eſſe ſub eius obedientia, ac ſi fuiſſet in loco nouitiatus quo ad hunc effectum, ergo de iure ab fuit per vnum diem naturalem. Itaq; nouitius ex fuga abſens etiam per quinq; dies non cenſetur apud me diuidere nouitiatum, tum ob rationes adductas mox. Tum quia nimis durum videtur, nouitium, qui per decem menſes manſit ſub rigeroſa diſciplina, debere nouitiatum repetere, cum id ſpeciem pœnæ habeat, quæ proportionem habet minime cum culpa præcedente, ſi quæ fuit, vt plurimum ſiquidem nouitij vel diaboli inſtigatione, vel Magiſtri indiſcreti ſeuitia aufugiunt, vt igitur faciliori modo ad ſanctum propoſitũ reuertantur, admittendi ſunt ad reliquã partẽ nouitiatus ſine vlla diuiſione, verba enim legis ciuili modo intelligenda ſunt l. Si cui. ff. de ſeruit. & æquitas præfertur rigori Thomas ſ. Reg. 17. Nau. conſil. 22. de cler. non reſid. debet enim cõfirmari legi diuinæ cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue.

Galuanus cit. conſil. 12. hunc caſum de fuga nouitij Carmelitarum Mediol. reſoluit, quod ex fuga nouitiatus non fuerit diuiſus, ergo multo minus in caſu noſtro, vbi non datur fuga, ſed recurſus ad ſuperiorem, quem citando ſequitur Vecchius cit. num. 15. & Suar. cit. quem ſequendo

quēdo Diana reſol.84.de dub. Regul. cum alijs docet nō interrumpi nouitiatum ab exeunte indebite, & ſine licentia clauſuram, dummodo intendat redire ad nouitiatum, modo habitum retinuerit, de qua particula mox dicam, quomodo intelligenda.

Obijciunt multa aduerſarij, 1. quod receſſerit ſine licētia, ſed id non obſtat, quia ſi loquamur de licentia ſuperioris à quo, ſeu Magiſtri, ea non eſt neceſſario petenda, docet Nau.com. 2. de regul.nu. 61. per gloſ.in cap. Cum paſtoris 2. q.7. arg. cap. Ex parte, de Accuſ. ſi vero loquamur de licentia ſuperioris ad quem hoc ipſo, quod quis recurrit ad ſuperiorem, ad repellendum grauamen, dicitur ab eo habere tacitam, & præſumptam licentiam, non obſtante Sacro Concil. requirente licētiam in ſcriptis Seſſ. 25. cap. 4. quia ibi ſermo eſt de friuola appellatione cauſa correctionis, non autem reſpectu iniuſti grauaminis, probant præcitati cum Nau. dicto num. 61. præterquamquod Concilium ibi loquitur de profeſſis.

Secundo dicunt nouitium pauca eius impedimenta ab eo illata, ſecum retuliſſe, ex quo apparet non habuiſſe animum redeundi, neq; recurrendi ad ſuperiorem, ſed potius fugiendi, & deſerendi religionem. Sed hæc non obſtant, illa .n. ſecum tulit, quia carebat pecunijs, vnde neceſſe erat, vt ex rebus ſuis venditis, ſi opus fuiſſet, ſibi in itinere ſubueniret.

Tertio aiunt, non adijſſe ſuperiorem recto tramite, ſed diuertiſſe eodem die fugæ ad cauponam, cum eodem die poſſet accedere ad alium conuentum viciniorem, vel etiā Papiam, vbi morabatur Pater Prouincialis. Sed hæc obiectio immerito paginam denigrat, quia ſatis rectum fuit iter inceptum ſecunda die, non enim tenebatur eodē die accedere ad viciniorem conuentum, neq; ad ſuperiorem maiorem, cum exierit è nouitiatu hora decima quinta, & potius egit aliquali requie ex mala nocte præterita, & conſilio, quam celeri recurſu.

Quarto obijciunt, quod exierit habitu ſpoliatus illum ſuper humeros geſtando. In hoc prudenter ſe geſſit,

ne ludibrio eſſet cunctis illum cernentibus cum ſola veſte ſine cingulo, & caputio à Magiſtro iniuſte ablatis, quæ ab amico obtinuit, vt honeſte, & religioſe incederet ad ſuperiorem.

Præterea non obſtat, quod è carcere fugerit, quia quilibet etiam religioſus iniuſte detentus poteſt fugere, docet Anchar. conſil. 201. Roland. conſ. 79. nu. 41. Benzon. lib. 1. de fuga q. 4. quos, & alios citando de communi ſequitur Homob. par. 2. Conſult. 209. Nau. com. 4. de regul. nu. 63. Iſte autem nouitius iniuſte carceratus fuit maxime in compedibus ferreis, quia aliquis carcerandus non eſt niſi pro grauiſſimis delictis, docent de communi Gomez cap. 9. de delictis nu. 6. Clarus in ſua praxi §. fin. q. 46. Aretinus regularis in ſua praxi cap. 6. in addit. vnde Mirand. q. 15. de ord. iud. art. 3. concl. 2. ait quod carcer eſt grauiſſima pæna, ac proinde ſine magna cauſa, cõſideratione, & maturitate non debet imponi, æquiparatur enim morti, ſecundum Bald. apud Rodr. tom. 2. q. 16. art. 1. & infamat vt ex Menoch. de Arbitr. caſu 87. docet Praxis Neapol. cap. 27. & in caſu noſtro talis pæna eſt, quæ nullam proportionem habet cum culpa nouitij, cuius errores fuerunt pueriles, ſiquidem deliquit auicidio, arboricidio, & dixit iratus ſe velle fugere poſt habitam vindictam de quodam ſibi valde infeſto, de quib. tamen non conſtat, cum ſolum auicidium fuerit confeſſus, quod illi accidentaliter contigit; neq; condiſcipuli poſſunt eſſe teſtes contra ipſum, quia ſuſpecti ſunt, vt placeant, cui de more placere ſolent, licet non de iure.

Quod autem nouitij duro carcere puniendi non ſint, ſed tantum leui pænitentia docet Henr. lib. 6. de Pænit. cap. 16. nu. 3. ad finem, & lit. T. in com. ex quo etiam infertur nõ potuiſſe illi auferre habitum, & caputium, eſt enim hæc pæna grauiſſima ſolis ſuperiorib. reſeruata, vt probatur infra ſub q. 62. §. Quare.

14 QVAERES. An nouitius in anno probationis per aliquod tempus manens extra conuentum ſibi deputatũ pro nouitiatu peragendo, cum licentia ſuperioris dicatur interrumpere nouitiatum?

℞. No

℞. Non interrumpitur nouitiatus. Probatur, quia deferens habitum extra de licentia prælati, cenſetur illum geſtare etiam in monaſterio, vt docet Abbas in cap. Ex reſcripto. de Iureiur. num. 5. & in cap. Ad noſtram de regul. Silu. religio 3. q. 19. Sà nu. 9. & 53. Nau. conſil. 32. Rodr. tom. 3. q. 15. art. 10. Mirand. tom. 1. q. 22. art. 5. Vecch. diſp. 11. dub. 3. num. 10. vbi refert declarationem Eminentiſſimorum Beia part. 4. caſu fin. §. Secundum. Bonac. q. 2. de clauſ. p. 10. diff. & §. 2. num. 6. abſolute tenet poſſe fieri extra de licentia: ſed non aduertit ad decreta Clem. VIII. Et id verum eſt nō ſolum reſpectiue ad Sacrum Concil. ſed etiam reſpectu Decreti Clem. VIII. Nam & conuerſi debent educari in loco deſignato, ſicut clerici, vt conſtat ex §. Cum autem licet, & tamen iſti non poſſunt experiri auſteritates religionis præcipuas, niſi mittantur ad querendas eleemoſinas non ſolum intra, ſed etiam extra vrbem, & quandoq; per multos dies neceſſe habent manere, & pernoctare extra, & hoc modo bene experiuntur labores religioſos; & fortaſſis extra rem non eſt, etiam clericos nouitios in his exercitijs experiri, maxime cum poſt profeſſionem contingat illis interdum petere elemoſinas, ad quid enim eos tota die relinquere otioſos in ergaſtulo?

Poſſunt ergo extra pernoctare, vel mendicando, vel cauſa infirmitatis, aut alicuius ſeruitij, ſemper de licentia prælati. Docent præcitati doctores, & de mendicitate in ſpecie Vecch. diſp. 11. dum. 3. num. 12.

Tempus autem infra quod poteſt nouitius de licentia manere extra, diuerſimode aſſignatur, nam in caſu propoſito à Nau. conſil. 32. datur ſemeſtre Azor. lib. 12. cap. 2. q. 8. dicit valere profeſſionem eius, qui totum nouitiatum egit extra de licentia. Alij apud Sanch. lib. 5. cap. 4. concedunt duos menſes. Rodr. apud ſuum Compend. reſol. 101. num. 44. §. Circa, docet nouitium non poſſe permanere extra (vltra duos menſes, & bonam rationem reddit, quia nouitiatus eſt etiam introductus in fauorem religionis, vt cognoſcere poſſit mores nouitij,

N quos

quos tamen non poſſet experiri, ſi per longum tempus maneret extra. Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 28. quem ſequitur Diana reſol. 84. de dub. regul. aſſignantes maiorẽ anni partem. Itaq; tempus hoc relinquitur arbitrio prudentis. Nichilominus ſtante decreto Clem. VIII. de peragendo nouitiatu intra locum deſignatum, dico, quod ſi quis maneret extra per totum annum, ſine dubio non teneret; & nulla foret ſubſecuta profeſſio; immo audere maſſerere licet maneret per ſex menſes, ſtante decreto Clementis VIII. annullante profeſſionem ex non facto nouitiatu in loco deſignato, tempus ergo intraneum debet excedere extraneum; & hoc mirum non eſt; quia prçcitati doctores contra hoc loquuntur extra decretum, ad quod tamen recentiores nonnulli potuiſſent aduertere Diana, & Vecchius, licet indefinite loquantur. Dare licentiam poteſt ſuperior localis de iure, niſi obſtet ſpeciale ſtatutum, vt apud Min. de obſeru. Mir. tom. 1. q. 22. art. 5. in fine Rodr. tom. 3. q. 15. art. 8. in noſtra religione ſpectat ad Priorẽ, vt colligi poteſt ex cap 7. regulæ, & conſt. Clem. VIII.

Licentia autem hæc non neceſſario debet eſſe omnino rationabilis, ſed qualis, & quandoq; illicita ſufficiens, ne nouitiatus interrumpatur, illicita enim licentia adhuc eſt licentia, docet Gloſ. in cap. 29. 27, q. 1. Tenent Graff. lib. 3. cap. 5. num. 18. Suar. quem ſequendo citat Vecchius diſp. 11. dub. 3. nu. 11. Diana reſol. 84. contra Nau. conſil. 32.

15 QVAERES. An nouitiatus dimidiatus, hoc eſt, peractus partim in vno conuentu, partim in alio de licẽtia ſuperiorum ſit legitimus?

℞. Eſt legitimus. Probatur Tum quia ſi eſt aliqua difficultas, maxime quia interrumpitur per hanc dimidiationem, quod non eſt verũ, quia diuerſa tantum ſunt loca, & perſeuerat idem nouitiatus. Tum quia nouitiatus fuit inſtitutus ad probandum nouitium; ſed bene probari poteſt in diuerſis locis, immo melius, quia plura experiri poteſt in pluribus conuentibus, quam in vno tantũ

vnde

unde in cap. 9. diſt. 81. dicitur, quod valet interdum cõuerſis pro animæ ſalute mutatio loci, reddit rationem, plerumq; enim dum mutatur locus, mutatur etiam mẽtis affectus. Verum quidem eſt, quod id fieri debet ex legitima cauſa, quæ tamen ſit à ſuperiore licentiante cognita, quia mutatio ſine cauſa reprobatur, argumento cap. Publicato, de elect. Et bonum eſt ſecum deferre litteras patrum illius prioris conuentus, fidentiales de vita, & moribus illius temporis, quo cum illis conuerſatus fuit, ad patres ſecundi conuentus, ad quem tranſmigrat. De duplici conſenſu non neceſſario dixi cap. 3. q. 55.

Neque his obſtat Nau. dum conſil. 17. aſſerit nullam fuiſſe profeſſionem eius, qui profecit præmiſſo nouitiatu per decem menſes in vno, & per reliquos in alio loco; quia loquitur de tranſeunte ſine licentia, ergo à contrario ſi tranſiſſet cum licentia valide profeciſſet; de qua re fere etiam conſ. 19. Nec obſtant eadẽ, quæ habet conſil. 19. ex quibus videtur inferri diuerſitatem locorum interrumpere nouitiatum; quia ex eo conſilio dicitur nulla profeſſio, non ex diuerſitate locorum, ſed quia nullibi fuit receptus vt nouitius, neq; ipſe in illis ſe geſſit vt nouitius, requiritur enim formalis receptio, & tractatio, vt nouitij, vt probaui c. 6.

16 QVAERES: An qui ficte ingreſſus fuit in nouitiatum animo non probandi, ſed alio quouis fine, mutata ſententia debeat de nouo incipere nouitiatum an teneat, & proſequi poſſit?

℞. Tenet nouitiatus. Suadetur. Tum quia licet actus nõ operentur vltra intentionem agentis l. Non omnis ff. Si cert. pet. & conſequenter is non videatur peragere nouitiatum, tamen vere peragit, quia illa regula non habet locum, quando ab intentione agentis non pendet impletio actus, vt in caſu noſtro, in quo probatio nouitij non pendet ab intẽtione, ſed ab ipſa experientia, & permanentia nouitij in exercitijs religioſis. Tum quia factum ipſum, cum is ſtet in probatione, perimit intentionem, & nouitiatus peragitur ab iſto, ac ab alio habente intentio-

nem realem faciendi nouitiatum. Tum quia nouitiatus experientia, & opere magis perficitur, quam intentionē, Tum quia factum vtile per inutile vitiari nō debet Reg. 37. in 6. Sed vtiq; poteſt fieri probatio cum in experientia conſiſtat, & opere, ergo non debet vitiari per illam fictionem. Demum hæc fictio nichil operatur niſi quod is peccat cum teneatur habere rectam intentionem, & nō fictam. Suar. apud Vecch. diſp. 11. dub. 2. in fine ait oppoſitum eſſe ſatis probabile, ſed tene quod dixi.

17 QVAERES. An nouitiatus in veſte ſeculari peractus ſit legitimus?

℞. Debet fieri in habitu regulari. Probatur de iure, quia id ſupponitur cap. 1. de regul. in 6. expreſſe Clem. Eos, eod. expreſſius cap. 15. Seſſ. 25. & decreta Clem. 8. rationem reddit gloſ. In eadem veſte, cap. Super eo, de regul. quia geſtatio habitus religioſi eſt quædam aſperitas probanda à nouitio. Demum cum in iure antiquiori fit mentio de veſte laicali geſtanda à conuerſis ad religionem; ibi ſermo eſt de habitu probationis ad diſtinctionē habitus ad profeſſionem. Sic tenent Ang. nouitius 13. Tab. q. 10. Silu. religio 3. q. 5. Rodr. tom. 3. q. 15. art. 9. Mirand. tom. 1. q. 22. art. 6. Non eſt autem neceſſe vt habitus religionis, quam nouitius intendit profiteri ſit diſtinctus ab habitu profeſſorum, ſed poteſt eſſe omnino idem Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 14. num. 10. cū Vecch. diſp. 11. dub. 7. nu. 3.

18 QVAERES. An nouitius peracto probationis anno in decimo quinto ætatis ſuę poſſit recedendo à loco nouitiatus morari in quouis alio conuentu non deputato, & poſtea in decimo ſeptimo anno conſtitutus profiteri virtute præcedentis nouitiatus vti legitimi?

℞. Poteſt. Tum quia Sacrum Concil. & Decr. Clem. requirunt vnius anni probationem legitimam in loco deſignato factam; ſed hæc omnia adſunt, nec interpoſitum tempus vitiat nouitiatum alias legitime factum, ergo tenet profeſſio. Tum quia licet Concil. illo cap. 16. dicat profeſſionem eſſe recipiendam anno nouitiatus peracto,

id tamen intelligitur de illis, qui habent legitimam ætatem, vt dixi ſupra cap. 2. q. 68. Tum quia ſi recedat, & poſtea reuertatur poteſt profiteri, vt probatur ſequēti quæſito. Hanc tenent Nau. conſil. 20. num. 1. quem ſequitur Nald. Profeſſio. 1. Contra Vecchium diſp. 11. dub. 3. num. 5. vbi pro ſe citat Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 15. à num. 8. Sed ibi nullam adducit probantem rationem, niſi authoritatem Concilij, quæ non obſtat, vt dixi; neque enim video qua ratione, probatio debeat continuari cum profeſſione, hoc ipſo quod nouitiatus peragitur ſpatio vnius anni, vt etiam ipſe Vecchius docet à me allegatus q. 3. & annus legitimus eſt in decimo quinto, vt ipſemet Vecchius affirmat cum alijs diſp. 2. dub. 6. n. 14. & cum hæc omnia adſint tenet profeſſio.

19 QVAERES. An ſi quis peracto probationis anno, de facto recedat etiam animo non amplius redeundi habitu dimiſſo, ſi redeat pænitentia ductus, poſſit valide profiteri virtute præcedentis nouitiatus?

℟. Poteſt. Tum quia ille receſſus non vitiat nouitiatum alias legitime factum, ſicut neq; illum diſcontinuaſſet, ſi infra annum receſſiſſet breui reuerſus, ex probatis q. 11. ergo multo magis in eo caſu. Tum quia interpoſita mora etiam longa, cum ſit quid extrinſecum ad legitimam probationem, nouitiatus vitiare non poteſt profeſſionē. Tum quia, ad quid noua probatio, niſi vt probet, & probetur? ſed iam probauit, & probatus fuit, ergo fruſtra renouatur, fruſtra enim nichil faciendum eſt cap. Si papa, de Priuil. in 6. ex Nau. conſil. 60. Tum quia peragitur nouitiatus, vt Monaſteriū eius mores ſibi ignotos perdiſcat; ſed ſibi iam noti ſunt ex præcedenti probatione. Tum quia certiorari vlterius non oportet eū, qui certus eſt Reg. 31. in 6. ſed conuentus certus eſt iam de eius vita, & moribus, ergo amplius certiorandus non eſt per nouam probationem. Hanc tenent fere omnes cum Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 34. Bonac. q. 2. de Clauſ. p. 10. diff. & §. 2. num. 4. Rodr. tom. 3. q. 15. art. 10. loquens de moniali poſt annū probationis exeunte ad re-

ſuperandum dotem, ſi iterum reuertatur poteſt admitti ſine nouo nouitiatu. Verùm quidem eſt, quod is receſſus eſt legitima cauſa illum amplius non recipiendi, quia nõ videtur bene affectus erga religionem, & Dei ſeruitium, quia retrocedit, præſertim cum intermiſſione temporis diuerſificentur mores hominum l. *Si* non ſortem §. Libertus ff. de cod. indeb. Quod ſi dimitteret habitum, nõ vt retrocederet, ſed alio fine, vt melius poſſet recuperare ſuum, vel quid ſimile peragere licitum, deberet recipi, ſi id præſtitit maxime cum licentia ſuperiorum. Portel. part. 2. caſu. 7.

20 QVAERES. An teneat nouitiatus eius, qui fuit intruſus, vel receptus à non habente poteſtatem ſub ſpe ratihabitionis?

℟. Non tenet nouitiatus intruſi, neque ſub ſpe ratihabitionis incepti, niſi à die ratihabitionis habitæ à ſuperiore. Primum patet ex eo, quia qui ſe intrudit in beneficio eſt illo priuatus cap. Eum qui, de Præbend. in 6. ergo pari ratione, qui ſe intrudit. i. ingreditur vi, & propria authoritate, aut ſine licentia eorum, ad quos ſpectat, eſt illo iure nouitiatus priuatus. Alterum ſuadetur quia illa ratihabitio non poteſt tribuere veram rationem legitimi nouitiatus, niſi à die, quo à ſuperiore dicta receptio probatur, quia ratihabitio hic non poteſt retrotrhai, ſicut in ijs, in quibus ſpectatur initium, vt dixit gloſa ſuper regulam de ratihabitione, & in ſpecie ita docuit, Rodr. cit. ſupra q. 6.

21 QVAERES. An quodlibet monaſterium ſufficiat ad faciendum legitimum nouitiatum?

℟. De iure communi ſufficit quodlibet, quia neque iure communi veteri, neque nouo Sacri Concilij determinatur aliquis ſpecialis locus.

Decretis autem Clem. 8. neceſſario faciendus eſt nouitiatus in aliquo conuentu ex deputatis à ſede Apoſtolica in forma Breuis, aliter nulla eſt non ſolum receptio, & nouitiatus, ſed etiam profeſſio; vt videre eſt in vno incipiente. Regularis diſciplinæ. Dat. 12. Martij 1596. &

alterum

alterum incipiente. Sanctiſſimus. Dat. 20. Iun. 1599. quæ habentur in nouo Bullario, & apud quar. v. Monaſteria Nald. v. Religioſus. Vecchium initio 11. Excitatis, & innouatis ab Vrbano VIII. qui in ſuo Breui incipiente. Religioſos viros. Dat. 2. Apr. 1631. religioſis qui præmiſſo nouitiatu extra locum deputatum profecerunt, vt ſine dubio nulliter profeſſis dat modum de nouo profitendi, mandando quibuſcumq; Generalibus, aut Procuratoribus etiam Generalibus, quatenus ſtatim eo breui viſo, vt nouitiatus omnino faciant deſignare, ſiue confirmare.

22 QVAERES. An alias potuiſſet fieri annus nouitiatus extra conuentum?

℞. Non. Probatur ex cap. 1. de regul. in 6. vbi præſcribitur peragendus in conuentu, & in Clem. Eos, de regul. & colligitur ex Concilio. Ratio eſt, quia impoſſib le eſt conuentum probare, & experiri mores abſentis, debent ergo ex natura rei probari intra religionem.

23 QVAERES. An decreta Clem. 8. citata ſub. q. 21. loquantur reſpectu nouitiorum cuiuſcumq; religionis in quouis loco exiſtentium?

℞. Loquuntur ſolũ de nouitijs nouitiatũ peragentibus in locis deſignatis exiſtentibus intra Italiæ, & Inſularũ adiacentium fines. Pręterea excipiuntur nouitij Carthuſianorum, Minorum de ſtrictiori obſeruantia, nec non Capuccinorum, Reformatorum S. Dominici, Diſcalceatorum Carmelitarum, Fratrum Congregationis Folienſis, Ciſtercienſis ordinis, eremitarum Camaldulenſiũ, & montis Coronæ, Theatinorum, Ieſuitarum, Barnabitarum, & aliorum de Somaſcha, & Miniſtrorũ infirmorũ Vt ibidem expreſſe dicitur.

24 QVAERES. An nouitij, qui debent in conuentu deſignato pro nouitiatu peragere tempus probationis poſſint recipi ad habitum in alijs conuentibus non deputatis, & poſtea illuc mitti, & ibidem perfecto probationis integro anno reuerti ad ſua monaſteria, & ibi profiteri, abſq; eo, quod contraueniant decretis papæ Clementis?

℞. Poſſunt, & legitimus eſt nouitiatus; & ſubſequens profeſſio valida. Probatur Tum quia licet Clem. 8. videatur cõtrarium exprimere in ſuis decretis maxime poſteriore, dum ſuperioribus prohibet ne quemquam recipiant ad habitum regularem, nec ad profeſſionem admittant, niſi in locis deſignatis, tamen quia legis latoris mens, & finis magis attendendus eſt, quam verba l. Scire leges ff. de leg. quia non debet aliquis verba conſiderare, ſed voluntatem, & intentionem, non enim debet intentio verbis deſeruire, ſed verba intentioni cap. Humanę aures 22. q. 5, & cum finis papæ in eo decreto, & in alio præcedenti ſit, vt regularis diſciplina iam cõlapſa reſtituatur, cui magnum impedimentum afferre videtur, ſi in ſingulis conuentibus paſſim, & ſine delectu recipiantur, vt probentur inibi, ideo prohibet ne ingrediendi recipiantur ad habitum, hoc eſt, probentur niſi in locis deſignatis, in quibus introducta ſit reformatio, qua mediante poſſint nouitii fieri apti ad eam regularẽ vitam reformatam degendam, papæ igitur intentio fuit hæc, & ideo mandauit eos fore probandos in his locis deſignatis, vbi viget, vel vigere deberet maior obſeruantia, quam in alijs, non curando poſtea de receptione habitus, neq; profeſſionis emiſſione, quia per has actiones nouitius non inſtituitur in vita regulari, cum ſint tranſitoriæ, ſed per continuationem, & perſiſtentiam vnius anni in loco deputato, in quo debet vigere reformatio. Tum quia Vrbanus VIII. in ſuo Breui præcitato q. 21. dum de mente Clem. papæ, aſſerit profeſſionem eſſe nullam, aliam rationem non adducit, niſi quia non fuit præmiſſus nouitiatus in loco deſignato, vt patet non ſolum in titulo, ſeu rubricà, à qua tenet, & optimum eſt argumentum, vt iuribus, & doctoribus citatis locat Barboſa lit. A. num. 217. ſed etiam ex contextu ipſius Breuis; ergo ſignum eſt peofeſſionis nullitatem ſequi ex non præmiſſo nouitiatu in loco deſignato, non autem ex receptione habitus, & profeſſionis extra illum. Tum quia non eſt dubium legem nouam declarare veterem l. Non eſt dubium ff. de leg. ſed Breue Vrbani

ni nouum clare dicit profeſſionem eſſe nullam ex nõ præmiſſo nouitiatu in loco deſignato; de conſtitutione vero Clem. dubitatur, an loquatur de receptionibus, & probatione ſimul, an de probatione tantum, ſed ſufficienter declaratur per Breue Vrbani Tum quia principale intentum ſemper ſpectandum eſt l. Rogaſti l. Si quis nec cauſam ff. Si cert. petat. In illis autem decretis principale intentum eſt, vt nouitij dum exiſtunt in probatione in illis locis deſignatis, vbi eſt maior obſeruantia, ad eam cõformentur; hęc autem obſeruantia contingere non poteſt in receptione, quæ eſt actio tranſitoria, ſed in probatione, & ideo hæc ſola fit in locis deputatis. Tum quia ſine dubio in illis decretis decernitur, vt nouitiatus fiat in locis deputatis; ſed receptio habitus probationis, & profeſſio non ſpectant ad annum probationis, ſed extra illũ ſunt, & ex illis non capitur experimentum. Tum quia licet per tranſitum ad ſecundum conuentum, peracto iã nouitiatu, non continuetur probatio, non ideo ſubſequens profeſſio eſt nulla, quia non eſt neceſſarium, vt probatio coniũgatur cum profeſſione ex probatis ſub q. 18. Tum quia, licet in Breui habeantur hæc verba. (*Si nullum, aliud paterentur vitium, vel defectum, niſi ex eo ſolum, quia initi, aut contracti ſunt inualide ab ijs, qui contra dictam conſtitutionem in domibus non deſignatis, ſiue ab eadem ſede apoſtolica approbatis profeſſi ſunt.*) ex quibus plane videtur inferendum, profeſſionem emittendam eſſe etiam in loco deputato, vbi peracta fuit probatio; Tamen cum verba ſequentia declarent præcedentia l. Si ſeruum §. fin. ff. de leg. 1. Marius Ant. lib. 3. Var. reſol. 1. num. 60. & ex præcedentibus nullitas profeſſionis tribuatur nouitiatui, non præmiſſo in loco deſignato, ſic etiam debent intelligi præcitata verba, vt nulla ſit profeſſio non emiſſa in loco deſignato, non ex eo, quod non fuit emiſſa in loco deſignato, ſed ex defectu nouitiatus non prælibati in loco illo. Vide in ſimil. Beiã part. 4. caſu 29. in fine.

25 QVAERES. Quidam religioſus, occaſione Breuis Vrbani papæ accepta, licet irrationabiliter, petijt à ſede

ſede apoſtolica audiri ſuper nullitate ſuæ profeſſionis, ex eo quod receptus fuit, & profeſſus in conuentu non deſignato pro nouitiatu, tacendo in expoſitione ſupplicationis ſe præmiſiſſe annum probationis in loco deputato, papa reſcribendo commiſit cauſam ſuper ea re (erat tranſactum quinquennium) ordinario loci ſimul cum ſuo ſuperiore, vt ſupplicantem audirent. An nullum fuerit reſcriptum ex eo, quod tacuerit, ſe præmiſiſſe nouitiatũ in loco deputato?

℞. Fuit nullum. *Suadetur* Tum quia tacetur aliquid quod eſt ſubſtantiale, & ſine dubio habet prudentem cõnexiorem cum materia diſpenſationis, & gratiæ, de qua ſi papa notitiam habuiſſet, ſine dubio gratiam non feciſſet, vt multis citatis docet Bonac. p. 4. de diſpenſ. nu. 31. Tum quia iſte vere eſt profeſſus ex probatis præced. q. ergo cum falſum ſupplicauerit, debet carere impetratis cap. Super literis. de Reſcr.

Quare hoc modo egreſſi bene diſcutiant ſuas conſcientias, & ſi cupiunt ſalutem animarum ſuarum reuertantur, reminiſcentes, quod nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro eſt aptus regno Dei, & recedentes poſt profeſſionem prætextu eius nullitatis, quæ omnino abeſt in præſenti caſu, fere omnes in præcipitiũ prolabuntur, quia quæ malo ſunt inchoata principio, difficile eſt, vt bono peragantur exitu. Cap. Principatus d. 25.

26 QVAERES. Cum ex probatis quæſito 24. poſſint nouitij indui habitu probationis etiam in conuentibus illorum locorum vbi morabantur in ſeculo, non obſtante Decreto Clem. An à die receptionis habitus, an à die ingreſſus in conuentum deputatum incipiat annus nouitiatus?

℞. Incipit à die ingreſſus in locum deputatum. Probatur. Tum quia licet iura doceant probationem incipere à ſuſceptione habitus, quod verum eſt tamen ſtante decreto Clem. quod vult nouitios eſſe probandos in loco deputato, ſequitur incipere à die ingreſſus in illum.

Tum

Tum quia ita colligitur ex Inſtit.ſuper recept. & educat. nou. §. *Statim atq; nouitij ad habitum recepti, & in locum nouitiatus introducti fuerint.* Per quæ verba apparet eos veſtiri poſſe in vno loco, & probari, in alio, ergo cum probatio incipiat à die introductionis in locum deputatũ non poteſt incipere à ſuſceptione habitus extra illum. Tum quia quælibet res, & actio noſtra habet principiũ & finem; ergo iſta probatio debet habere ſuum principium, illud autem non poteſt habere niſi in eo loco, ergo ibidem incipit. Tum quia licet nouitius de licentia quãdoq; poſſit exire de illo loco, & manere extra, vt quærendo eleemoſinas &c. iuxta probata ſub q. 14. non tamen poteſt efficere vt initium nouitiatus fiat extra, cum id nõ ſit concedere licentiam exeundi à loco, in quo nunquam fuit, vtique vero poteſt illum perficere etiã extra de licẽtia ſuperiorum iuxta dicta q. 11, & 14.

27 QVAERES. An receptiones nouitiorum factæ non præmiſſis informationibus, & examinatione, quas mandat fieri Sixtus V. & Clem. VIII. in decreto Sanctiſſimus. Dat. 19. Mai 1602. & in Inſtit. Cum ad regularẽ §. Primum. ſint nullæ, inualidus nouitiatus, & ſubſequens profeſſio?

℞. Tenent acceptiones, & nouitiatus validus eſt cum ſubſequente ex eo profeſſione, non ſolum reſpectu iuuenum ſexdecim annos non excedentium, de his enim non fuit locutus Sixtus Quintus, vt reſpondi cap. 2. q. 62. cõſequenter neque Clemens ſe referens ad conſtitutionem Sixti V. quia relatum eſt in referente cum omnibus ſuis circumſtantijs, ex vulgatis iuribus, ſed etiam reſpectu maiorum, quia cum Clemens ſe referat in ſuis decretis prælibatis ad conſtitutionem Sixti V. conſequens eſt dicere, quod ſi prætermiſſæ inquiſitiones de eius mandato faciendæ non viciabant receptionem ad habitũ, & profeſſionem, vt probaui dicto cap. 2. q. 65. iuxta ibi dicta, neq; vitiant poſt Clementis decreta.

Quod ſi in dicta q. 65. ſolum probatum fuit valere receptionem habilium tempore Sixti. V. & licet poſtea

Clem.

Clem. per ſuam conſtitutionem à me citatam ſub dicto cap. 2. q. 52. reduxerit conſtitutionem eiuſdem Sixti ad terminos iuris quo ad valorem profeſſionis cuiuſcumq; ſiue habilis, ſiue inhabilis, non tamen quo ad nouitiatum vnde in citato decreto prohibet ne nouitij ad habitum vllatenus recipiantur, niſi prius ab ipſa Congregatione Reformationis, vel à proprijs locorum ordinarijs nouitij nominatum approbati fuerint, licentia in ſcriptis obtēta, addendo clauſulam irritatoriam, ex quibus infertur prætermiſſam approbationem vitiare nouitiatum, & ſubſequentem profeſſionem.

Res tamen ita ſe non habet, quia Clemens reducendo ad ius commune cōſtitutiones Sixti, & Gregorij quo ad profeſſionem, reduxit etiam quoad receptionem, & nouitiatum, in quantum eius defectus potuiſſet procedere ex non ſeruata forma illius conſtitutionis, vt ex ea colligitur; præterquāmquod fruſtratoria eſſe gratia, quia ſi non reduxiſſet ad terminos iuris etiam receptionem habitus; non potuiſſet inde conſurgere valida profeſſio: & in hoc ſenſu ſpectādus eſt ipſe Clemens in hoc poſteriori decreto ſe conformando priori conſtitutioni, expedit enim iura iuribus concordare.

28 QVAERES. An ex nullitate nouitiatus ſequatur nullitas profeſſionis?

℞. Hoc tamquam certum ſupponitur ſeſſ. 25. cap. 15. & docent omnes. Vide ad hoc dicta ſub q. 4.

29 QVAERES, An ſit validus nouitiatus ab eo nouitio peracto inter profeſſos in conuentu deputato, ſed nō in loco deſignato cum propria clauſura diſtincto ab habitatione profeſſorum?

℞. Tenet. Quia illa duo decreta Clem. allegata ſub q. 21. hic mentionem faciunt de conuentibus, & domibus religioſorum deſignatis, non autem de loco ſpeciali habente propriam clauſuram, quem poſtea deſcripſit in Inſtit. Cum ad regularē. §. Quod vero ad loci. Dat. 19. Martij 1603. & ibi nulla eſt clauſula irritans.

30 QVAERES. An nunc recipiendi examinandi

ſint

ſint à Congregatione reformationis, aut ab ordinarijs locorum?

℞. Vrbanus VIII. ſuſtulit illud decretum, quo ad hoc, citatum ſub q. 27. §. quod ſi, vt videre eſt in decretis Sacræ Congreg. de regul. Apoſt. & electis §. Ac primo. Quare examinatio, & probatio remanet apud ſuperiores regulares.

31 QVAERES. An religioſi Militares teneantur facere nouitiatum, ſicut cæteri religioſi, an vero poſſint profiteri infra annum probationis?

℞. Poſſunt profiteri infra illud tempus; probaui ſupra q. 4. §. Excipiuntur.

32 QVAERES. An religioſi tranſeuntes ad ſecundã religionem teneantur de nouo facere nouitiatum integrum?

℞. Tenentur. Probaui q. 4. §. Alij, cum quibus Sanch. lib. 7. diſp. 37. num. 47. Compend. reſol. 101. num. 60. Bonac. q. 2. de clauſ. p. 9. §. 11. ex Homob. part. 3. reſp. 33. ad finem.

33 QVAERES. An in anno biſextilli illi duo dies numerentur, an computentur pro vno?

℞. Pro vno, vt probaui quæſito decimo. Graff. conſil. 6. de regul. nu. 2. tom. 1.

34 QVAERES. An coniux nondum conſumato matrimonio poſſit profiteri infra bimeſtre?

℞. Non, probatum q. 4. §. Alij.

35 QVAERES. An præter annum probationis debeat vnum diem expectare antequam profiteatur?

℞. Non, quia nullo iure cauetur, vt citatis doctoribus reſpondi q. 10. in fine.

36 QVAERES. An licentiatus prætextu nullitatis ſuæ profeſſionis, ſi regrediatur teneatur de nouo præmittere anuum probationis, & poſtea profiteri?

℞. Non. Tum quia nouitiatus præmittitur, vt nouitius experiatur ſtatum religioſum, & religio eius mores, ex dictis q. 2. Sed hoc experimentum habuit effectum, licet ex aliqua circumſtantia fuerit nullus, vt defectu loci deſignati.

deſignati. Tum quia illa egreſſio non efficit, vt experiẽtiæ peractæ illo anno probationis ſint nullæ, ergo cum finis legis ſit adimpletus, nouitiatus non eſt repetendus. Tum quia ratificans profeſſionem, vt probatur ſequenti quęſito, non tenetur reficere nouitiatum alias nullum; ergo neq; licentiatus, ſi reuertatur, nam non dicitur primo profiteri, ſed priorem profeſſionem nullã ratificare. Tum quia Vrbanus VIII. in ſuo Breui ſuper nullitate profeſſionis emiſſæ, non facto nouitiatu in loco deſignato, in facienda profeſſione de nouo ſeruatis ſeruandis, exclufit annum probationis nnn repetendum; ergo ſignum eſt nouitiatum non eſſe repetendum volenti de nouo profiteri; nec obſtat, ſi dicas in eo Breui ſic profitentes diſpenſari, quia ibi nulla mentio talis diſpenſationis. Profeſſus ergo inualide, etiam hoc capite nouitiatus, nõ tenetur repetere non ſolum ratificans profeſſionem nondum egreſſus, ſed etiam licentiatus, quia iſte non fuit abuſus hoc priuilegio, ſed illi tantum renunciauit, & cũ non valeat renuntiatio priuilegij niſi fuerit à concedente acceptata; vt docent doctores ſuper cap. Si de terra. Cap. Si accedentibus. de Priuil. & hæc non fuerit acceptata; immo Sanctitas ſua ægre ferat recedentes prætextu ſui Breuis, poteſt egreſſus ſine nouo nouitiatu profiteri, & ſuperiores, ſi volunt illum iterum recipere, non debent exigere nouitiatum. Confirmatur Tum quia eiectus iniuſte rediens recipiendus eſt, ſine nouo nouitiatu, ex probatis q. 12. ergo & dimiſſus, in quo minus difficultatis videtur eſſe. Tum quia eiectus ſuis demeritis rediens nõ tenetur facere de nouo nouitiatum, ſicut neq; profeſſionẽ probant Rodr. tom. 1. q. 30. art. 29. & ex eo Sanch. lib. 6. cap. 9. nu. 33. quidquid dubitet Nau. circa profeſſionem Conſil. 80. ergo neq; licentiatus, præſertim cũ credat fuiſſe iuridice licentiatus, ſi enim eiectus, in quo fuit culpa, non debet repetere nouitiatum rediens, cur nõ idem dicendum de licentiato ſine culpa? Tum quia Beia part. 4. caſu 29. videtur reſoluere hanc difficultatem; dũ dicit licentiatum redeuntem ad religionem eamdem in

diuerſa

diuerſa prouincia, teneri repetere, quia ibi mutuum experimentum non fuit habitum; non vero forte ſi reuertatur ad priorem conuentum, ſeu prouinciam, vbi experimentum fecit. Ita dicendum eſt in caſu noſtro quaſi eodem, ſi redeat ad religionem in eodem conuentu, nō autem ſi accedat ad aliam prouinciam, quia ibi eius mores noti non ſunt experimento.

Quare quidam ex noſtris licentiati à iudice non competente, vel non iudice, reuertentes ad religionem in eiſdem conuentibus, vel alijs, ſine dubio noui nouitiatus recipi poſſunt, cum hi ſint ſatis noti, & debent, cum apud Deum, & homines potius ſint apoſtatæ, quam licentiati, cum non fuerint dimiſſi iuridice, & ſi aliqui à iudice competente, non tamen narrauerunt exprimenda in proceſſu, & faciunt dicta ſub q. 25.

Quamuis autē licentiatus prætextu nullæ profeſſionis, ſi reuertatur, de rigore iuris non teneatur ad nouum nouitiatum ob rationes adductas, tamen ſi notabile prætereat tempus, puto probabiliter, quod religio poteſt eum recipere iterum ſub ea conditione, vt nouitiatum repetat quod ſuadetur. Tum quia amiſit omnia iura, quæ habebat in religione, & præſertim ex Breui Vrbani VIII. Tum quia diuturnitas temporis mutat mores, & diuerſificat operā hominum l. Si non fortē §. libertus ff. de cond. indeb. Tum quia dum mutatur locus, mutatur etiam mentis affectus, cap. Valet, diſt. 81. cap. Fratrem, diſt. 86. Tum quia in eo caſu æquiparatur ei, qui nunquam ingreſſus fuit. Quare cum non irrationabiliter exiſtimari poſſit, moribus effectum fuiſſe deteriorem, præſertim ex illo exitu, qualiſcumq; fuerit, & ex libertate, qua in religione carebat, cum homo ex ſua conditione pronus ſit ad malum, probabilius ſuſtineri poteſt, volentem ingredi prohandum eſſe: & hoc puto verum indiſtincte, ſiue dimiſſus reuertatur ad eandem prouinciam, ſiue ad aliā eiuſdem religionis, quod ſecundum admittit Beia part. 4. caſu 29. in priori caſu putat, non eſſe neceſſarium repetere nouitiatum, licet per decennium abſuerit.

Notabile

Notabile autem tempus puto eſſe exceſſum vnius anni, nam poſt annum dicitur notabile, & lungum tempus, ex gloſa Breuiori, cap. Vn. de vita, & honeſtate cler. in 6. vbi habetur, quod clericus ioculator per annum tertio monitus non deſiſtens, ipſo iure perdit priuilegium clericale, & iudicatur indignus ſtatu clerici, ergo ſimili ratione à religione diſcedens, ſi infra annum non reuertatur iudicari poſtea poteſt non aptus, ſi non indignus religione, conſequenter probari poteſt, vtrum adhuc idoneus ſit.

37 QVAERES. An nouitiatus nullus debeat repeti à ratificante profeſſionem?

℞. Non. Potiſſima ratio eſt, quia qui fecit nouitiatũ, licet nullum ex aliqua circunſtantia, cum fuerit expertus vitam regularem, & religio cognouerit, & probauerit eius mores, in re dicitur feciſſe bonam probationem quo ad hoc, quod eſt principale intentum, ergo repetendum non eſt. Alias adducit Sanch. lib. 7. diſp. 37. num. 47. quod verum putat etiam in eo, cuius nullitas profeſſionis, & nouitiatus eſt publica, contra Rodr. part. 2. cap. 5, num. 2. Vecchium diſp. 14. dub. 5. nu. 8. Nau. conſil. 26. num. 17. & 18. probantes. Tum quia cum is nouitiatus in ſe nullus ſit, nullum operari poteſt effectum, cũ ex nichilo aliquid non fiat. Tum quia licet ceſſet finis in particulari, cum nouitius expertus ſit aſperitates conuentus, non tamen ceſſat in communi, quod neceſſarium eſt, vt ceſſet lex. Ad prius dico nichil operari quod ad ſe, poſſe vero operari virtute legis volentis, ex illo aliquid ſequi, vnde ratificatione profeſſio ſubſiſtit capite Significatum, cap. Cum virum de regul. Ad poſterius dico quidquid ſit de ceſſatione legis in genere, in caſu præſenti ſufficere ad profeſſionem ratificandam legitimum experimentum, licet nouitiatus aliunde ſit nullus, neque enim Concilium, aut alij Sacri Canones præcipiunt nouitiatũ volenti ratificare profeſſionem.

38 QVAERES. An quando profeſſio nulla eſt ex alia cauſa, quam defectu nouitiatus eam ratificans teneatur repetere nouitiatum. ℞. Ne-

℞. Nequaquam. Probatur, Tum quia ſemel bene actum fruſtra repetitur. Tum quia non eſt, repetendus inualide peractus ex probatis præcedentibus quæſitis, ergo multo minus legitime factus, cum in eo non ſit tanta dubitandi ratio. Et hoc tanquam certũ ſupponit Sanch. lib. 7. diſp. 37. nu. 45.

39 QVAERES. An dementia vitiet, vel interrũpat nouitiatum?

℞. Certum eſt, quod nouitius non debet introduci in nouitiatum tempore dementiæ, quia cum probatio ſit actus humanus debet fieri more humano, quod præſtari non poteſt à mente capto, Quod ſi exiſtens in probatione euadat demens, aut furioſus per ſuperueniens accidẽs aut infirmitatem, non ideo interrumpitur ceptus nouitiatus, quia experimenti captio continua, & perennis eſſe non debet, ſed tempore, & loco, modo ſit ad modicum tempus, vt per menſem, & in ſe reuerſus bene proſequitur nouitiatum; neq; illi dies ſupplendi ſunt, quicquid dicat Bonac. q. 2. de clauſ. p. 10. diff. 2. §. 1. num. 2. Sufficit ratum habere pro illo tempore dementiæ. Vide Ang. v. Nouitius num. 8. Mirand. tom. 1. q. 17. art. 5. concl. 3. Vecchium diſp. 2. dub. 7. Perpetuo autem demens certum eſt, quod non poteſt admitti ad probationẽ ſicut neq; ad profeſſionem, vt docui cap. 2. q. 20. Neque notabiliter in dementia permanens vt per tres aut quatuor menſes, quia tunc cenſetur ineptus ad probationẽ, vt obſeruat Suar. apud Vecchium.

40 QVAERES. An toto tempore probationis infirmitate detentus, & carnes de conſilio Medici comedens peregerit legitimum nouitiatum in religione Minimorum, & Carthuſienſium, ita quod poſtea poſſit valide profiteri?

℞. Non. Tum quia licet non ſit neceſſarium nouitio experiri omnes aſperitates in ſpecie, vt docent Rodr. tom. 3. q. 15. art. 10. §. Tum quia ſecutus ad verbum Nau. conſil. 32. num. 5. Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 52. quos citando ſequitur Vecch. diſp. 12. dub. 8. tamen id locũ

non habet, & non admitto in præcipuis auſteritatibus, quę ſunt de ſubſtantialibus, vel prope illas. Tum quia iſtæ equiparantur ſubſtantialibus immo, huiuſmodi auſteritates fere ſunt ſubſtantiales, in prædictis religionibus, ergo ſi deſunt vitiant nouitiatum. Tum quia excepta caſtitatis auſteritate abſtinentia à cibis huiuſmodi eſt aliis maior, ergo cum ſit magni momenti, ſi deſit vitiat annum probaſionis. In confirmatione eius faciunt dicta cap. 3. q. 24. vbi licet probauerim tenere profeſſionem impotentis obſeruare regulam in ordine ad tria vota, quæ ſolum voluntatis affectu optari poſſunt, non tamen includi præſentem caſum, qui non ſolum affectum, verum etiam effectum præoptat. Quicquid dicat Sanch. cit. n. 28. de nouitio Minimo toto probationis anno egrotante. & ideo comedente carnes valide profitente, quia inquit non tenetur aſperitates omnes in ſpecie experiri, tenetur tamen hanc experiri per aliquot menſes. Verum quidē eſt, quod ſi finito probationis anno fiat ſanus, debet denuo probari, vt experiatur hanc in ſpecie aſperitatem, & poſtmodum poteſt valide profiteri, aliter non, cum nemo poſſit valide profiteri, non præmiſſo nouitiatu legitimo, ex probatis q. 28.

41 QVAERES. An nouitia inter moniales non examinata ante ingreſſum, ſi ſit maior duodecim annis iuxta cap. 17. de quo dixi cap. 2. q. 70. legitimum peragat nouitiatum?

℞. Peragit, quia ibi nulla ſuperadditur clauſula irritans illum; & cum ſubſequens profeſſio teneat ex loco citato probatis, bene infertur feciſſe præcedens nouitiatū legitimum, non enim ex illegitimo nouitiatu poteſt ſequi valida profeſſio ex probatis q. 28.

42 QVAERES. An nouitius non ſolum qui eſt in probatione, de quo q. 7. verum etiam impubes nondum aptus probationi, de quo q. 8. Gaudeant priuilegijs profeſſorum?

℞. Vterq; gaudet, vt conſtat ex dictis ſub q. 1. § Nouitius. & de priuilegio Canonis expreſſe docet Sanchez

lib.

lib. 5. cap. 4. num. 24. modo habeat vſum rationis, & alias ingreſſus non ſit irritus. Vide Dianã tom. 2. Tract. 2. reſol. 37

43 QVAERES. An nouitium percutiens incidat in excommunicationem?

℞. Sic, quia gaudet eo priuilegio, vt patet ex cap. religioſo, de ſent. excom. in 6. & dixi in præcedenti quęſito.

44 QVAERES. An reuertens à ſecunda ad priorem religionem teneatur de nouo peragere nouitiatum?

℞. Non, quia iam expertus fuit aſperitates illius regulæ, & profeſſi eius mores, ergo cum nulla ſit alia ratio ſuadens nouitiatum, niſi hæc præmiſſa, non eſt cur de nouo fiat, nichil enim fruſtra faciendum eſt, inquit Nau. conſil. 60. de regul. ex cap. Si papa de Priuil. in 6. Dixi iterum de hac re cap. 2. q. 72. §. Vndecimo pag. 109. & hic in fine q. 4. faciunt dicta ſub q. 17.

45 QVAERES. An nouitius poſſit pernoctare extra monaſterium abſq; interruptione nouitiatus?

℞. Poteſt de licentia ſui ſuperioris, quia ſi poteſt ſimpliciter extra manere, ex probatis ſupra q. 14. ergo, & pernoctare, neq; enim in conſtitutionibus apoſtolicis reperitur huiuſmodi interdictum. Quare ſi abſint à monaſterio ob modeſtam animi recreationem imterpoſitã, quæ illis conceditur ex conſt. Cum ad regularem, ſuper recept. & educ. nouit. §. Exercitationibus, ſemel in hebdomada, ſi ſuperueniente magna pluuia, vel alio accidenti impediatur regreſſus ad conuentum proprium, extra pernoctantes nouitiatum non interrumpunt, quia abſunt cum licentia ſui prælati, qui licet pernoctationem illis expreſſe non conceſſerit, nihilominus illis indulgendo recreationẽ implicite, & cõſequenter facultatem fecit pernoctandi ſubſiſtente illa legitima cauſa, immo meo iudicio id illis præſtare poteſt præciſe intuitu recreationis in altero conuentu, vel loco honeſto viciniori, quia in dictis conſtitutionibus id non prohibetur.

46 QVAERES. An nouitius ſit perſona eccleſiaſtica?

 ℞. Sic.

℟. Sic, quia eſt ſpecialiter deputatus ab eccleſia ad diuinum obſequium; & gaudet priuilegio vtriuſq; fori, vt probaui cap. 5. q. 43. quod ſolis eccleſiaſticis competit. ergo eſt perſona eccleſiaſtica, quod etiam ſufficienter probaui loco citato. Ita tenet gloſ. Non poſſit cap, 21. de ſent excom. in 6. per cap. quiſquis 18. q 4. Graff. tom. 1. conſil. 8. de Voto nu. 12.

47 QVAERES. An nouitius ingrediens amittat officium, quod in ſeculo habebat, ſiue dignitatem, aut beneficium?

℟. Nouitius infra annum probationis adhuc retinet ius ad ſua officia, dignitates, & beneficia, ſi quo eſt cohoneſtatus, quia hoc tempore non eſt incapax dominij, & proprietatis, & in ſpecie de Beneficio etiam curato expreſſe habetur, cap. Beneficium, de regul. in 6. de quo dixi cap. 5. q. 36. Inter hæc aliqua tranſeunt ad religionē cum profeſſo, alia extinguuntur, de quibus ſingillatim habes infra citato capite quinto.

48 QVAERES. An nouitij infra annum probationis poſſint recipere ordines?

℟. Poſſunt, quia ab hoc nullo iure prohibentur, ſiquidem cap. Monaſterijs 19. q. 3. prohibens tonſurare conuerſos .i. nouitios, loquitur de profeſſione, quam illis interdicit infra tempus probationis, & vocatur tonſuratio, quia inter profitendum tondebantur capili, docent communiter Canoniſtæ, & aperte is ſenſus habetur ex verbis textus. Nec obſtat Pius V. conſt. 75. Romanus Pontifex. extendendo cap. 2. Seſſ. 21. in quo decernitur, ne quis clericus ſecularis ad ſacros ordines promoueatur, niſi prius conſtet, eum beneficium eccleſiaſticum pacifice poſſidere. ad omnes, & ſingulos cuiuſcumq; ordinis clericos religioſos, ſiue ſeculares more religioſorum in communi viuentes non profeſſos, tum quia nulla fit mentio de nouitijs, neq; anno nouitiatus, docet Bariola conſil. 31. ſed ſolum de illis, qui viuunt in communi nullam emittendo profeſſionem, nouitij ſaltem intendunt illam emittere tēpore debito; tum quia dicta conſtitutio licet comperhenderet

tenderet nouitios, adhuc non excluduntur ab ordinibus minoribus, neq; etiam maioribus, dummodo habeant patrimonium iuxta dictum cap. Sacri Concilij.

Epiſcopus autem, ad quem pro ordinibus, accedere habent, eſt ille, in cuius diœceſi probantur, quia ibi aquiſierunt domicilium, cum de facto maneant cum animo perpetuo habitandi, quod ſufficit ad recipiendum ordines à proprio epiſcopo. Ita ſentiunt Cuccus lib. 3. tit. 1. de regul. num. 94. Francus in cap. Nullus, de temp. ord. in 6. ibi Anchar. cum alijs, quos ſequitur Sanch. lib. 6. cap. 10. num. 21. Alij cum Suar. tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 12. num. 9. Henr. lib. de hoc ſacr. cap. 23. nu. 3. putant ſpectare ad epiſcopũ, vbi habebat domicilium antequam ingrederetur nouitiatum, quia quo ad ordines adhuc retinet illud domicilium. Si ergo vult recipere ordines, ad vnum eorum ſiue originis, ſiue domicilij accedere habet, munitus inſuper patrimonio, ſi vult ſacris initiari, iuxta dictam conſtitutionem Pij V.

Neceſſaria eſt etiam licentia ſuperioris regularis, non quidem directa ad recipiendos ordines, quia in hoc præciſe illi non ſubditur, ſed ad exeundum è monaſterio, ſine cuius licentia exire non poteſt ex conditione ſui ſtatus, & pontificijs conſtitutionibus, aliter meo iudicio videtur peccare pluſquam venialiter, quia ſpernit poteſtatem, quam ſuper illum habet prælatus regularis, cum temeritate exeundo, nouitij enim probantur, vt experimentum capiatur de eorum moribus, obedientia, & ſubiectione, ad quam virtute voti profeſſionis emittendi, nouitiatu finito, ſe conſtringere habent; & qui ſic egrederetur ſine dubio expellendus eſſet à religione, quia ex tali facto apparent graues defectus multum infeſtantes diſciplinam regularem, vitium inobedientiæ, vagationis, & etiã proprietatis, quibus tota religio labefactatur, quare optimũ eſſet illum expellere, ne alij ſuo prauo exemplo ad peiora traherentur.

An autem huic patrimonio renuntiare poſſit, an teneatur ſecum transferre in religionem? Dico, quod illi re-

nunciare non poteſt ſine licentia epiſcopi donec tamen beneficium eccleſiaſticum ſufficiens ſit adeptus, vel aliunde habeat, vnde viuere poſſit, ex citato cap. 2. Sufficientem autem victum profeſſione aquirit, vnde inter profitendum illi renunciare poteſt cum dicta licentia, in cuius locum ſuccedit titulus paupertatis, aut ſecum transferre incorporando religioni, in qua profitetur, quod vtilius eſt.

49 QVAERES. An nouitius infirmitate detentus in articulo mortis exiſtens, nondum finito nouitiatu poſſit profiteri?

℞. De iure non poteſt, obſtante præſertim Sacro Concilio Seſſ. 25. cap. 15. vt dixi ſupra q. 4. ibi enim nullum excipit caſum. Iure vero priuilegij Pij V. quod incipit. Summi ſacerdotij. Dat. 23. Aug. 1570. extenſi apud Cõfect. & in Bull. nouo conſt. 109. Moniales S. Dominici nouitiæ in legitima ætate conſtitutæ, anno nouitiatus nõdum expleto quoties de conſilio medici ab hoc ſeculo trã ſituræ conſpiciuntur poſſunt profitere in manibus ſuorum ſuperiorum in articulo mortis pro conſolatione animæ ſuæ, & conſequuntur omne gratias, quas moniales vere profeſſæ conſequi valent. Tria requiruntur, conſilium medici, articulus mortis, & ſuperiorifſa recipiens eius profeſſionem. An autem exigatur conſenſus monaſterij. Puto non, quia non eſt vera profeſſio, vt mox probabo contra Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 16. Eo autem priuilegio fruuntur non ſolum nouitiæ aliarum religionum, ſed etiam nouitij cuiuſcumq; religionis, cum notum ſit regulares inter ſe communicare priuilegia præſertim, quę nulli præiudicant, nec ſunt contra ſpecialia religionis alicuius ſtatuta, vt docēt omnes Compendiatores v. Cõmunicatio priuilegiorum.

50 QVAERES. An virtute huius profeſſionis monaſterium capax ſuccedat in bonis ſic profeſſi decedentis.

℞. Non. Probatur. Tum quia ad ſucceſſionem requiritur vera profeſſio, qualis non fuit hæc, ſiquidem eſt

tantum

tantum talis ſecundum quid, ſimilitudinarie, & cauſaliter, in quantum indulgetur pro conſolatione animæ ad conſequendum indulgentias, & ſpirituales gratias. Quare ſi conualeſcat tenetur perficere nouitiatum, & iterum profiteri, factum enim ſub conditione, ea non ſubſiſtente, non tenet, ita docet Beia part. 4. caſu 38, §, Quo circa, in quod videtur inclinare Rodr. tom. 3. q. 15. art. 6. in fine. Tum quia papa dicit quod ſic profeſſa conſequitur omnes gratias, quas vere profeſſæ conſequi valent; ergo non ſunt vere profeſſæ, particula enim, *vere*, priuilegio inſerta minuit talem profeſſionem, quæ in ſe profeſſio vera non eſt, ſed tantum cauſaliter in ordine ad gratias ſpirituales. Quare cum profeſſio vera non ſubſiſtat, nulla datur ſucceſſio; quod tenet Rodr. citatus probando, tum quia papa hoc priuilegium concedit tantum pro cõſolatione animæ, ergo non pro vtilitate religionis, tum quia papa nunquam intendit præiudicare iuri quæſito alterius. Oppoſitum tenet Sanch. cit. ea ratione iam reiecta, quia eſt vera, ac valida profeſſio ita quod ſic profeſſa ſanitati reſtituta non teneatur proficere denuo, ſed hoc omnino reijcitur, quia hoc priuilegiũ eſt pro decedentib. non pro conualeſcentibus, ſequuntur multi cũ Diana reſol. 17. de dub. regul.

51 QVAERES. An nouitij infra annũ probationis teneantur ad obſeruantias regulares, ad quas obligantur profeſſi?

℞. Non, quamuis habeant votum religionem ingrediendi. Illud clarum eſt, quia ſola profeſſione ſubduntur, quam nondum nouitij emiſerunt, ergo ex hoc capite ad nichil tenentur, is enim ſtatus non eſt perfecte religioſi, cum ſit variabilis, & reuocabilis, vnde nouitiatus eſt ſtatus medius inter ſecularem, & regularem, inquit Tintus de ordin. cler. q. 5. art. 17. num. 22. Hoc ex eo conſtat, quia per votum ingrediendi religionem, quis non cõſtituitur in ſtatu religionis, ſed tantum ſe obligat ad ingrediendum. Eſt communis opinio Sot. lib. 7. q. 2. art. 1. col. 17. Sair. lib. 6. cap. 9. nu. 23. & 24. Vecch. diſp.

10. dub. 4. Silu. religio 5. q. 7. Sà religio 8. Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5. num. 13. Sanch. lib. 6. cap. 10. num. 7. Rodr. tom. 1. q. 21. art. fin. Prædicta intellige non teneri ſub mortali, & præciſo ſcandalo, quia ex alio capite puto eos non ſe conformando profeſſis, quorum inſtitutũ intendunt profiteri, peccare in multis venialiter. Tum quia tenentur ratione huius ſtatus probare aſperitates vitæ regularis cap. Ad apoſtolicam de regul. Tum quia ex cap. Recolentes, de ſtatu mon. dignum eſt, vt qui cum aliis ſimilem vitam recipiunt, ſimilem etiam in legibus diſciplinam ſentiant. Tum quia clerici de iure naturæ tenentur legibus ciuilib. in bonum commune ſtatutis, ergo, & nouitij legibus regularibus, ſunt enim partes licet imperfectæ religionis, ſicut clerici pars communitatis. Ita ſentit Vecch. diſp. 11. dub. 14. & multi alij. Nec eſt ſimile de Cathecumeno, qui nullo modo eſt pars communitatis fidelium, cum nondum baptiſma receperit, vti nouitius ratione conuerſationis, priuilegiorũ, & habitus ſuſcepti.

52 QVAERES. An nouitij teneantur caſibus reſeruatis ſuperioribus religionis, ita quod non poſsint abſolui extra ſubiecti caſib. epiſcopalibus?

℟. Subijciuntur caſibus religionis. Probatur 1. Quia contrahunt domicilium in monaſterio, vbi agunt nouitiatum, ergo ligantur caſibus reſeruatis, quibus ligantur cæteri religioſi profeſſi. Coſequentia tenet, quia ratione domicilij quis fit ſubditus etiam ratione caſuum reſeruatorum, Floronus part. 1. de caſibus reſeru. cap. 3. nu. 23. Nau. conſil. 1. de Paroch. per cap. fin. de foro compet. & de Paroch. Antecedens patet; quia ad contrahendum domicilium ſufficit inceptio habitationis cum animo perpetuo habitandi, ex Abbate in cit. cap. fin. de Paroch. & aliis citatis infra q. 53. Probatur 2. quia nouitij in materia Sacramentorum ſubijciuntur prælatis regularibus, à quib. ea recipiũt, ex Inſtit. ſuper recept. & educat. nouit. §. Curam, & §. Quilibet, ergo etiam reſpectu caſuum reſeruatorum, quorum relaxatio ſpectat ad Sacramentum Pœ-

nitentiæ

nitentiæ 3. ex dictis Inſtit. §. Habeat, dicitur Magiſtrum habere, & reliquos ſuperiores plenam, & abſolutam poteſtatem circa nouitiorũ inſtitutionem, & nouitiatus regimen, ergo ſi plenam ſuper illos poteſtatem habent, & abſolutã, poſſunt eos caſibus ſuis ligare, alias eorum poteſtas plena, neq; abſoluta eſſet 4. gaudent omnibus priuilegijs præſertim ſpectantibus ad forum animæ, ex probatis ſupra q.42. & in materia caſuum reſeruatorum docent multi apud Bonacin. p. 7. de voto §. 4. num. 28. Vecch. diſp. 9. dub. 5. ergo ſubijciuntur caſibus reſeruatis, qui enim ſentit commodum, & onus ſentire debet. 5. non ſubijciuntur caſibus epiſcopalibus, ergo regularibus, conſequentia tenet, quia inconueniens eſt illos nullis teneri caſibus. Antecedens probatur; tum quia non ſubdũtur epiſcopis; tum quia cum exiſtant in loco exempto, ſub nullo epiſcopo habent domicilium, locus enim exemptus, & extra diæceſim æquiparantur, ex Ioan. Andr. in Clem. Quamuis, de foro comp. & ibi gloſa Aut earũ; tum quia ex magiſtris, ad quos ſpectat eorum confeſſiones audire, aliqui non ſunt approbati ab Epiſcopo, conſequenter neq; ab illo intelligitur reſtricta eorum poteſtas quo ad caſus Epiſcopales, vel ampliata, ergo ſi habẽt aliquod peccatum ex reſeruatis Epiſcopo abſolui poſſunt à ſuo magiſtro, cui ſicut Epiſcopus non dedit facultatẽ abſoluendi, ita neq; eam illi auferre poteſt in ordine ad reſeruationem. 6. demum magiſtro nouitiorum, & alijs confeſſarijs reſtringitur facultas abſoluendi à reſeruatis in religione, ergo cum non poſſint abſoluere, conſequens eſt dicere, nouitios ligari caſibus reſeruatis, reſeruatio enim directe afficit cõfeſſarium, cui aufertur poteſtas abſoluendi, indirecte vero pænitentes non valentes ad quoſcumq; accedere.

Hanc tenent Cord. q. 30. Vecch. diſp. 9. dub. 26. alios duos citans, Megal. part. 1. lib. 1. cap. 8. nu. 20. Tambur. de iure Abbat. tom. 2. diſp. 6. q. 6. num. 11. quos citat contra ſe Diana reſol. 4. de regul. & contra communem apud me parum probabilem, quã ſecuti ſunt Graff. in ap-

pend.

pend. lib. 1, cap. 7. nu. 66. vbi citat Henr. de Pænit. cap. 16. §. 3. Azor. lib. 12. cap. 2. q. 10. Rodr. tom. 1. q. 21. art. 11. Mirand. tom. 2. q. 34. art. 16. Coriol. ſect. 3. art. 18. Florenum cap. 3. num. 5. Vgol. de pot. epiſc. cap. 35. §. 1. num. 5. Homob. part. 1. q. 2. num. 109. quorum rationes ad hanc reducuntur. Nouitij non tenentur ad conſtitutiones, & onera religionis; cum non ſint propriè religioſi, neq; ſub hoc nomine veniant in odioſis, ergo nouitij non ligantur caſibus reſeruatis. Reijcitur, licet enim non teneantur ex vi voti ad obſeruantias regulares, tenentur tamen in quantum ſunt partes illius communitatis, cui ſe conformare debent ex conditione ſui ſtatus quia non decet, vt membra à capite diſcrepent, cap. Celebritatem diſt. 3. de Pænit. & turpis eſt omnis pars vniuerſo ſuo non congruens, cap. Quæ contra mores, diſt. 8. & inobſeruantias horum ob inductas rationes, & ſubducendas q. ſequenti arguere ſaltem peccatum veniale docui ibidem. Præterea eſto ad hæc nullo pacto tenerētur, adhuc ligarentur caſibus reſeruatis in religione, quia eorum magiſter ſine facultate prelati maioris poſſet minimè eos abſoluere.

53 QVAERES. An nouitius infra annum probationis ſubiiciatur iuriſditioni, præceptis, & cenſuris religionis?

℞. Subditur, non ratione profeſſionis, cum nondū profeſſerit, ſed ratione domicilii, & ſtatus in religione aquiſiti, quilibet enim ratione domicilii fit ſubditus illius ſuperioris, intra cuius fines habet domicilium l. fin. de Iur. om. iud. cap. fin. de foro compet. vbi Imola num. 9. ait ratione domicilii aliquem propriè fieri ſubditum; ille autem dicitur contraxiſſe domicilium, qui incepit habitare cum animo manendi perpetuo l. Ciues adiūcta gloſ. magna v. Laicum C. de Incol. Nau. conſil. 4. de conſt. n. 4. Sed nouitius incepit habitare intra fines iuriſditionis ſuperioris regularis cum perpetuo animo habitandi, omnes enim nouitiatum intrantes, regulariter loquendo ea intentione ingrediuntur, vt poſtea profeſſi continuo præ-

ſeuerent

ſeruerent in religione, ergo ſunt ſubditi; & hæc ſola ratio mihi efficaciſſima videtur ad probandum hanc, & præcedentem reſponſionem: Prætera ratione delicti quis fit alteri ſubditus cap. 1.3. q. 6. cap. 1. de Bapt. cap. Poſtulaſti de foro comp. l. 1. & Auth. qua in prouincia C. Vbi de crim. agi oportet. eſtq; indubitata apud omnes opinio etiam in materia cenſurarum docet. Megal. part. 3. lib. 1. cap. 3. num. 46. Si ergo nouitius delinquat vti ſubditus, ex hoc etiam capite plecti poteſt à prælato regulari, vt à ſuo competenti iudice: Deinde non eſt maior ratio; cur Cremonenſis e. g. ligari poſſit ab epiſcopo Placentino ex eo quod illuc tranſtulit domicilium, & non nouitius à ſuperiore regulari, cum intra fines iuriſditionis eius domicilium tranſtulerit: Nec vrget quod ſtatus nouitii ſit dubius, & variabilis, non ſic ſecularis, quia vtriq; datur optio recedendi à domicilio poſteriore. Hanc tenent Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2 cap. 8. nu. 17. Salag. t. 2. diſp. 14. ſect. 3. Vaſq; quos ſequendo citat Vecch. diſp. 9. dub. fin. & diſp. 11. dub. 14. à quibus neq; recedit Sanch. lib. 6. cap. 10. num. 11. & 17. Docent, ergo præcitati prælatos regulares ſuis præceptis, & ordinationibus nouitium ſubiicere poſſe, & illi præcipere ſub cenſuris, & aliis pænis contra eos tranſgreſſores effectos infligendis. Vnde præcipere poſſunt ſub pæna carceris, vel excommunicationis ne reueletur tale delictum intra commiſſum, includendo etiam nouitios; qui tamen nunquam veniunt comprehenſi; niſi de illis fiat expreſſa mentio in ſtatutis, & ordinibus. Et in his nullam habeo difficultatem poſt conſtitutiones Clem. VIII. in quibus ſuperioribus regularibus ſuper nouitius tribuit plenam, & abſolutam poteſtatem, vt retuli q. præcedenti. Diana reſol. 34. de Immun. eccl. ait nouitium egreſſum è religione, in qua cõmiſit delictũ, non poſſe puniri à iudice laico, ſed eccleſiaſtico, & pro ſe citat Bonac. de leg. diſp. 10. q. 2. p. 1. §. 2. num. 5. Laym. lib. 4. tract. 9. cap. 8. num. 5. Subdit autem contra Suar. lib. 5. cap. 16. nu. 8. non poſſe nouitium cogi à prælato religionis ad pænam, ſi

velit diſcedere à religione, ſed non eſt audiendus, quia deliquit conſtitutus ſub poteſtate regulari, ergo ab ea puniri poteſt.

54 QVAERES. An nouitius interrogatus circa defectus impedientes ingreſſum in religionem teneatur verũ fateri?

℞. Tenetur licet defectus ſit vitium infamatorium. Probatur à ſimili, quia ordines recepturus tenetur prodere defectum etiam vitioſum, ex quo eſt irregularis ex capitulo Niſi, de renuntiationibus iuncta gloſ. Non potuerit. Item eligendus debet exponere defectum, per quem expellitur ab electione, cap. Ex pænitentibus, diſt. 50. cap. Innotuit, de elect. ergo idem dicendum eſt reſpectu religionis, tenet enim argumentum ab electione ad profeſſionem cap. 1. q. 50. Nec obſtat commune axioma, de non ſe prodendo, quia habet locum in ordine ad punitionem, quæ in caſu noſtro non intenditur, ſed ſola obuiatio damni, quod religio pateretur ex tacito impedimento. Docet in ſpecie Sanch. lib. 4. cap. 16. nu. 35. Homob. part. 4. ℞. 159. vbi alios citat. Portel. part. 1. caſu 8. num. 7. non audet decidere difficultatem, quando eſt homicidium, & omnino occultum; dic tu, ſi eſt omnino occultum, ita quod non poſſit publicari poſſe reticẽdo æquiuocare, tum quia in hoc caſu non timetur periculũ iudiciale in præiudiciũ religionis, tũ quia huiuſmodi impedimenta ab ipſis non explorantur, ſed ab alijs de ipſis, ex dictis cap. 2. q. 64. pag. 98.

55 QVAERES. An nouitius infra annũ probationis exiens ſine legitima cauſa peccet?

℞. Peccat venialiter, quia talis receſſus vanus eſt, & temerarius, cum ſit factus ſine legitima cauſa arg. eorum, quæ habet gloſ. Porro, in fine Clem. 1. de Sum. Trinit. Nec obſtat, quod poſſit libere exire, ex cap. Statuimus, de regul. quia ſtare poteſt liber exitus cum peccato. Ita ſentit Azor. lib. 11. cap. 22. q. 6. §. Si quæras, & cum eo Sanch. lib. 4. cap. 16. num. 92.

56 QVAERES. An nouitius poſſit abſolui à quibuſcumq;

eumq; peccatis, & cenſuris, etiam ſedi apoſtolicæ reſeruatis, & diſpenſari in quauis irregularitate in religione?

℞. Poteſt abſolui, & diſpenſari à ſuperioribus, quibuſdam exceptis iuxta inferius dicenda. Ratio eſt, quia poſſunt abſolui, & diſpenſari in omnibus, in quibus poſſunt religioſi profeſſi, docent Rodr. tom. 1. q. 24. art. 15. Vecchius diſp. 9. dub. 5. vbi citat Regin. lib. 8. nu. 58. Bonac. p. 7. de Pænit. p. 4. §. 1, num. 20. Sed profeſſi poſſunt abſolui à prædictis, quod eſt verum nõ ſolum iure priuilegiorum Comp. v. Abſolutio quo ad fratres Rodr. tom. 1. q. 20. & 24. Mir. tom. 2. q. 31. & 33. & alijs, Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 25. Vecch. diſp. 9. dub. 7. Sanch. lib. 6. cap. 17. num. 41. ſiue ſint à iure, ſiue ab homine, verum etiam de iure communi, quia habent eamdem poteſtatem in ſubiectos religioſos, quam habent epiſcopi in ſuos diæceſanos. gloſ. Proprij Clem. 1. de reb. eccleſ. non alien. Rodr. tom. 1. q. 20. art. 10. Coriol. ſect. 1. art. 2. prælaturæ enim regulares, & epiſcopatus æquiparantur gloſ. Regularis, cap. Ne pro defectu, Ne clerici, vel mon. per cap. Si quis deinceps 16. q. fin.; immo ſi non eſſent prohibiti poſſent quicquid poteſt papa in toto orbe, ex eodem Rodr. q. 17. art. 6. Etiam iure nouo Sacri Concil. Seſſ. 24. cap. 6. vbi ſicut licet epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum diſpenſare, & in quibuſcumq; caſib. occultis, etiam ſedi apoſtolicæ reſeruatis delinquẽtes quoſcumq; ſibi ſubditos abſoluere, & in hæreſis crimine per ſe ipſos tantum abſoluere, ita eadem facultas cõpetit prelatis regularibus de iure ex Sanch. lib. 8. diſp. 2. num. 12. Beia part. 4. caſu 37. Homob. part. 4. ℞. 88. Sigiſm. dub. 98. num. 3. nam licet Suar. tom. 4. diſp. 30. ſect. 2. num. 6. referat declarationem Sacræ Congr. ab eo capite Concil. excludi quoſuis alios prælatos epiſcopis inferiores, non tamen excluduntur regulares prælati ma-

ſores, nempe Generalem, & Prouinciales, quia in his ſunt pares, immo maiores, nam ampliorem habent facultatem in materia abſolutionis, & diſpenſationis, vt aſſeiunt Rodr. q. 24. art. 16. & q. 62. art. fin. §. Aduertit, & Lazar. ſect. 4. de Monit. q. 14. num. 15. & de ea extentione non eſt dubium, quia Pius V. conſt. X. Romani Pontificis, apud Confectium eam facultatem extendit ad quoſuis prælatos, qui per ſe ipſos poſſint abſoluere, & diſpenſare in quibuſcumq; in quibus poſſunt ipſi epiſcopi, ne regulares ſint deterioris conditionis, quam clerici, & laici, quo priuilegio fruuntur omnes religiones aliorum ordinum.

Abſoluunt autem in ſpecie ab excommunicatione contracta ob homicidium perſonæ eccleſiaſticæ, quod alia ratione non probatur, niſi quia Clem. VIII. in decreto de caſibus reſeruandis à prælatis regularibus proponit inter alios caſus hunc. *Occiſio, aut vulneratio, ſeu grauis percuſſio, cuiuſq; perſona* conſequenter etiã occiſio clerici, ſi ergo prælati regulares poſſunt ſibi reſeruare hunc caſum, ergo & ab eo abſoluere, cuius eſt enim ligare eius eſt ſoluere, vulgatis iuribus, & id procedit ex natura reſeruationis. Neq; obſtat, quod in alio decreto de caſib. reſeruatis, is caſus reſeruetur ſummo Pontifici, quia in eo ſermo eſt reſpectu ſecularium Nald, v. reſeruatio, Vecch. diſp. 9. dub. 7. num. 5. Ab excommunicatione ob leuem percuſſionem ſine dubio abſoluit etiam ſuperior localis, de iure communi Cap. Monachi, de ſent. excom. atq; etiã quando eſt grauis, ſed non enormis ex cap. 2. 32. & 50. eod. etiam nouitium gloſ. Mutilationem membri cit. cap. 32. atq; etiam enormi, de iure priuilegij Bonif. 8. Conſt. 9. apud Confect. Rodr. q. 20. art. 12. Homob. part. 4. Reſp. 33.

Diſpenſant præterea in multis irregularitatibus, vt videre eſt apud præcitatos, & infra citandos.

Claudus diſpenſatur, vt cum pede ligneo celebrare poſſit. Item carens oculo dextro; item digito non pollice, aſſerunt eum Hoſt, Silu. Rodriquez q. 24. art. 4. Mi-

rand. tom.2.q. 8. art. 3. contra Vecchium diſp. 9. dub. 20. pro ſe alios citans.

Homicidam voluntarium omnino occultum, cuius delictum ſit indeducibile ad forum externum, diſpenſant in irregularitate, quia hæc vt ſic non eſt reſeruata, docet Couar. apud Rodriquez q. 24. art. 11. nec opſtat Concilium loquens ſolum de illo homicidio, quod eſt deducibile ad forum externum, vt videre eſt *Seſſ.* 14. cap. 7. & Seſſ. 24. cap. 6. & cum illis Mirand. tom. 2. q. 8. art. 10. Immo iure priuilegij, & conſt. Dum ad congregationem, 129. Pij V. poſſunt prælati Caſſinenſes diſpenſare in foro conſcientię tantum in dicta irregularitate ex homicidio voluntario, licet ſit deducibile ad forum externum, quod priuilegium Peregrinus in ſuo compendio v. diſpēſatio §. 2. in edit. Neapol. anno 1633. extendit ad ſuam religionem Theatinorum, defendendo in hoc derogatū eſſe Concilium, cui conſentio eam extendendo ad meam religionem, quæ gaudet priuilegijs quarumcumq; religionum.

Homicidam item cauſa defenſionis, aut caſualitatis diſpenſant in irregularitate iure Sacri Concilij, ſiue ſit occultus ſiue publicus, docent Rodr. q. 24. art. 13. cum ſuo compend. reſol. 52. num. 23. & 59. Vecch. diſp. 9. dub. 18. num. 6.

Mutilantem diſpenſant, ita Rodr. q. 24. art. 10. Mirand. tom. 2. q. 8. art. 11. Vecch. diſp. 9. dub. 27.

Bigamum quemcumq; diſpenſant ad ordines minores, Diuus Thomas Silu. v. Bigamia Rodr. q. 24. art. 1. §. Ex quibus, Mirand. tom. 2. q. 8. art. 2. vbi de communi omnium extendit ad maiores reſpectu ſimilitudinariæ, ratio eorum poteſt eſſe ſuperius tacta, quia in his ſuos diſpenſat epiſcopus, vt probat Sanch. lib. 7. diſp. 86. nu. 11. ergo & prælatus regularis, contra Vecch. diſp. 9. dub. 15. Bigamia vera conficitur ex duplici matrimonio conſumato. Interpretatiua ex duplici matrimonio, altero tamen nullo. Similitudinaria ex vnico etiam matrimonio conſumato ab habente votum caſtitatis ſolemne.

Infir-

Infirmũ irregularem ex morbo caduco, amentia, aut obſeſſione diſpenſant prælati quo ad vſum in ſuſceptis, ſi omnino ſit immunis, & vt talis probatus, docēt Silu. v. Corpore vitiatus q. 8. Ang. num. 8. Tab. q. 3. & alij. quos ſequitur Vecch. dub. 21. quia in his poteſt epiſcopus, ergo & prælatus regularis. immo etiam quo ad recipiendos docent Molina tom. 4. q. 70. Auila part. 7. diſp. 7. dub. 4.

Infamiam præterea ſiue ſit iuris, ſiue facti inducētem irregularitatem, quæ non incurritur niſi ob delicta, propter quæ in iure delinquens notatur infamia, vt docent Suar. tom. 5. diſp. 48. ſect. 1. num. 11. Coninc. diſp. 18. de cenſ. dub. 7. num. 57. quos ſequendo citat Vecch. diſp. 9. dub. 22. n. 6. tollunt ſuperiores maiores non ſolum contractam ex delictis minoribus adulterio docent Rodr. q, 24. art. 6. Mirand. tom. 2. q. 8. art. 5. Vecch. diſp. 9. dub. 22. nu. 16. de communi, & hoc iure communi, ſicut enim in his poteſt epiſcopus, vt docent Toletus cit. Megal. part. 3. lib, 7. cap. 3. nu. 21. Ita & prælatus regularis, conſequentia patet ex ſupradictis, & docent item Nald. v. Infamia, & expreſſe habetur de quauis infamia ex priuilegio Pij V. incipiente. Dum ad congregationem 129. in Bullario nouo, conceſſo Caſſinenſibus, & alio incipiente. Illius, qui, Greg. XIV. in Bull. nouo conſt. 17. conceſſo clericis Regularibus miniſtrantib. infirmis, quibus priuilegiis gaudent ex noſtris prælati, vt colligi poteſt, ex diuerſis cōſtitutionibus Summorũ Pontificum, cum & hæc religio habeat communicationem in priuilegijs aliorum.

Nominatim excommunicatos abſoluere poſſunt pro foro conſcientiæ, & parte ſatisfacta, docent Nau. conſil. 47. de ſent. excom. Sair. lib. 2. cap. 20. num. 29. Duard. in Bullam lib. 3. § . 2. q. 1. num. 46. Sanch. lib. 6. cap. 17, num. 43. Vecch. diſp. 9. dub. 9. num. 4. Quia ex dictis priuilegijs licet abſoluere, & diſpenſare in ijs, quæ deducta ſunt ad forum contentioſum, licet abſolutio illis non proſit quo ad forum externum, vt prælibati docent

quia

quia priuilegia iuri alterius nocere non debent l. 2. §. Si quis à principe, & l. Merito ff. Ne quid in loco publ. cap. Super eo, de off. deleg. & cap. Paſtoralis, de Priuileg. contra Rodr. q. 61. art. 6. Mirand. tom. 2. q. 35. art. 22. cum alijs ſuſtinentes prodeſſe in foro externo, & contra Compend. v. Abſolutio quo ad fratres 2. num. 29. Suar. tom. 5. diſp. 7. ſect. 2. num. 20. aſſerentes nullo modo poſſe abſolui, eo quod priuilegia ſemper loquantur generaliter, id tamen non arguit, cenſuras, de quibus priuilegia loquuntur generaliter, non poſſe deduci ad forū contentioſum contra hunc, vel illum.

Ego ſum in ea opinione, vt nouitii, de quibus poteſt eſſe præſens quæſitū circa delicta in ſeculo commiſſa, propter quæ fuerunt excommunicati, non autem de profeſſis, ad quos ſine dubio ſpectat abſolutio ab hac excommunicatione, à ſuperioribus regularibus abſolui minime poſſint. Tum quia cum iſti ratione delicti adhuc ſubiiciantur aliis prælatis, quam regularibus, non ſunt nouitii legitime, conſequenter non fruuntur priuilegiis profeſſorū, quibus gaudent in quantum participant de ratione ſtatus religioſi, licet modo imperfecto, ratione nouitiatus, cum ergo non ſint legitimi nouitii conſequens eſt dicere, illos non gaudere priuilegiis religionis. Tum quia nominatim excommunicatus de communi omnium abſoluendus eſt à iudice excommunicatore, vel ab huius ſuperiore, docent Toletus lib. 1. cap. 17. nu. 8. Nau. cap. 17. n. 40. & alii communiter, pæna enim impoſita ab vno iudice tolli non poteſt ab alio, niſi ſit eius ſuperior, iuribus allegatis, docet Graff. Addit. ad partem primam lib. 1. ad cap. 31. de qua re vide etiam Rodr. tom. 1. q. 9. art. 2. Tum quia ſi ſunt excommunicati propter delicta, vel impedimenta de quibus Sixtus V. non obſtante ſuſceptione habitus probationis adhuc ſubiiciūtur iudicibus, à quibus proceſſus fuit inchoatus, ergo non ſunt legitime introducti in nouitiatum, conſequenter non fruuntur priuilegiis. Demum nouitii ſubduntur iudicibus etiam ſecularibus, ſi proceſſus inchoatus fuit, dum erant ſeculares per l. Si

quis poſtea ff. de Iud. l. Cum puella. C. de iurid.om.iud. Abbas in cap. Veniens, de eo, qui furt. num. 3. quos citando ſequitur Bertius Tit. 1. cap. 2. num. 22. ergo eo magis ſi fuit ſententialiter nominatim excommunicatus.

Hæc in ſpecie recenſui, quia videntur magis difficilia, vt ſciant ſuperiores an poſſint in his diſpenſare iuſta ſemper ſubſiſtente cauſa, eo magis ſua poteſtate vti valere in alijs abſolutionib. & irregularitatib. quæ non ſunt tanti momenti, vt ſuperius relatæ ſunt. Nichilominus ſi ab irregularitate ratione homicidij voluntarij ſe abſtineant bene facient, ob enormitatem delicti, propter quod ſedes apoſtolica conſulenda eſt potius, quam propria authoritate vti in ſimilibus, quæ maiorem animaduerſionem exigunt.

Nouitij autem etiam nondum induti in prædictis abſolui, & diſpenſari poſſunt, modo ſubiiciantur prælatis regularibus ea intentione, vt ſtatim induantur habitu ad eum finem, vt in gratia conſtituti, aquirant indulgentiam plenariam à Paulo V. conceſſam, de qua cap. 5. q. 9. ſi enim multo tempore ante, & non occaſione aſſumptionis habitus abſoluātur, non tenet data abſolutio, non.n. cenſetur abſolutus, vt nouitius proxime in ſequenti, aut altero die habitum probationis recepturus. Vide Vecchiū diſp. 9. dub. 1. & quæ dicam infra q.68.

An nouitius egreſſus ex quauis cauſa reincidat in cenſuras, a quibus fuit abſolutus, & illi non ſuffragentur acceptæ diſpenſationes. Dico, non reincidere, quia ſimpliciter abſoluitur, & nō ſub conditione ſi in religione remāſerit, quia nullibi in priuilegiis hæc conditio exprimitur, ergo neq; aſſerenda eſt, argumento Lex vbi non diſtinguit, neq; nos diſtinguere debemus, & citatis textibus, & doctoribus à Barboſa lit: L. num. 28. & dato quod in aliquibus exprimatur, quod non vidi, in aliis non exprimitur, præterquamquod ſuperiores id facere poſſunt etiam iure communi, ex ſupra probatis, & conſequenter tollitur omnis difficultas. Negant hanc reincidentiam Bonac.

nac. p. 7. de Voto §. 4. num. 28. Diana reſol. 44. de regul. Vecch. ex parte diſp. 9. dub. 25. Rodr. tom. 1. q. 20. art. 21. Intellige prædicta ſi animo ingrediendi abſoluātur, quia ſi fingat ſe velle ingredi, vt beneficium abſolutionis recipiat, illi non ſuffragatur, quia dolus, & ſua malitia ei ſuffragari non debet. Excludo diſpenſatum in irregularitatibus, quia huius diſpenſatio reſpicit ordines, quos ſi recedat recipere non poteſt, ſine noua diſpenſatione ſi eſt irregularis, quia nouitii diſpenſantur in ordine ad profeſſionem, vt poſtea poſſint aſcendere gradatim ad ordines.

Prædictæ abſolutiones, & diſpenſationes præſtari poſſunt etiam extra Sacramentum Pænitentiæ, cum id illis non ſit neceſſarium, neq; prælatis authoritas in hoc coarctetur intra forum ſacramentale. Ita tenent Nau. conſ. 11. de priuileg. Graff. part. 1. lib. 1. cap. 13. num. 32. Rodr. q. 20. art. 7. q. 61. art. 10. Sanch. lib. 8. diſp. 34. n. 29. Mirand. tom. 2. q. 46. art. 7. Vecch. diſp. 9. dub. 8. ex prædictis aliquos citans.

Neque neceſſe eſt, quod prælati abſoluentes ſiue profeſſos, ſiue nouitios, ſint approbati ab ordinario, ſeu epiſcopo quia religioſi etiam nouitij poſſunt cōfiteri ſuis prælatis, qui eam poteſtatem ordinariam habent ex officio ſuo, quam & delegare poſſunt alijs ſacerdotibus, ſi enim requiritur approbatio epiſcopi, maxime ex diſpoſitione Sacri Concil. quod tamen verum non eſt, quia cap. 15. Seſſ. 23. loquitur de confeſſarijs approbandis ab ordinario in ordine ad ſeculares tantum, cuiuſmodi non ſunt nouitij; quibus etiam à Clem. in Inſtit. Nouit. aſſignatur pro confeſſario proprius Magiſter, qui vt plurimum non eſt expoſitus ab epiſcopo pro ſecularibus, de quo infra ſub q. 67.

A caſibus in Bulla Cænæ non poſſunt abſoluere, vt docet communior opinio cum Confect. tit. 17. cap. 7. Graff. lib. 1. Append. cap. 7. num. 22. Vecch. diſp. 9. dub. 6. vbi alios citat. contra Rodr. tom. 1. q. 20. art. 9. cum ſuo Compend. reſol. 3. nu. 3. Portellum. Abbas 10. & alios.

quos citat, ſed non ſequitur Diana reſol. 10. quia aperte in ea reuocantur omnia eorum priuilegia, immo neqꝫ epiſcopi abſoluunt, vt docet Megal. lib. 1. de *Pænit.* cap. 13. nu. 15. & Floronus part. 1. cap. 4. §. 22. nu. 4. §. Quid igitur.

Probaui hanc amplam abſoluendi facultatem, & diſpenſandi maioribus prælatis competere magis de iure cõmuni, quam iure priuilegiorum, quia illud ſtabile eſt perpetuo durans, rariſſime reuocabile, quod non accidit priuilegiis variis ſubiectis mutationibus, & paulatim derogantur, ita quod modo ſunt, modo deſunt; Vnde Vrb. VIII. conſt. Alias. Dat. 20. Decemb. 1631. conſtitutionem Greg. XV. in ſua incluſam, annullantem omnia viuæ vocis oracula à ſede Apoſtolica conceſſa, non ad inſtãtiam Regũ, nequæ firmata à S. R. E. Cardinalibus extendit ad eoſdem, vt videre eſt in illa.

57 QVAERES. Quid diſponat Clem. VIII. in ſuis conſtitutionibus ſuper Magiſtro nouitiorum quo ad illius electionem, & requiſita? quod idem quæritur de Socio.

℞. Superiores regulares debent illum religioſum eligere Magiſtrum nouitiorum, qui habeat ſequentes conditiones. Prima eſt, vt ſit vita, & moribus, atq; doctrina præſtans etiam vitæ anteactæ exemplo talis, orationi, mortificationi addictus, prudentia, & caritate refertus, & cæteris virtutibus præditus. Secunda eſt, vt ſit expeditus omni officio, quod poſſit impedire gubernationem nouitiorum. Tertia eſt, vt ſit ſacerdos profeſſus, in trigeſimo quinto anno ætatis ſuæ conſtitutus, & per decennium à profeſſione emiſſa in religione perſtiterit, quo verbo, *perſtiterit*, vtitur Clem. VIII. vt denotet hunc non debuiſſe fugitiuum, aut vagabundum fuiſſe, ſed virum probum, & boni exempli extitiſſe in religione, iuxta primam conditionem. Duas priores conditiones debet etiã Socius habere, qui Magiſtro, ſi per nouitiorum inſtruẽdorum multitudinem neceſſarius fuerit, adiungitur, cui ſufficit ſi annum trigeſimum ætatis ſuæ excedat. Hæc

colli-

colliguntur ex cõſtiturionibus Clem. VIII. quas extenſas habes apud Quar. v. Monaſteria, & Vecchium diſp. 11. & alios.

58 QVAERES. Quomodo eligendi ſint Magiſter, & Socius?

℞. Vterq; eligendus eſt per Prouinciale Capitulum, per triennium ad minus onus huiuſmodi ſubituri, vt expreſſe dicitur in dicta conſtitutione. Electio autem horum facienda eſt à Prælato Prouinciali cum conſilio, & conſenſu ſuorum definitorum, qua ratione eligitur, ſi occurrat caſus extra capitulum.

59 QVAERES. Quomodo eligendi ſunt ſi caſus occurrat electionis extra capitulum e. g. ſi nouus erigatur locus nouitiatus; vel ſi moriatur alter eorum; vel ſi remoueatur; aut ſponte, vel inſufficientia aliquis eorum renũtiet ſuo oneri?

℞. Tunc electio extra Capitulum fit per Generalem, vel Prouincialem, ſeu Miniſtrum, aut eorum Viſitatores, ſeu Vicarios de Definitorum tamen, vel grauiorum aliorum Patrum conſeuſu. Itaq; in eo caſu pater Generalis de conſenſu ſuorum definitorum, vel aliorum patrũ poteſt facere huiuſmodi electionem, ſimiliter & Prouincialis cum ſuis definitoribus, vel his prætermiſſis, cum aliorum Patrum conſenſu, facilius eſt enim adhibere grauiores patres ſui monaſterij, quam congregare definitores ſegregatos in diſſitis conuentibus, meo enim iudicio, & abſq; dubio electio faciẽda eſt ab illis ſimul congregatis, & non alio modo, aliter nulla eſt, quia eſt actus electionis proprie dictæ, quę celebranda eſt collegialiter aliter nulla eſt, ex cap. In Geneſi, de elect. Panorm. in cap. Cũ eccleſia, de cauſ. poſſeſſ. num. 14. Gonzal. ſuper reg. 8. Cancell. gloſ. 47. num. 64. Rota deciſ. 382. nu. 3. part. 2. quos citando ſequitur Sigiſm. dub. 101. num. 2. qui num. ſexto limitationem, niſi vigeat conſuetudo conſentiendi ſingulariter, non admittit, de qua cum alijs dubitat.

Duo hic aduerto, vnum quod Magiſtro deficiente

ſi non adſit Socius interim ſuperior localis propria authoritate per modum prouiſionis poteſt aliquem patrem ſenem,& probum ſubſtituere ad gubernandum nouitios, dum de Magiſtro fit electio à ſuperiore maiore, iuuenes enim continua egent inſtructione, & diſciplina, cum facile fluxibiles ſint à recenti tramite. Alterum eſt, quod ſuperiores Maiores in huiuſmodi electionibus non multũ diſcrepare debent ab intentione ſuperiorum localium, cum his nouitiorum Magiſter adhuc ſubijciatur, conſequenter talis eligendus eſt, qui illorum voluntati facile ſe accommodare poſſit, ne diſſenſiones, & tumultus inter eos in ſcandalum, & præiudicium nouitiorum excitentur.

60 QVAERES. An electio Socij neceſſario ſit faciẽda, itaut prætermitti non poſſit; Et quæ ſit eius poteſtas in nouitios; Et an ſubdatur Magiſtro?

℞. Electio Socij prætermitti poteſt, vt colligitur ex dictis conſtitutionibus §. Nouitiorum, vbi dicitur, quod eligatur, ſi per nouitiorum inſtruendorum multitudinem neceſſarius erit, ergo ſi nouitij non ſunt multi, ſed pauci, non eſt neceſſaria Socij prouiſio. Huic à Clem. VIII. nulla præſcribitur poteſtas, vnde tantam habebit, quantam illi Magiſter contulerit, & cum illius vices, dum abeſt, ſuppleat, nouitij debent illi præſtare obedientiã. In omnibus autem, quæ ſpectant ad regimen nouitiatus ſubijcitur Magiſtro, cũ quo ſimul in loco nouitiatus cellã habet.

61 QVAERES. Quam poteſtatem Clemens VIII. tribuat Magiſtro nouitiorum?

℞. Plenam, & abſolutam (vt eius verbis vtar) illi tribuit poteſtatem circa nouitiorum inſtitutionem, ac nouitiatus regimen, itaut in illis, ideſt, nouitiis, & regimine nouitiatus, nemini, Viſitatoribus, ac Superioribus maioribus, vel etiam Localibus exceptis, quouis colore ſe ingerere liceat. Apud illum etiam aſſeruatur clauis clauſuræ nouitiatus, cui ſoli licet, ex graui tantum cauſa, ingreſſum illuc alicui permittere; & ſiquis nouitiorũ quem-

piam

piam alloqui voluerit, debet Magiſter eſſe præſens. Ad hæc ergo ſe extendit eius poteſtas, circa quam obſeruandum eſt, Magiſtrum poteſtatem hanc non habere ita plenam, & abſolutam, quin adhuc in hoc officio non ſubijciatur ſuperioribus ſuis etiam locali, vt apertis verbis ſupra relatis docet idem Clemens, quia vocatur abſoluta, & plena reſpectiue ad nouitios ratione inſtructionis, & educationis. Et quando dicitur, quod illi ſoli licet admittere aliquem intra nouitiatum ad colloquendum cum nouitijs, legitima ſubſiſtente cauſa, non ideo excluditur ſuperior etiam localis, qui hanc licentiam concedere poteſt, Magiſtro admonito, illa enim particula excluſiua Socium, & alios monaſterij officiales excludit, non ſuperiorem, aliter tolleretur poteſtas ſubordinata inter maiores, & minores ſuperiores, quæ neceſſaria eſt in gubernatione reipublicæ docet Rodriquez tom. 1. q. 23. art. 3.

62 QVAERES. An hæc poteſtas plena, & abſoluta, quam Magiſter habet ex conſtitutione Clem. VIII. ſit proprie poteſtas iuriſditionis fori externi, & contenſioſi?

℞. Non eſt poteſtas iuriſditionis, ſed alia dicta poteſtas educationis, ſeu inſtructionis. Pro cuius intelligentia, & probatione.

Notandum eſt, quantum facit ad præſens negotium, quod triplex eſt poteſtas, iuriſditionis, dominationis, & educationis. Poteſtas autem iuriſditionis ſi ſit ordinaria habet adnexam dignitatem, & prælaturam cum adminiſtratione (loquor de eccleſiaſtica) traditis per doctores cum Innoc. Hoſt. Panor. & alios in cap. Cum ab eccleſiarum, de off. ord. Sed Magiſter nouitiorum prælatus non eſt, neq; eius officium dignitas eſt, cum non habeat adminiſtrationem, nec ſit gradus honoris, ſed ſolum oneris munus, & ſic tenet Rodr. tom. 1. q. 13. art. 20. Poteſtas vero dominatiua eſt illa, qua quis dominium habet ſuper voluntate aliorum, vt dominus erga ſeruum, maritus ſuper vxorem, & prælatus ſuper religioſum ſubditũ

profeſſum, horum enim ſubiectorum voluntas dependet à poteſtate ſuorum maiorum, & hanc non habet Magiſter ſuper nouitios, quia huiuſmodi à ſuperiore regulari aquiritur per votum obedientiæ ſibi præſtitũ à nouitio in emittenda profeſſione poſt annum probationis. Remanet tertia, & hanc tribuit Clem. VIII. Magiſtro nouitiorum, poteſtas autem huius generis eſt facultas, per quã Magiſter nouitiorum ex ſuo officio poteſt, & debet inſtituere, & educare nouitios in diſciplina regulari, quæ nõ eſt ſine aliquali coactione, qua Magiſter data occaſione & culpa præcedente poteſt nouitios punire non iuridice, ſed per modum correctionis, & mortificationis, vti pater ſuos corrigit, & educat filios nunc exagerationibus, nunc minis, modo funiculis, & aliis pœnitentiis ſalutarib. corripiendo. & hoc ſuadetur, tum argumento iam deducto à ſufficienti partium enumeratione, quod validum eſt per l. Patre furioſo. ff. de iis, qui ſunt ſui, &c. cap. Cum dilectus, de Iurepatr. cap. Pertuas, de ſent. excom. Ariſt. 2. Topic. Thomaſet. reg. 50. quos, & alios citando locat Barboſa lit. A. num. 228. Tum quia in dicta conſtitutione papa nunquam vtitur nomine iuriſditionis, ſed ſolum poteſtatis eam limitando ad educationẽ, & inſtitutionem nouitiorũ, ergo eſt ſolum poteſtas educationis, & domeſticæ gubernationis nouitiorum.

Infertur ex his, Magiſtrum nouitiorum ſolum per modum correctionis, & mortificationis poſſe nouitios caſtigare, vt mittere ad cællã per aliquot horas, exigere culpam, verberare more religioſo, aut etiam puerorum, attenta ætate, apponere panem, & aquam, imponere genuflexionem, &c. Aduertat autem duo vnum ne pœna excedat culpam contra illud ſacrum. *Pro menſura peccati, erit plagarum modus*; alterum eſt, ne pro errore occulto, aut ſolum noto in loco nouitiatus puniat delinquẽtem in loco publico, & refectorio, vbi ignoratur delictũ, quia id eſſet vti ſua poteſtate non in ædificationem, ſed in deſtructionem, & ſine dubio læderetur proximi fama, quod iniquum eſt, & ſicut publice peccans publice arguẽdus

dus eſt cap. 1. de Pœnit. ita à contrario, occulte peccans in ſecreto corrigendus eſt; in ipſa autem correctione debet prudenter agere, ne quid nimis, ne dum eruginem eradere cupit, frangat vas, vt monet D. Benedictus in ſua regula, neq. omnia vitia ad viuum de repente ſunt reſecanda, quandoq; ſiquidē diſciplinæ ſeueritas dormire debet cap. Niſi cum pridem de renunt.

Quare non poteſt illos carceribus mancipare; multo minus in compedibus, neq; illis caputium auferre; neq; e nouitiatu expellere, aut quopiam ſimili, aut grauiori affligere; neq; excommunicare, aut aliis cenſuris conſtringere, quia hæ ſunt pœnæ graues, immo grauiſſimæ, quæ ſupponunt iuriſditionem fori contentioſi in prælato punicnte, qua cum careat Magiſter nouitiorum ex ſupra probatis, eo modo contra nouitios procedere non poteſt. Neq; præcipere in virtute Sanctę Obedientiæ, quia hanc illi nondū profeſſione, aut voto aliquo ſimplici, vt ſuppono, promiſerunt.

Dixi ſuperius (in refectorio) non vt concluderem, Magiſtrum habere plenam poteſtatem corrigendi nouitios extra nouitiatum, quia eam nō habet niſi Priore permittente, vnde ſolus Prior, ſi velit, poteſt nouitios delinquētes notorie, hoc eſt, coram multis, vel extra nouitiatum punire in refectorio, vel alio loco deputato, non enim cōueniens eſt, vt in eodem loco refectorii duo æque puni re valeant nouitios, ſed hoc munus incumbit maiori nempe ſuperiori locali, quia minor non exercet ſuam iuriſdictionem, & poteſtatem præſente maiore cap. Deniq; diſt. 23. cap. Præsbiter diſt. 95. Prædicta habent locum etiā reſpectu vicesgerentis in abſentia ſuperioris per illam regulam, ſubrogatus ſapit naturam eius in cuius locum ſubrogatur. l. Si eum, §, Qui iniuriarum ff. Si quis caut. Thomaſet. reg. 289. quos & alios citat Barboſa lit. S. num. 16.

63 QVAERES. An illegitimus eligi poſſit in Magiſtrum nouitiorum?

R. Poteſt, quia hoc officium non habet adnexam dignita-

gnitatem, neq; prælaturam, & fori contentioſi iuriſdi-tionem, ex probatis præcedenti quęſtione, quæ illegiti-mum reddunt inhabilem ad electionem, quibus cum ca-reat officium magiſterii ſine dubio illegitimus in Magi-ſtrum nouitiorum eligi poteſt, docet Rodr. tom. 1. q. 13. art. 20.

64 QVAERES. An Socius Magiſtri debeat eſſe ſacerdos, ita quod non poſſit eſſe clericus, vel con-uerſus?

℞. Non neceſſario debet eſſe ſacerdos, ſed ſufficit ſi ſit talis doctrinæ, vt ipſe poſſit inſtruere nouitios, ad hoc enim officium, & ipſe aſſumitur, vt dicitur in dictis con-ſtitutionibus, modo annum ætatis ſuæ trigeſimum exce-dat; & cum laici, vt plurimum ignari ſint, dediti, & oc-cupati inferioribus ſeruitiis non cenſetur eorum electio de mente Summi Pontificis, ideo de eius inualiditate ego dubito, neq; enim videtur conueniens perſonam infe-rioris ſtatus, & conditionis ſibi ſubiicere perſonam ſu-perioris gradus, vt eſt nouitius ſtatui clericali adſcrip-tus.

65 QVAERES. Quo iure Magiſter nouitiorũ exci-piat confeſſiones nouitiorum?

℞. Magiſter ex vi conſtitutionis Clem. VIII. ſtando in rigore verborum non habet facultatem audiendi eorũ confeſſiones, vt colligitur illis verbis. *Ipſi autem Magi-ſtro ſoli Nouitiorum confeſſiones audiendi cura committa-tur*. Si ergo hęc facultas, & cura committenda eſt, con-ſequens eſt dicere eam non habere ex dicta conſtitutione, ſed ſolum dependenter à poteſtate prælatorum, qui illũ ad hoc miniſterium elegerunt; non eſt autem neceſſariũ, vt ſuperiores expreſſe dent illi hanc facultatem, ſed ſuffi-cit tacita licentia, & facultas, quam illi communicant hoc ipſo quod illum iudicant per electionem aptum ad curã nouitiorum; & ex vi magiſterij videtur eam facultatem habere adnexam, quia ad ipſum ſpectat nouitios inſtrue-re in vita religioſa, quæ maxime conſiſtit in frequenta-tione Sacramentorum; vnde ibidem mandatur, vt Sa-

cra-

cramentum Pænitentiæ bis ſaltem ſingulis menſibus no-
uitij recipiant.

Non videntur prælati poſſe demandare hanc faculta-
tem alijs confeſſarijs, quia in conſtitutione adeſt parti-
cula (*Soli*) excluſiua, ſed id eſt de conſilio, quibus tamen
etiam locali licitum erit, ſi ita expediri iudicauerint, vel
per ſe ipſos, vel per alium à ſe deputatum, ſemel, aut bis
in anno eorum confeſſiones audire. Vide Megal. part. 1.
lib. 1. cap. 8. num. 21. prædicta breuiter tangentem.
Non placet Coriolanus part. 1. de caſibus reſeru. ſect. 3.
art. 18. numero 7. aſſerens poſſe Magiſtrum nouitijs aſ-
ſignare confeſſarium, cum id ſpectet ad ſolos ſuperiores
ex dicta conſtitutione.

Suboriuntur hic duo dubia: vnum, an modo liceat ſu-
periori audire confeſſiones nouitiorum; quia idem Cle-
mens in decreto de caſibus reſeruandis à ſuperioribus re-
gularibus datum 26. Maij 1593. prohibet ſuperioribus,
ne ſubditorum confeſſiones audiant, niſi quando peccatũ
aliquod reſeruatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſpõte,
& proprio motu id ab eis petierint. Poſſem reſpondere
hoc decretum loqui de ſolis profeſſis, tamen quia etiam
in noſtra, & veriori ſententia, de qua ſupra hic q. 52. pag.
216. nouitij ſubdũtur caſibus reſeruatis in religione, ideo
illud decretum conprehendit etiam nouitios; & cum ex-
pediat iura iuribus concordare, l. Præcipimus, C. de ap-
pel, dici poteſt quod decretum de nouitijs exponendum
eſt ſub conditione, ſi ſponte velint accedere, ita quod prę-
latus eos cogere non poteſt, vt ſibi confiteantur.

Alterum eſt, an ſuperiores teneantur deputare ſacer-
dotem iam in confeſſarium approbatum in religione, vel
id poſſint committere ſimplici ſacerdoti: ad quod dico,
ſuperiores, ad quos id munus ſpectat, hoc eſt, qui poſſunt
approbare ad confeſſiones ſuorũ ſubditorum audiẽdas,
ſimplicem ſacerdotem nondum confeſſarium, modo ſit
ſpectatæ vitæ, prudentiæ, & doctrinæ, qui ſciat ſoluere, &
ligare, deputare poſſe, quia per hanc deputationem cen-
ſetur illũ approbare, ſed non videtur expedire. Superio-

res

res vero locales, loquor de illis quibus nō eſt facultas admittendi confeſſarios, vt in noſtra religione, in cuius regula licet dicatur cap. 22. quod Cænobiorū Miniſtri, ideſt, Priores poſſunt ſacerdotes eligere, qui fratrum familiæ ſuæ confitentium crimina audiant, ſublatum tamen fuit per conſt. Ea eſt officij noſtri 63. in Bul. nouo, & reſeruatum ſolis Generali, & Prouincialibus, deben iam approbatos à prędictis deputare, confeſſarij enim religioſorū debent eſſe approbati à ſuo ſuperiore Rodr. tom. 1. q. 62. art. 4. §. Aduertendum, Barb. ad cap. 15. Seſſ. 23. n. 9.

Hanc præterea facultatem nouitiorum cōfeſſiones excipiendi nequaquam habet Socius, niſi expreſſe, & in terminis illi concedatur, aut niſi ſit abſolute confeſſarius approbatus ad omnes audiendos.

Occurrit hac occaſione dubium aliud. An ſacerdos ſimplex nondum à quopiam admiſſus ad audiendas confeſſiones, ſi de licentia ſui ſuperioris approbetur ad audiēdas confeſſiones ſecularium, poſſit etiam audire religioſos ſuæ religionis, aliam non habens facultatem, an ſaltem tacite hanc licentiam habeat, eo quod licentiatus fuit ad audiendas ſecularium confeſſiones? ℞. Nec expreſſe, neq; tacite habet facultatem audiendi regulares, quod ſuadetur. Tum quia licentiatus fuit ad ſeculares audiendos, ergo non religioſos, cum ex diuerſis non fiat illatio, ex vulgatis iuribus. Tum quia cauſa limitata producit limitatum effectum l. In agris ff. de acquir. rer. dom. ergo licentia audiendi ſeculares ad eos ſolum limitatur. Tum quia qui vnum concedit, aliud negare videtur, & non cōcedere cap. Nonne, de præſumpt. Tum quia confeſſarius admiſſus pro fratribus non habet facultatem audiendi moniales Rodr. tom. 1. q. 62. art. 4. in fine, & Portel. diſtinguit inter vtramq; conceſſionem v. Prouincialis nu. 3. ergo militer idem dicendum eſt in caſu noſtro. Caſus raro accidere poteſt, quia regulariter loquendo ſacerdotes prius admitti debent ad audiendas religioſorum confeſſiones, deinde licentiari ad excipienda peccata ſecularium, & hoc ſeruatur in regulatis ordinibus.

Hoc

Hoc idem aſſero de Priore finito, vel remoto ab officio, ſi ſolum habebat poteſtatē ex vi ſui officij in quantū erat Prior, quia hæc poteſtas adnexa officio prioratus ceſſat, finito officio, in quo fundabatur, fundamento enim ſublato, tota ruit fabrica, argumento cap. Cum Paulus, 1. q. 1. & deſtructo principali, quod eſt prioratus, tollitur acceſſorium, quod eſt poteſtas adnexa; & in eo comparantur ſuperior localis, & Parochus, vterq; enim habet immediate curam animarum ſibi ſubiectarum ait Clem. 4. conſtit. inſerta in Marimagno, & ſuperiorem regularem Fagundez vocat proprie Parochum lib. 8. cap. 4. habentem iuriſditionem ordinariam adminiſtrandi ſacramenta ſuis ſubditis, docet Megal. part. 1. lib. 1. cap. 9. num. 19. Mirand. tom. 2. q. 34. art. 1. in fine; ſacerdos autem non amplius exiſtens Parochus amiſit poteſtatem audiendi confeſſiones, ſi aliam non habebat quam ex vi officij Parochi, tradit Suar. quem citando ſequitur Floronus part. 1. de caſib. reſeru. cap. 4. §. 12. num. 7. idem ergo dicendum eſt non ſolum de ſuperiore locali, ſed etiā maioribus, cum militet eadem ratio, modo aliā facultatem non habeant niſi eam, quæ dependet ex officio ſui ſuperioratus.

66 QVAERES. An Magiſter poſſit nouitios abſoluere à reſeruatis peccatis, cenſuris, irritare, commutare, & diſpenſare in votis eorum?

℞. Nullum illorum præſtare poteſt, niſi à ſuperiore expreſſam habeat facultatem. Tum quia hæc facultas illi non conceditur in conſtitutionibus Papæ. Tum quia aliud eſt habere poteſtatem audiendi confeſſiones, aliud abſoluendi à reſeruatis, & ſicut epiſcopus approbando aliquem ad audiendas confeſſiones, nō ideo indulget poteſtatem circa reſeruata ex cap. Si epiſcopus, de Pænit. & remiſ. quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis in ſpecie veriſimiliter non eſſet conceſſurus, cap. 3. de off. vic. in 6. & reg. 81. in 6. ita neq; ſuperior regularis committendo illi facultatem audiendi nouitios, impertit poteſtatem abſoluendi à reſeruatis, electio ergo, ſeu appro-

probatio confeſſarij non dat facultatem ſuper reſeruatã, docent Rodriquez q. 20. art. 27. q. 62. art. 5. Miranda tom. 2. quæſtione 33. art. 6. Megal. cit. cap. 10. num. 14.

Abſoluere à cenſuris non valet, quia non eſt Prælatus, & in noſtra religione maior excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, & irregularitas tolluntur à Patribus Generali, vel eius Commiſſarijs, aut Prouincialibus ex cap. 14. regulæ. Puto autem probabiliter confeſſarios poſſe tollere excommunicationem à iure contractam nulli reſeruatam, quia facultatem à iure permiſſam, ſeu conceſſam, vti eſt hæc, ex cap. Nuper, de ſent. excom. inferiores reſtringere non habent.

Irritare eorum vota non poteſt, quia ſuper eos non habet poteſtatem dominatiuam neceſſariam ad irritationẽ, cum nõdum ſint ſubiecti ſuperioribus religionis, & multo minus Magiſtro, à quo eorum voluntas non dependet, vt dixi ſupra hic q. 62. Sic tenent Nald. nouitius num. 5. Portel. Voti irritatio num. 37. Rodr. cum ſuo Compend. reſol. 52. num. 34. quod idem dic de commutatione, & diſpenſatione votorum, ex allatis rationibus cũ Vecchio diſp. 9. dub. 14. num. 4. quicquid dicat cum Rodriquez Compend. niſi illi concedatur à prælatis maioribus, quibus dicta facultas commutandi, & diſpenſandi, non autẽ irritandi competit, Nau. cap. 12. num. 65. Rodr. tom. 1. q. 25. art. 8. Sanch. lib. 4. cap. 39. num. 17. quos & alios citat Vecch. diſp. 10. dub. 6. Intelliguntur autem ſemper excepta quinq; vota Papæ reſeruata, quæ ſunt caſtitatis, religionis, peregrinationis ad limina Apoſtolorũ Petri, & Pauli, Hieroſolimitanæ, & Compoſtellanæ. Ita Roſella Votum 5. num. 2. Silueſter Votum 4. quæſtione 3. dicto 4. Armil. diſpenſare nu. 16. & alij communiter.

Vota nouitiorum perſonalia emiſſa ante, vel poſt ſuſceptum habitum probationis, durante nouitiatus tempore, perſonalia quidem, ſi non poſſunt obſeruari ſimul cum vita regulari, quia impediunt opera, vel ordinem religio-

ligionis, vel aggrauant, vel reddunt nouitium diſcrepantē à vita communi, vt ſunt vota ieiuniorum, induendi ſubtus talem habitum, qui non conformatur habitui illius religionis, in qua aſſumpſit habitum probationis, aut non comedendi tales cibos, &c. ſunt ipſo iure ſuſpenſa, quia hoc ipſo quod ſunt maioris boni, quod eſt exequi religionis opera, impeditiua, tunc non obligant, docent Palud. in 4. diſt. 38. q. 4. art. 3. concl. 3. num. 33. Silu. Votum 4. q. 7. dicto 3. Rodr. part. 2. cap. 91. num. fin. & tom. 1. q. 25. art. fin. cum Vecchio diſp. 10. dub. 5. num. 5. Becan. cap. 43. de ſacr. q. 21. num. 4. & multo magis poſſunt ſuſpendi à ſuis ſuperioribus, vt docent præcitati. Quod ſi nouitius redeat ad ſeculum tenetur iterum illa obſeruare, quia non fuerunt extincta, ſed ſuſpenſa tantum pro eo ſtatu probationis. Alia vero vota perſonalia, quæ non impediunt obſeruantiam regularem, vt ſunt vota caſtitatis, obedientiæ, orationis, confeſſionis, &c. adhuc obligant nouitium ad ſui obſeruationem, vt docent communiter doctores. Demum realia non poſſunt extingui, neq; ſuſpēdi, ſed tenetur nouitius, ſi poteſt, ea exequi, ſicut, & mixta quo ad eam partem, qua ſunt realia, vt ſi nouitius vouit peregrinationē cum oblatione, tenetur mittere eleemoſynam, Vecch. cit. ad finem.

67 QVAERES. An Magiſter nouitiorum, præter facultatem à ſuo prælato excipiendi confeſſiones nouitiorum, egeat etiam approbatione epiſcopi? Quod videtur neceſſarium, quia nondum ſunt religioſi, & ideo ſaltem quo ad hoc potius reputantur ſeculares, vnde & adhuc ſubduntur caſibus epiſcopo reſeruatis; ad ſecularium autē confeſſiones audiendas neceſſaria eſt approbatio epiſcopi, ex Seſſ. 23. cap. 15. ergo & ad audiendos nouitios: quibus tamen non obſtantibus.

℟. Non eſt neceſſaria epiſcopi licentia, ſed ſufficit ſui prælati facultas. Probatur, tum quia hæc conditio non exigitur à Clemente VIII. ergo neq; à nobis, ſciebat enim in multis religionibus conſtitui Magiſtros nouitiorum, qui nondum erant ab epiſcopo approbati ad excipiendas

con-

confeſſiones ſeculariũ, immo Capucinis hoc eſt prohibitum. Tum quia licet nõ ſint irreuocabiliter religioſi, tamen in fauorabilibus veniunt ſub nomine hoc, argumento cap. 21. de ſent. excom. in 6. & ſubduntur minime caſibus epiſcopo reſeruatis ex probabiliori ſententia, quam ſequor hic q. 52. pag. 216. ergo more profeſſorum poſſunt, & debent confiteri, à prælatis regularibus ſolum approbatis; nam confeſſarij regulares religioſorũ non egent approbatione epiſcopi, vt ad dictum cap. 15. Seſſ. 23. docent omnes cum Graff. part. 1. cap. 13. num. 55, & lib. 3. cap. 5. num. 107. Bonac. q. 7. de pænit. p. 5. §. 2, nu. 25. Aphoriſ. epiſcop. v. regularis num. 4. Homob. tom. 1. tract. 5. q. 12. Fabro diſp. 30. de pænit. nu. 23. Megal. part. 1. lib. 1. cap. 9. num. 19. Barboſa de poteſt. epiſc. part. 2. alleg. 25. num. 45. & ad dictum caput num. 9. Tum quia Tertiarij, ſeu Terzini, famuli, & alij perpetuo degentes ſub obedientia regulari intra clauſtra confitentur approbatis ſolum à ſuperioribus regularibus, vt reſpondit Sacra Congregatio apud Rodriquez in compil. priuil. quam ſequitur Megal. cit. cap. 8. num. 20. Graff. lib. 1. de arbitr. cap. 24. quia Concilium loco citato loquitur ſolum de ſecularibus extra degentibus; oppoſitum ſentit Rodriquez tom. 1. q. 55. art. fin. & tom. 2. q. 67. art. 1. cum ſuo Compend. reſol. 64. num. 1. & reſol. 127. num. 14. Mirand. tom. 1. q. 49. art. 1. Si ergo Tertiarij, & famuli prædictis confitentur, multo magis nouitij, qui propius accedunt ad profeſſos, quam illi alij.

68 QVAERES. An Magiſter nouitiorum poſſit nõdum habitu indutum audire in confeſſione, e. g. cras, aut altero die quis eſt habitu probationis induendus, vel dum eſt in itinere, an poſſit audiri à Magiſtro?

℞. Poteſt, ſi de proximo, & quamprimum ſit habitu induendus. Probatur, quia ſicut ſcholaris ille, qui poſt examen non recepit inſignia doctoratus, qui dicitur Licẽtiatus, venit in fauorabilibus ſub nomine Doctoris, & gaudet eius priuilegijs, ex Felino in proœm. decret. num. 18. relato à Naldo v. doctor num. 2. ita, & proxime induen-

duendus, cum iam ſit examinatus, & de eo habitæ ſint informationes, vt ſuppono, gaudet priuilegijs religioſorũ præſertim nouitiorum, conſequenter poteſt confiteri Magiſtro nouitiorum licet nequaquam ab epiſcopo approbato, ſicut confitentur alij nouitij actu geſtantes habitum probationis. Et ita expreſſe tenent Graff. tom. 2. conſ. 3. de Pænit. & ex eo Pharaon. tract. 1. Seſſ. 17. caſu 1. Vecch. diſp. 9. dub. 1. per illam regulam ex l. Ex eo tẽpore ff. de teſtam. milit. De proximo accingendus habetur pro accincto; de qua Barboſa lit. A. nu. 14. Thomaſ. reg. 131. vbi eam alijs modis verbizat ſic. Potentia propinqua actui reputatur ipſe actus, & paria ſunt eſſe, & de proximo ſperari. Graff. in praxi lib. 2. cap. 12. num. 10. multa refert exempla ad eam probandam, & Præpoſitus in can. Delator. 6. q. 1. ait procedere in materia fauorabili. Cum ergo nouitius quamprimum induendus reputetur indutus ſine dubio confiteri poteſt Magiſtro nouitiorum ab ordinario loci approbato. Et cum tunc ſubijciatur quo ad hoc Sacramentum ſuperioribus regularib. ſine dubio abſolui poteſt à quibuſcunq; reſeruatis epiſcopo, cui in hoc non amplius ſubijcitur, de qua re vide dictum Vecchium diſp. 9. dub. 7. nu. 5.

69 QVAERES. An Magiſter nouitiorum poſſit audire confeſſiones eius nouitij, qui paulo poſt ſine dubio retroceſſurus eſt à religione? Proponit difficultatẽ Vecchius diſp. 9. dub. 2. in cuius religione Capucinorum nulli admittuntur Confeſſarij ab epiſcopo, cum ex illorum conſtitutionibus prohibeantur inſeruire ſecularibus in hoc ſpirituali negotio, & reſpondet affirmatiue. Tum quia actus inchoatus, & non finitus habetur pro opere perfecto, & conſumato, licet non perueniat ad effectum, caſu fortuito, aut aliquo impedimento l. Cum quidam & l. Et ſi non ſunt §. Infecti ff. de auro, & arg. rel. Non placet, quia non facit hoc dictum ad propoſitum, nam pro audiendis in confeſſione nouitijs, parum refert annũ ſeu actum inceptum haberi, vel non haberi pro completo, cum quis ſtatim ac eſt indutus, immo proxime induẽ-

dus poteſt confiteri Magiſtro, ex probatis q. præced. Præterquamquod actus non dicitur perfectus, quando eſt partim factus, & partim non l. 2. ibi, quia ipſi animaduertunt, aliquid deeſſe, ff. de orig. iur. de qua re Gonzal. ad reg. 8. gloſ. 63. num. 31. Probat 2. quia ſicuti perſonæ non militantes, in loco hoſtili exiſtentes, priuilegijs ipſo loco datis gaudent perinde, ac ſi actu militaſſent l. fin. ff. de milit. teſta m. ita nouitij exiſtentes in militia religioſa ſub obedientia ſuperiorum abſolutionis beneficio potiri debent. Non diſplicet, licet actu militent nouitii, vnde Magis probat, quam adducta lex. Demum gaudent priuilegio canonis, ergo & abſolutionis.

℞. Vt ſupra. Ratio eſt, tum quia licet ſit licentiãdus, tamen vſq; ad actualem licentiam eſt nouitius cum remaneat in loco deputato cum habitu, & tractetur ſicut cæteri nouitii, ergo confiteri poteſt Magiſtro, ſicut alii faciũt, quiſq; enim ſe debet accommodare vitæ, & moribus eorum, cum quibus viuit, can. 22. 16. q. 7. Tum quia certo expellendus à religione, non obſtante ſuperuentura eiectione ſubiicitur iugo religionis, & illius priuilegiis gaudet donec actu ſit expulſus, ergo ſimiliter nouitius repellendus,

70 QVAERES. An nouitius pro ſuo arbitratu poſſit confiteri cuilibet confeſſario non ſolum religionis, in qua probatur, ſed etiam extraneo abſq; conſcientia ſui Magiſtri, ſeu ſuperiorum?

℞. Non poteſt extraneo, ſi confiteatur nulla eſt confeſſio. Probatur, tum quia nullus poteſt ſibi eligere confeſſarium, niſi habeat licentiam ſui Parochi ex cap. Omnis, de Pæni. & remiſſ. iuxta tamen forum Sacri Concil. Seſſ. 23. cap. 15. ſi ſermo ſit de ſecularibus eligentib. vel ex priuilegio Tol. lib. 3. cap. 13, num. 4. Bonac. q. 7. de Pænit. p. 4. §. 1. nu. 6. Megal. part. 1. lib. 1. cap. 9. num. 18. & cap. 10. num. 11., & alii communiter aſſignantes triplicem poteſtatem in confeſſario, iuriſditionis, delegationis, & electionis; ſed nouitii non habent licentiam

ſcentiam ſui Magiſtri aut Prælati regularis, neq; Summi Pontificis vt ſupponitur in quæſtione, ergo defectu iuriſditionis in electo nulla eſt confeſſio. Tum quia nouitij quo ad Sacramenta ſubduntur ſuperioribus regularibus religionis, in qua nouitij probantur, ſicut parochianus ſecularis ſubeſt ſuo parocho; ſed ſecularis ſine licētia proprij, aut ſui ſuperioris epiſcopi inualide confitetur extraneo in propria patria, ergo & nouitius; & quod nouitij ſubdantur ſuperioribus regularibus quo ad ſacramenta bene probat Megal. cit. cap. 8. num. 20. & cap. 9. nu. 19. & hoc ex intentione Concil. Seſſ. 24. cap. 11. & Seſſ. 25. cap. 11. in quibus locis, degentes intra clauſtra ſub obedientia ſuperiorum regularium ſubduntur illorum iuriſditioni quo ad Sacramentorum adminiſtrationem. Tum quia mutatione domicilij mutatur parochia, & mutans quo ad ſacramenta ſubijcitur Parocho, ſub cuius parochia actu moratur, cap. fin. de Paroch. ſed nouitius tranſeundo ad religionem aquirit ibi domicilium ex doctoribus citatis à Sanch. lib. 4. cap. 39. num. 20. in fine. Demum, in materia Sacramentorum, & aliorum ſpiritualium nouitii gaudent priuilegiis profeſſorum, ergo æquum eſt, vt intelligantur ſubiecti prælatis regularibus quo ad confeſſionem, ſicut profeſſi, ratio enim dictat, vt qui ſentit commodum debeat etiam ſentire onus, Reg. 55. vnde ad hoc dicit l. Vn. §. Pro ſecundo in fine C. de caduc. toll. eum non eſſe ferendum, qui lucrum amplectitur, & onus ſubire recuſat. Dixi extraneo, quia ſi confiteatur confeſſario ſuę religionis, modo non adſit expreſſa prohibitio, tenet confeſſio. Noſtram opinionem docent Peregr. in Cōment. ad conſtitut. ſuæ religionis Cler. Regul. part. 2. cap. 5. lit. K. Megal. cit. cap. 8. nu. 20. Vecch. diſp. 10. dub. 3. Tamburinius tom. 2. de iure Abbat. diſp. 6. nu. 11. quos citat, ſed nō ſequitur relator Diana reſol. 4. de dub. regul. aſſerendo cū Molfeſſio tom. 1. tract. 7. cap. 14. num. 85. Ortiz. cap. 5. ſuæ ſummæ num. 11. Homob. in exam. eccl. part. 1. tract. 5. cap. 2. q. 13. & de caſibus reſeru. part. 3. cap. 1. §. Nouitii exer-

cendi, & probandi, Rodr. tom. 1. q. 27. art. 11. Portel. Nouitii abſolutio num. 36. vbi citat Mirand. tom. 2. q. 34. art. 16. & aliis ab eo citatis nouitium valide abſolui à confeſſario ſeculari approbato ab epiſcopo, quod replicat reſol. 27. in tract. de Paupert. religioſa. Ad conſtitutionem Clem. VIII. in qua cura audiendi nouitios in confeſſione committenda eſt eorum Magiſtro, reſpōdet præfatus Diana priori loco allegatus, quod decretum illud non eſt latum à Pontifice per modum præcepti irritando confeſſionem aliter factam, ſed per modum regulę & conſilii. Huius reſponſio non placet, quia ex ſuperius probatis conſtat Nouitios ſubiici quo ad ſacramenta ſuperioribus regularibus ac ſi eſſent profeſſi, ergo dictum decretum ſiue obliget ſub mortali, ſiue non, quod nolo nunc diſcutere, hoc vnum ſcio, quod certum eſt de iure communi quemlibet debere confiteri proprio ſacerdoti, aliter peccat mortaliter, & nullam facit confeſſionem. Præterea, vt poſtea legi apud eundem Dianā reſol. 46. de dub. regul. concludit, & reſoluit cum Vecchio, quod qui de proximo vult ingredi religionē poteſt abſolui per confeſſarium illius religionis à caſibus epiſcopo reſeruatis, quod ſignum eſt, ſi iſte poteſt abſolui à reſeruatis, non eſſe amplius ſubiectum epiſcopo quo ad hoc ſacramentū, ergo multo minus nouitium, qui de facto habitū geſtat. De hac re dixi ſuperius q. 68.

Et conſequenter loquendo, puto, nouitium non poſſe ſibi eligere confeſſarium extra religionem virtute Bullæ Cruciatæ, aut alterius priuilegii, quia vt pluries dixi quo ad ſacramenta eodem iure cenſeri debet, quo profeſſus, qui præfatis priuilegiis eligendi confeſſarium extra religionem ſine licentia ſuorum ſuperiorum nequaquam vti poteſt, vt expreſſe id prohibuit omnibus regularib. Clem. VIII. conſt. Romani Pontificis 64. in Bull. nouo, vbi Compend. in ſchol. 2. excludit nouitios, pro ſe citando Sebaſtianum à Coſta; eam ad verbum refert Coriolanus part. 1. de caſib. reſeru. Sect. 3. art. 14. & Quarant. v. Confeſſor, ſimilem conſtitutionem promulgauit Vrba-

nus

nus VIII. incipientem. In ſpecula militantis &c. Dat. anno 1630. de qua mentionē facit Nald. in ſuis Annotat. practicis ad varia iuris pontificij loca, ad cap. Placuit diſt. 6. de Pænit. & ad cap. Ad aures noſtras, de tem. ordin. de profeſſis expreſſe tenet Rodr. tom. 1. q. 21. art. 10. cum ſuo Compend. reſol. 3. nu. 24. & 25. vbi enixe tuetur ſuum authorem, Portel. v. Bulla Cruciatæ, Beia part. 3. caſu 16. multis rationibus id probans, nouiſſime Ioannes Angelus Boſſius in ſuo eruditiſſimo tractatu de triplici priuilegio Iubilei Sect. 3. caſu 4. num. 9. Non deſunt multi oppoſitum ſentientes, ſed non ſunt audiendi poſt dictas conſtitutiones, quæ religioſos omnes quo ad Sacramentum Pænitentiæ ſubijciunt ſuis prælatis. Idem de nouitiis ſentiunt expreſſe Corduba q. 30. Crouſers lect. 17. §. An vero, quos citando ſequitur Vecch. diſp. 9. contra pleroſq; alios, quorum opinio præcipue fundatur in eo, quod nouitii in odioſis non veniunt ſub nomine religioſorum, quibus prędicta prohibentur, cum non ſint vere religioſi, & conſequenter non obligentur ſtatutis, & regulis profeſſorum: ſed facile eliditur, non enim ſubdūtur regulis, & conſtitutionibus ordinis, vbi probantur, quia ſe illis nondum ſubiecerunt per profeſſionem, & ſi non ſunt profeſſi, ſunt tamen religioſi, & ſubditi quo ad ſacramenta, hæc enim ſubiectio acquiritur parochia, & domicilio, quod ſine dubio contraxerunt intra religionē, conſequenter more aliorum religioſorum tenentur recipere ſacramenta intra religionem.

71 QVAERES. Superius ſub q. 68. probatum fuit Magiſtrum nouitiorum ab epiſcopo non approbatū poſſe excipere confeſſionem eius, qui nondum habitu religionis eſt indutus, de proximo tamen induendus. Ad id procedat etiam, quando ſuperuenit impedimentum, quo amplius habitu religionis indui non poteſt, ſed tamen cepta fuit confeſſio generalis, non præuiſo impedimento; an perfici poſſit ab eodem Magiſtro? Proponit eam Vecchius diſp. 9. dub. 4. pro Magiſtris ſuæ religionis, reſpōdendo affirmatiue, ea ratione, quia iuriſditio, & poteſtas

quam ab initio habebat, durat vſque dum perficiatur Sacramentum Pænitentiæ, quia gratia facta non expirat quando res cepta fuit, cap. Gratum, cap. Relatum, de off. deleg. limitat autem ſuum reſponſum habere locum, ſi impedimentum ſit iuſtum, alias non, ſi irrationabiliter retrocedat.

℞. Perficere poteſt ceptam confeſſionem, tum ob rationē dictam, tum quia iudicium finiendum eſt ab eo, à quo ceptum fuit l. Vbi ceptum eſt, ff. de iur. om. iud. l. Si quis poſtea, ff. de iudic. cap. Propoſuiſti, de foro comp. quæ loca licet loquantur pro foro externo, faciūt etiam pro foro pænitentiali, cum nulla diuerſitas in re hac aſſignari poſſit. Non placet tamen eius limitatio, quia iuſtitia, ſiue iniuſtitia impedimenti non tollit iuriſditionem, neq; irritam reddit confeſſionem ex parte mutantis propoſitum ſine ratione, quia non poteſt eſſe pluſquam veniale, ſi enim nouitius ſine cauſa retrocedēs peccat ſolum venialiter, ex probatis hic q. 55. ergo multo minus nondum ingreſſus mutans voluntatem, conſequēter cum peccatum veniale non impediat valorem confeſſionis, vt docent omnes cum Bonac. q. 5. de Pænit. ſect. 2. p. 3. propoſ. 1. tenet præfata confeſſio.

72 QVAERES. An Conuerſi nouitii ſubiiciantur Magiſtro nouitiorum, ſicut clerici, & debeant manere in clauſura nouitiorum clericorum?

℞. Conuerſi nouitii probandi ſunt ſicut clerici in conuentu deputato, vbi locum ad dormiendum ſeparatum à nouitiatu clericorum habere debent, qua ſeparatione nō obſtante ſubiiciuntur non ſolum ſuperioribus, ſed etiam Magiſtro nouitiorum, vt dicitur in Conſt. Clem. VIII. §. Cum autem, & recipi non poſſunt ad profeſſionem, niſi poſt annum vigeſimum primum, ibid. §. Tempore. Ignarus autem ſcriptionis, ſuam profeſſionem ſubſignare debet cruce manu ſua, ibid. §. Conuerſus.

CAPVT

EX præcedentibus ſufficienter conſtat, in quibus caſibus teneat, ad quam vt Nouitius animetur recte peragendum ſubiiciuntur quidam eius effectus, & priuilegia. Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5. à num. 33. nouem enumerat; Sanch. autem lib. 5. cap. 5. Septem refert, & fuſe explicat, de ſingulis, & alijs diſtincte agam in ſequẽtibus quæſitis.

1 QVAERES. An profeſſio iure naturæ nulla, vt quãdo deeſt conſenſus ſiue ex parte nouitij, ſiue ex parte admittentis, vt cum ficte emittitur, inducat aliquam obligationem?

℞. Non, ſed ſic profitens poteſt ſine peccato redire ad ſeculum præciſo ſcandalo. Ita docent Sotus lib. 7. q. 1. art. 2. §. An vero. Angles de Voto diff. 4. concl. 3. Henriq. lib. 11. de Matrim. cap. 11. num. 2. Nau. com. 4. de regul. num. 76. §. Aduertendum 4. quos ſequitur Sanch. lib. 4. diſp. 15. num. 5. §. quarto. Nau. conſil. 26. de regul. numero 13. quando eſt nulla ex parte admittentium.

2 QVAERES. An profeſſio nulla iure poſitiuo, vt ſi ſit facta infra annum probationis, ante legitimam ætatem, vel à non potente acceptare, acceptata, &c. inducat aliquem effectum, vel obligationem ſaltem voti ſimplicis?

℞. Non. Ratio eſt, quia quod nullum eſt nullum producit effectum l. 4. §. Condemnatum ff. de re iud. cap. Illud. de Iurepatr. & hoc eſt certum in profeſſione nulla defectu ætatis, vel integritatis nouitiatus, ex Seſſ. 25. cap. 15. Illis verbis. *Profeſſio autem antea facta ſit nulla, nullamq; inducat obligationem, ad alicuius regulæ, vel religionis, vel ordinis obſeruationem, aut ad alios quoſcumq; effectus.*

Quod ſi cap. Conſuluit. Qui cler. dicatur, nulliter proſeſſum non poſſe contrahere matrimonium ratione voti ſimplicis contracti, ex nullitate profeſſionis; & cap. 2. & 3. de regul. in 6. profitens infra annum probationis inter Mendicantes non obligari illi religioni, cuius regulam eſt profeſſus, ſed religioni in genere: Hoc non prouenit ex nullitate profeſſionis præciſe, ſed ex eo quod nulliter profitens intendit ſe obligare, vnde ſi nullam aliam obligationem intendit profitens ſibi imponere, niſi illam, quam ex nullitate profeſſionis credebat contrahere, immunis omnino eſt, & liber à quouis ſimplici voto, & obligatione, quia actus agentium non operantur vltra eorum intentionem. Sanchez lib. 5. cap. 4. num. 105. Vel intellige illa loca ſupponere profitentem nulliter ante ingreſſum habuiſſe votum ſimplex religionis. In dubio autem præſumendum eſt pro voto ſimplici in vtroq; foro per illam regulam. Quando actus non valet eo modo, quo fit, valet eo modo, quo valere potuit cap. Vn. de deſponſ. impub. in 6. §. Idem quoque.

3 QVAERES. An ita ſit vera præcedens reſponſio, vt emittens profeſſionem nullam ſolo iure poſitiuo, ſit nulla etiam apud Deum, & ſic male profeſſus poſſit tuta conſcientia exire, & redire ad ſeculum?

℟. Poteſt. Probatur. Tum quia profeſſio nulla iure poſitiuo & per conſequens etiam iure naturæ inualida; lex enim irritans aliquem actum, inhabilitat etiam perſonam illam impediens, vt non poſſit præſtare conſenſum efficacem illi actui, nam aliter non eſſet efficax irritatio; ſed profeſſio iure naturæ nulla nullum inducit effectum etiam apud Deum; ergo neq; iure poſitiuo nulla. Tum quia voluntas nouitij dependet à voluntate papæ ſua lege irritantis votum, argumento cap. Magnæ. de Voto. Sed voluntas papæ non concurrit ad profeſſionem, quæ fit contra aliquam à ſe conditam conſtitutionem; ergo eſt abſolute nulla etiam apud Deum. Tum quia leges poſitiuæ fundatæ in præſumptione, habent locum non ſolum pro foro externo, ſed etiam interno, vt probant Co-

35. Sed huiuſmodi fundantur in præſumptione, dicunt, ergo ligant in vtroq; foro. Tum quia Concil. cap. 19. dat facultatem prælatis regularib. ſimul cum ordinario dimittendi nulliter profeſſum ob metum, vel ante legitimam ætatem; id autem non poſſet fieri ab ipſis, ſi profeſſio teneret in foro conſcientiæ, quia alias eſſent participes peccati retrocedentis. Tum quia Sacrum Concil. aperte loquitur in illis duobus caſibus citatis eius verbis præcedenti quæſito, ergo dicendum eſt idem in reliquis. Ita ſentit Nau. conſil. 87. & 89. de regul. Mirand. tom. 1. q. 30. art. 4. concl. 1.

Dices. In profeſſione duo ſpectantur votum, & ſolẽnitas, illud eſt de iure diuino naturali, ſuper quo nec papa diſpenſat ſine vrgentiſſima ratione, hoc vero eſt de iure poſitiuo, quod ſicut à papa inſtituitur, ita, & deſtituitur argumento cap. 1. de regul. iur. papa autem condendo aliquam legem, ſeu decretum irritans profeſſionem non emiſſam cum tali, vel tali forma, ſe refert ad profeſſionẽ, non vt dicit votum, ſed ſolemnitatem, conſequenter tenet votum, & ideo exire non poteſt, ſed tenetur ſupplere ſolemnitatem per ratificationem, ſic colligitur ex Gloſ. Profeſſi cap. 11. de vita & hon.

℞. Quod cum profeſſio ſit promiſſio Deo facta, ex probatis cap. 1. q. 2. & conſequenter votum, ſolemnitas vero ei adiuncta ſit ab eccleſia, vt q. 3. ibidem probatur, accipi directe, & formaliter in decretis Põtificijs pro voto Deo facto, prælato religionis acceptante, vnde ſolemnitas cum ſit quid ad votum, & profeſſionem conſequens proprie votum, neque promiſſio, aut profeſſio eſt.

4 QVAERES. An, & quo iure profeſſio inhabilitet, ſeu reddat profeſſum incapacẽ dominij, & proprietatis, tam aquirendi ſibi, quam alijs?

℞. Profeſſio ex parte voti paupertatis iure eccleſiaſtico reddit profeſſum incapacem dominij. cap. Non dicatis.

11.

11. q. 1. cap. 1. 18. q. 1. cap. Monacho 27. q. 1. cap. Monachi. cap. Recolentes cap. Cum ad monaſterium, in fine, de ſtatu Mon. expreſſius Sacrum Concil. Seſſ. 25. cap. 2. renouans iura antiqua, & ſufficienter hoc probaui cap. 1. q. 3. Ita ſentiunt omnes cum D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 7. ibi Caiet. Leſſ. lib. 2. cap. 4. dub. 5. nu. 26. Nau. com. 1. num. 19. §. 23. Rodr. tom. 3. q. 29. art. præſertim 4. & cum ſuo Compend. reſol. 110. Mirand. tom. 1. q. 28. art. 1. concl. 1. Docent autem nomine dominij, cuius ſunt incapaces venire proprietatem rerum temporalium, non autem iurium ſpiritualium, & actuum internorum, quorum ſunt domini, in quibus habent ius nomine proprio, vt probant prædicti. In quibus autem caſibus, quis ſit proprietarius, non eſt huius loci, conſule præcitatos, & alios, vbi de voto proprietatis. Vide Nau. com. 1. de regul. num. 2. §. Tertio.

Qamuis autē religioſi ſint incapaces proprietatis, eorum tamen religiones ſunt capaces dominij, & poſſunt omnes poſſidere bona tam mobilia, quam immobilia, non ſolum iure antiquo, ſed etiam nouo Sacri Cnncilij Seſſ. 25. cap. 3, vbi id concedit omnibus religionibus, exceptis domibus fratrum Capucinorum, & eorum, qui de Obſeruantia vocantur. Quare cum noſter Ordo non ſit neq; ex Capucinis neq; ex Minoribus de obſeruantia, eſt capax dominii, & de facto in ſingulis fere conuentibus poſſidet bona ſtabilia, & Eugen. 4. Conſt. Iniunctum nobis. Dat. die 6. Febr. 1442. noſtris indulſit, vt poſſent ſuccedere in bonis ingreſſi. Quod idem fecit Clem. 7. Conſt. Ad vberes Et hoc ſupponitur tamquam certum cap. 27. regulæ.

5 QVAERES. An, & quomodo profeſſio reddat incapaces profeſſos ad contrahendum matrimonium?

℞. Profeſſio ex parte voti caſtitatis reddit incapaces religioſos ad matrimonium contrahendum, & hoc iure eccleſiaſtico. Primum patet ex eo, quod nouitius profeſſione ſe totum, & non tantum corpus per votum caſtita-

tis

donare nõ poteſt virtute matrimonii. & in hoc nulla difficultas, ſicut in ſecundo, quod nonnulli volunt, hoc prouenire ex iure naturali diuino; alii ex iure poſitiuo diuino; alii demum, cum quibus eſt communior opinio, ex ſolo iure eccleſiaſtico, quod colligitur ex 27. q. 1. cap. Rurſus cap. Inſinuante. Qui cler. expreſſe cap. Vn. de voto in 6. Concil. Seſſ. 24. cap. 9. vbi anathematizantur dicẽtes religioſos profeſſos poſſe contrahere matrimonium, & contractum ab eis eſſe validum. Ita tenent Sanch. lib. 7. diſp. 26. in fine, & ibi eas opiniones refert. Rodr. tom. 3. q. 1. art. 2. dum dicit Innoc. 2. hoc omnino interdixiſſe anno 1139. Mirand. tom. 1. q. 37. art. 2. Et ego cap. 1. q. 3. probaui ex diuerſis Pontificibus antiquitus tenuiſſe matrimonium à profeſſis contractum, ergo ſignum eſt, eius diremptionem prouenire à iure eccleſiaſtico. Et pro regularibus noſtri ordinis ſpecialiter irritauit contractum ab eis matrimonium Eug. 4. conſt. Iniũctum nobis. Dat. die 6. Febr. 1442 & Sixtus 4. conſt. Ad Chriſti Vicarii. Dat. die 1. Decemb. 1480.

6 QVAERES. An religioſi contrahentes matrimonium incurrant aliquam cenſuram preter nullitatem matrimonij?

℟. Excommunicationẽ nulli reſeruatam Clem. Eos, de Cõſang. etiam non conſumantes, non tamen ſi contrahant ſola ſponſalia, quia de his nulla mentio. Sanch. lib. 7. diſp. 48. num. 6. Rodr. cum ſuo Compend. reſol. 93. num. 9. Quæ excõmunicatio ſuperioribus regularib. reſeruata extat contra religioſos Tertii Ordinis, ex citata conſt. Sixti 4. præcedenti quæſito.

7 QVAERES. An, & quo iure profeſſio irritet matrimonium nondum conſumatum?

℟. Irritat illud profeſſio ſubſequens, patet ex cap. Deſponſatam. cap. Decreta legalia 27. q. 2. cap. Verum. cap. Ex publico. cap. Ex parte tua. de conuerſ. coniug. & de fide definitur cap. 6. Seſſ. 24. & hoc iure diuino poſitiuo, & priuilegio Chriſti, vt colligitur ex citato cap.

Ex

Ex parte. Vide Sanchez de hac re fuſe lib. 2. diſp. 18 & 19.

8 QVAERES. An nouitius profeſſione aquirat remiſſionem omnium peccatorum, & qua ratione?

℞. Aquirit, ſi ſit in ſtatu gratiæ, quia eſt opus excellẽtiſſimum ſufficiens ex diuina miſericordia, & iuſtitia ad ſatisfaciendum pro omnibus peccatis, vnde non habet hoc ex vi indulgentiæ adiunctæ, quia nullibi coſtat Papã aperuiſſe Theſaurũ eccleſiæ, & huncadieciſſe huic actui profeſſionis. Quod ideo ſi fiat ab exiſtenti in peccato mortali non reuiuiſcit, eo ſublato, quia meritum non habet niſi ex opere operantis; neq; etiam aquiritur quoties renouatur, niſi tranſeat ad aliam religionem. Puto autẽ hunc effectum ſubſiſtere etiamſi profeſſio ſit nulla aliunde tamen, quam ex defectu culpabili profitentis, quia inſpicitur actus de ſe, qui totius viribus à nouitio præſtatur bona fide. Vide D. Thom. 2. 2. q. fin. art. 3. Ang. v. religioſus nu. 46. Silu. 3. q. 23. Nau. de Indul. Not. 20. num. 17. & com. 2. de regul. num. 60. Rodr. tom. 2. q. 87. art. 1. cum ſuo Compend. reſol. 77. num. 7.

9 QVAERES. An nouitius profitendo aquirat indulgentiam plenariam?

℞. Vtique conceſſam à Paulo V. conſt. Romanus 21, in Bullario nouo, vbi nouitijs confeſſis, & ſacra communione refectis in die receptionis non ſolũ profeſſionis, ſed etiam habitus probationis conceditur indulgentia plenaria. Vide Compend. reſol. 77. nu. 46.

Sed ad quid huiuſmodi indulgentia, ſi ex profeſſione vti actu heroico, & excellentiſſimo ſequitur omnium delictorum remiſſio? Ratio eſt, quia accidere poteſt, vt huiuſmodi actus de ſe excellentiſſimus, reſpecte operantis ſit tenuiſſimus tepide, indeuote & frigide præſtitus, conſequenter peccata tunc remittantur ex vi indulgentiæ.

10 QVAERES. An profeſſione tollatur omnis irregularitas?

℞. Non, ſed ſola proueniens ex defectu natalium. & vocatur

vocatur illegitimitas; colligitur cap. 1. diſt. 56. & cap. 1. de fil. præsbit. vbi dicitur per ingreſſum religionis tolli ſolum defectum natalium quo ad omnes ordines, non tamen habilitantur quo ád prælationes, & dignitates, vt ibidem exprimitur. Ita Nau. com. 2. de regul. num. 60. Rodr. tom. 1. q. 13. art. 5. Sanch. lib. 7. diſp. 86. nu. 4. & lib. 5. cap. 5. nu. 10. ait hoc procedere, licet ordines receperit ante profeſſionem, tolli nempe irregularitatem quo ad vſum eorum, contra Angles, & Sairum lib. 6. cap. 11. num. 3. Neq; obſtat Sixtus V. in duabus ſuis conſtitutionibus citatis cap. 2. q. 52. ſufferens hoc priuilegium, quia Greg. 14. eas conſtitutiones quo ad hoc, & alia quędam reduxit ad terminos iuris ſupracitati.

11 QVAERES. An nouitiatus tollat hanc irregularitatem?

℟. Non. Quia textus citati loquuntur de ingreſſu perfecto, & cum effectu, quod eſt per profeſſionem. Sic omnes cum Nau. Sair. Sanch. cit. num. 12. quicquid dicat Rodr. cit. art. 4. cum ſuo Compend. reſol. 77. nu. 8. aſſerens tolli etiam per ſimplicem nouitiatum; ſed nō eſt audiendus, cum nullo nitatur fundamento, niſi iuribus citatis, quæ ſolum loquuntur de perfecto ingreſſu per profeſſionem. Quare Nouitius illegitimus ordines minores nō poteſt recipere, niſi præuia diſpenſatione ab hac irregularitate.

12 QVAERES. An profeſſione tollatur defectus natalium in ordine ad ſucceſſionem ab inteſtato, vel ex teſtamēto, ita quod religio poſſit intuitu filii illegitimi ſuccedere in bonis paternis; atq; maternis?

Nota, quod iure ciuili filii illegitimi, ſpurii nati ex damnato coitu, quales ſunt illi, inter quorum parentes non poterat conſtare matrimonium tempore conceptionis, aut natiuitatis. Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 8. initio repelluntur à ſucceſſione ab inteſtato, vt iuribus citatis docet Oinotomus lib. 3. de hæredit. quæ ab inteſtato. Tit. 1. §. De ſucceſſione liberorum ex dānato coitu atq ex teſtamento, vt iuribus citatis docet lib. 2. de hæredib

inſti-

inſtituendis. Tit. 14. §. Seruus autem ... vero illegitimi nati tempore, quo potu[...] rentes conſtare matrimonium non excl[...] legitimati per ſubſequens matrimoniu[m] tam quo ad honores, & ordines, quam [...] docet Oinotomus lib. 3. cit. §. De ſuc[...] legitim. num. 9. quia matrimonium o[...] tia purgat. Quare difficultas erit de ſo[...]

Re. Licet non tollatur iſte defectus i[...] ceſſionem, conditum tamen teſtament[...] ritur religioni, non tamen ſuccedit ab i[...]

Primum ſuadetur. Tum quia iure c[...] tuli, iſti repelluntur, & iure canonico [...] niſi ſolum ad ordines, ex probatis ſub q[...] ſio non aufert hunc defectum, id enim [...] habet. Tum quia licet ex oblatione fa[...] pis olim legitimaretur filius, nunc tame[n] ideo non tenet ab ea ductum argument[...] factã curiæ cæleſti per profeſsionem. [...] lud. in 4. diſt. 41. q. 3. art. 2. nu. 14. C[...] part. 2. cap. 8. §. 7. num. 4. & alij quo[...] Sanch. lib. 5. cap. 5. num. 25. Compe[...] contra multos alios ab illis citatos, aſſ[...] modo filius de conſenſu patris religion[...] ſus, & parentes prole careant.

Secundum de teſtamento ſuadetur. [...] ſtamento ſpectatur proprietas ſeu do[...] fructus, qui ambo tranſeunt in here[...] Clem. Exiui. §. Cum enim, de Verb. ſ[...] uentus ſit capax proprietatis, non aute[m] ſicut valet legatum, cuius dominium a[...] rio, & vſus fructus profeſſo, ita & te[...] fauore filij ſpurij profeſſi. Tum quia i[...] hibetur aquiſitio vſus fructus ſpurijs, a l[...] rere proprietatem & dominium, quæ p[...] in ſucceſſionibus ex teſtamento, vel a[...] prohibentur ſpurijs, aliud vſufructuare,

non prohibetur. Tum quia illius ſpurius non intendit
ſuccedere per teſtamentũ, ſed religio virtute teſtamenti
habito reſpectu ad filium. Tum quia vtile per inutile nõ
debet vitiari reg. 37. in 6.; ſed monaſterium eſt capax
ſucceſsionis via teſtamenti, ergo non debet vitiari teſta-
mentum per defectum filii, cum fauore ipſius directe nõ
ſit conditum teſtamentum. Hęc conatus ſum probare in
gratiam cuiuſdam mei amici.

Tertium de ſucceſsione ab inteſtato, probatur, Tum
quia monaſterium in tantum ſuccedit ratione ſuitatis, in
quantum profeſſus hoc ius tranſmittit ad monaſterium;
ſed ſpurius hoc ius tranſmittere non poteſt, cum illo ca-
reat, ex allegatis iuribus ſupra. Tum quia licet aquira-
tur via teſtamenti reſpectu ſpurii, non tamen ab inteſta-
to, quia reſpectu primi adeſt factum hominis, qui quan-
tũ in eo eſt, intendit aquirere directe, & immediate mo-
naſterio, quod iure non prohibetur, licet ſecũdario aqui-
ratur ſpurio, quod hoc pacto interdum non exprimitur;
reſpectu autem ſecundi non adeſt factum hominis, &
ideo præciſa ſpurii profeſsio cum de ſe non poſsit tranſ-
mittere ius ſucceſsionis, quo caret de iure, hinc fit, quod
monaſterium non poteſt ſuccedere abinteſtato reſpectu
ſpurii profeſsi, neq; enim valet argumentum ab vna ad
aliam ſucceſsionem, ſiquidem notum eſt, etiam extraneũ
poſſe ſuccedere via teſtamenti, non autem iure ſuitatis,
ſeu ab inteſtato, ratione cuius ſuccedunt ſolummodo
habentes legitime iura ſanguinis eis lege, & modo, quo
iura decernunt. Et ita probant hoc dictum, quæ ex pro-
batione primi adduximus.

13 QVAERES. An profeſsione tollatur ingratitu-
do filii, propter quam potuiſſet exheredari à patre?

℞. Tollitur, ita quod monaſterium capax bonorum
ſuccedere poteſt nomine filii, ex priuilegio iuris ciuilis al-
legati in cap. Non liceat, 19. q. 3. quod procedit etiã de
teſtamento ante ingreſſum condito, in quo fuerit filius
excluſus cauſa ingratitudinis, Molin. tom. 1. diſp. 176.
dub. fin. Sil u. religio 3. q. 1. in fine, Angel. num. 61.

Tab.

Tabien. nu. 44. Rodr. tom. 1. q.
cap. 5. num. 53.

14 QVAERES. An vota om
quam realia in ſeculo, vel tempor
lantur profeſsione?

℞. Tolluntur profeſſione vota
uitius profeſsione ſe totum traden
beratur à quacumq; priori obliga
debitor cedendo omnibus ſuis bo
creditori ſoluit omnia ſua debita
diſt. 38. q. 4. art. 1. num. 15. Et
Scripturæ, de Voto, cap. Qui poſ
vbi dicitur quod habens votum in
ingrediendo laxiorem, valide pro
gredi ſtrictiorem, quia priori vo
per ſecundum ſolemne noſcitur c
hæc de quouis voto etiam reali, q
par ratio; docent Silu. Votum 4.
12. nu. 78. in fine, Graff. part. 1. c
Ang. Votum 4. num. 3. Arm. nu
5. cap. 5. num. 43. Mirand. tom.
tract. 6. reſol. 65. tom. 2. Nald.
tom. 1. q. 25. art. fin. Etiamſi v
terræ ſanctæ, vel Vrbis, aut alteri
fuerit à tertio acceptatum, cui no
judicare, docent præcitati Rodr.
quoſdam.

Huiuſmodi vero voti ſimplici
proprie commutatio non eſt, ſed e
conſequenter ad ſui extinctioné n
illud commutandi, ſed ſufficit ipſ
de neq; actus contrarius nolendi
abolitioni, cum non pendeat à vo
ex natura profeſsionis reſultet;
38. & 41. quicquid videatur oppon
ſimplex num. 1.

Hactenus dicta de votis locun

mentis, vrget enim eadem ratio docent Ang. Silu. Sanchez, & alij citati Suar. lib. 6. de Voto capitulo 14 num. 2.

Nouitiatus tempore ſuſpenduntur ea vota, quæ in illo ſtatu non poteſt nouitius implere; & ſuperiores, ſeu eorũ Confeſſarij & Magiſter poteſt illa commutare in alia pia opera maxime ſi conſiſtant in abſtinentiis, in quibus nouitij debent ſe commodare communitati religioſorum, & ita incipiunt propriam voluntatem ſubijcere voluntati ſuperioris. Rodr. tom. 1. q. 25. art. 8. Bonac. p. 7. de Voto §. 2. num. 32.

15 QVAERES. An profeſſione tollantur debita temporalia?

℞. Nequaquam, ſed ſoluenda ſunt ex bonis ipſius nouitij, iuxta dicta cap. 2. quæſtione 58. §. Decimotertio.

16 QVAERES. An ſeruitus profeſſione regulari tollatur?

℞. Non, quia cum ſeruus alijs ſit obligatus, debet ſe prius liberare, vt profeſſione poſſit ſe religioni tradere: neceſſe eſt ergo, vt prius libertatem aquirat à Domino, vel ab eccleſia, iuxta dicta cap. 2. q. 49. §. Primum, & Secundum.

17 QVARES. An patiatur diminutionem capitis profeſſione? Capitis autem minutio eſt mutatio prioris ſtatus facto hominis interueniente. Oinotomus lib. 1. tit. 16. de capitis dimin. Eſt autem triplex. Maxima, qua amittitur libertas, ciuitas, & familia, vt condẽnatione ad mortem. Media, qua libertate retenta amittuntur reliqua, vt per deportationẽ. Minima, qua amittitur familia reliquis retentis, vt per arrogationem, emancipationem.

℞. Profeſſione non inducitur capitis diminutio. Suadetur, quia in minutione capitis amittuntur illa inuoluntarie; profeſſione vero voluntarie ſolum amittitur libertas, reliqua manent. Præterea illa ſtatus mutatio rẽdit in deterius, profeſſione vero tendit ingrediens in per

Quod ſi cap. Conſuluit. Qui cler
feſſum non poſſe contrahere matri
ſimplicis contracti, ex nullitate pro
5. de regul. in 6. profitens infra ann
Mendicantes non obligari illi relig
profeſſus, ſed religioni in genere:
nullitate profeſſionis præciſe, ſed ex
fitens intendit ſe obligare, vnde ſi nu
nem intendit profitens ſibi imponer
nullitate profeſſionis credebat cont
nino eſt, & liber à quouis ſimplici v
quia actus agentium non operantur
nem. Sanchez lib. 5. cap. 4. nun
illa loca ſupponere profitentem nu
habuiſſe votum ſimplex religionis.
ſumendum eſt pro voto ſimplici in
regulam. Quando actus non valet
let eo modo, quo valere potuit cap.
pub. in 6. §. Idem quoque.

3 QVAERES. An ita ſit vera
vt emittens profeſſionem nullam ſ
nulla etiam apud Deum, & ſic mal
conſcientia exire, & redire ad ſecul

℟. Poteſt. Probatur. Tum qu
re poſitiuo & per conſequens etiam
lex enim irritans aliquem actum,
ſonam illam impediens, vt non po
ſum efficacem illi actui, nam aliter
tatio; ſed profeſſio iure naturæ null
ctum etiam apud Deum; ergo neq;
Tum quia voluntas nouitij depende
lege irritantis votum, argumento c
Sed voluntas papæ non concurrit a
ſit contra aliquam à ſe conditam c
eſt abſolute nulla etiam apud Deu
poſitiuæ fundatæ in præſumptione,
lum pro foro externo, ſed etiam int

de leg. cap. 24. num. 4. Leſſius lib. 2. cap. 19. dub. 5. n. 35. Sed huiuſmodi fundantur in præſumptione, dicunt, ergo ligant in vtroq; foro. Tum quia Concil. cap. 19. dat facultatem prælatis regularib. ſimul cum ordinario dimittendi nulliter profeſſum ob metum, vel ante legitimam ætatem; id autem non poſſet fieri ab ipſis, ſi profeſſio teneret in foro conſcientiæ, quia alias eſſent participes peccati retrocedentis. Tum quia Sacrum Concil. aperte loquitur in illis duobus caſibus citatis eius verbis præcedenti quæſito, ergo dicendum eſt idem in reliquis. Ita ſentit Nau. conſil. 87. & 89. de regul. Mirand. tom. 1. q. 30. art. 4. concl. 1.

Dices. In profeſſione duo ſpectantur votum, & ſolẽnitas, illud eſt de iure diuino naturali, ſuper quo nec papa diſpenſat ſine vrgentiſſima ratione, hoc vero eſt de iure poſitiuo, quod ſicut à papa inſtituitur, ita, & deſtituitur argumento cap. 1. de regul. iur. papa autem condendo aliquam legem, ſeu decretum irritans profeſſionem non emiſſam cum tali, vel tali forma, ſe refert ad profeſſionẽ, non vt dicit votum, ſed ſolemnitatem, conſequenter tenet votum, & ideo exire non poteſt, ſed tenetur ſupplere ſolemnitatem per ratificationem, ſic colligitur ex Gloſ. Profeſſi cap. 11. de vita & hon.

℟. Quod cum profeſſio ſit promiſſio Deo facta, ex probatis cap. 1. q. 2. & conſequenter votum, ſolemnitas vero ei adiuncta ſit ab eccleſia, vt q. 3. ibidem probatur, accipi directe, & formaliter in decretis Põtificijs pro voto Deo facto, prælato religionis acceptante, vnde ſolemnitas cum ſit quid ad votum, & profeſſionem conſequens proprie votum, neque promiſſio, aut profeſſio eſt.

4 QVAERES. An, & quo iure poſeſſio inhabilitet, ſeu reddat profeſſum incapacẽ dominij, & proprietatis, tam aquirendi ſibi, quam alijs?

℟. Profeſſio ex parte voti paupertatis iure eccleſiaſtico reddit profeſſum incapacem dominij. cap. Non dicatis.

11.

21. q. 1. cap. 1. 18. q. 1. cap. Monacho
nachi. cap. Recolentes cap. Cum ad n
ne, de ſtatu Mon. expreſſius Sacrum C
2. renouans iura antiqua, & ſufficiente
1. q. 3. Ita ſentiunt omnes cum D. Th
art. 7. ibi Caiet. Leſſ. lib. 2. cap. 4. du
com. 1. num. 19. §. 23. Rodr. tom. 3.
tim 4. & cum ſuo Compend. reſol. 1
q. 28. art. 1. concl. 1. Docent autem
cuius ſunt incapaces venire proprietate
ralium, non autem iurium ſpiritualium
norum, quorum ſunt domini, in quibu
ne proprio, vt probant prædicti. In q
bus, quis ſit proprietarius, non eſt huiu
citatos, & alios, vbi de voto proprietati
1. de regul. num. 2. §. Tertio.

Qamuis autē religioſi ſint incapaces
rum tamen religiones ſunt capaces do
omnes poſſidere bona tam mobilia,
non ſolum iure antiquo, ſed etiam n
Seſſ. 25. cap. 3, vbi id concedit omnib
ceptis domibus fratrum Capucinorum
Obſeruantia vocantur. Quare cum n
neq; ex Capucinis neq; ex Minoribus
capax dominii, & de facto in ſinguli
poſſidet bona ſtabilia, & Eugen. 4. Co
bis. Dat. die 6. Febr. 1442. noſtris i
ſuccedere in bonis ingreſſi. Quod ide
Conſt. Ad vberes Et hoc ſupponitur
cap. 27. regulæ.

5 QVAERES. An, & quomo
dat incapaces profeſſos ad contrah
nium?

℞. Profeſſio ex parte voti caſtitati
religioſos ad matrimonium contrahen
eccleſiaſtico. Primum patet ex eo, quo
ſione ſe totum, & non tantum corpus

ficultas, ſicut in ſecundo, quod nonnulli volunt, hoc prouenire ex iure naturali diuino; alii ex iure poſitiuo diuino; alii demum, cum quibus eſt communior opinio, ex ſolo iure eccleſiaſtico, quod colligitur ex 27. q. 1. cap. Rurſus cap. Inſinuante. Qui cler. expreſſe cap. Vn. de voto in 6. Concil. Seſſ. 24. cap. 9. vbi anathematizantur dicẽtes religioſos profeſſos poſſe contrahere matrimonium, & contractum ab eis eſſe validum. Ita tenent Sanch. lib. 7. diſp. 26. in fine, & ibi eas opiniones refert. Rodr. tom. 3. q. 1. art. 2. dum dicit Innoc. 2. hoc omnino interdixiſſe anno 1139. Mirand. tom. 1. q. 37. art. 2. Et ego cap. 1. q. 3. probaui ex diuerſis Pontificibus antiquitus tenuiſſe matrimonium à profeſſis contractum, ergo ſignum eſt, eius diremptionem prouenire à iure eccleſiaſtico. Et pro regularibus noſtri ordinis ſpecialiter irritauit contractum ab eis matrimonium Eug. 4. conſt. Iniũctum nobis. Dat. die 6. Febr. 1442 & Sixtus 4. conſt. Ad Chriſti Vicarii. Dat. die 1. Decemb. 1480.

6 QVAERES. An religioſi contrahentes matrimonium incurrant aliquam cenſuram preter nullitatem matrimonij?

℞. Excommunicationẽ nulli reſeruatam Clem. Eos, de Conſang. etiam non conſumantes, non tamen ſi contrahant ſola ſponſalia, quia de his nulla mentio. Sanch. lib. 7. diſp. 48. num. 6. Rodr. cum ſuo Compend. reſol. 93. num. 9. Quæ excõmunicatio ſuperioribus regularib. reſeruata extat contra religioſos Tertii Ordinis, ex citata conſt. Sixti 4. præcedenti quæſito.

7 QVAERES. An, & quo iure profeſſio irritet matrimonium nondum conſumatum?

℞. Irritat illud profeſſio ſubſequens, patet ex cap. Deſponſatam. cap. Decreta legalia 27. q. 2. cap. Verum. cap. Ex publico. cap. Ex parte tua. de conuerſ. coniug. & de fide definitur cap. 6. Seſſ. 24. & hoc iure diuino poſitiuo, & priuilegio Chriſti, vt colligitur ex citato cap.

Ex

dus poteſt confiteri Magiſtro, ex probatis q. præced. Præterquamquod actus non dicitur perfectus, quando eſt partim factus, & partim non l. 2. ibi, quia ipſi animaduertunt, aliquid deeſſe, ff. de orig. iur. de qua re Gonzal. ad reg, 8. gloſ. 63. num. 31. Probat 2. quia ſicuti perſonæ non militantes, in loco hoſtili exiſtentes, priuilegijs ipſo loco datis gaudent perinde, ac ſi actu militaſſent l. fin. ff. de milit. teſtam. ita nouitij exiſtentes in militia religioſa ſub obedientia ſuperiorum abſolutionis beneficio potiri debent. Non diſplicet, licet actu militent nouitii, vnde Magis probat, quam adducta lex. Demum gaudent priuilegio canonis, ergo & abſolutionis.

℞. Vt ſupra. Ratio eſt, tum quia licet ſit licentiãdus, tamen vſq; ad actualem licentiam eſt nouitius cum remaneat in loco deputato cum habitu, & tractetur ſicut cæteri nouitii, ergo confiteri poteſt Magiſtro, ſicut alii faciũt, quiſq; enim ſe debet accommodare vitæ, & moribus eorum, cum quibus viuit, can. 22. 16. q. 7. Tum quia certo expellendus à religione, non obſtante ſuperuentura eiectione ſubiicitur iugo religionis, & illius priuilegiis gaudet donec actu ſit expulſus, ergo ſimiliter nouitius repellendus,

70 QVAERES. An nouitius pro ſuo arbitratu poſſit confiteri cuilibet confeſſario non ſolum religionis, in qua probatur, ſed etiam extraneo abſq; conſcientia ſui Magiſtri, ſeu ſuperiorum?

℞. Non poteſt extraneo, ſi confiteatur nulla eſt confeſſio. Probatur, tum quia nullus poteſt ſibi eligere confeſſarium, niſi habeat licentiam ſui Parochi ex cap. Omnis, de Pœnit. & remiſſ. iuxta tamen forum Sacri Concil. Seſſ. 23. cap. 15. ſi ſermo ſit de ſecularibus eligentib. vel ex priuilegio Tol. lib. 3. cap. 13, num. 4. Bonac. q. 7. de Pænit. p. 4. §. 1. nu. 6. Megal. part. 1. lib. 1. cap. 9. num. 18. & cap. 10. num. 11., & alii communiter aſſignantes triplicem poteſtatem in confeſſario, iuriſditionis, delegationis, & electionis; ſed nouitii non habent li-

centiam

centiam ſui Magiſtri aut Prælati regularis, neq; Summi Pontificis vt ſupponitur in quæſtione, ergo defectu iuriſditionis in electo nulla eſt confeſſio. Tum quia nouitij quo ad Sacramenta ſubduntur ſuperioribus regularibus religionis, in qua nouitij probantur, ſicut parochianus ſecularis ſubeſt ſuo parocho; ſed ſecularis ſine licētia proprij, aut ſui ſuperioris epiſcopi inualide confitetur extraneo in propria patria, ergo & nouitius; & quod nouitij ſubdantur ſuperioribus regularibus quo ad ſacramenta bene probat Megal. cit. cap. 8. num. 20. & cap. 9. nu. 19. & hoc ex intentione Concil. Seſſ. 24. cap. 11. & Seſſ. 25. cap. 11. in quibus locis, degentes intra clauſtra ſub obedientia ſuperiorum regularium ſubduntur illorum iuriſditioni quo ad Sacramentorum adminiſtrationem. Tum quia mutatione domicilij mutatur parochia, & mutans quo ad ſacramenta ſubijcitur Parocho, ſub cuius parochia actu moratur, cap. fin. de Paroch. ſed nouitius tranſeundo ad religionem aquirit ibi domicilium ex doctoribus citatis à Sanch. lib. 4. cap. 39. num. 20. in fine. Demum, in materia Sacramentorum, & aliorum ſpiritualium nouitii gaudent priuilegiis profeſſorum, ergo æquum eſt, vt intelligantur ſubiecti prælatis regularibus quo ad confeſſionem, ſicut profeſſi, ratio enim dictat, vt qui ſentit commodum debeat etiam ſentire onus, Reg. 55. vnde ad hoc dicit l. Vn. §. Pro ſecundo in fine C. de caduc. toll. eum non eſſe ferendum, qui lucrum amplectitur, & onus ſubire recuſat. Dixi extraneo, quia ſi confiteatur confeſſario ſuę religionis, modo non adſit expreſſa prohibitio, tenet confeſſio. Noſtram opinionem docent Peregr. in Cōment. ad conſtitut. ſuæ religionis Cler. Regul. part. 2. cap. 5. lit. K. Megal. cit. cap. 8. nu. 20. Vecch. diſp. 10. dub. 3. Tamburinius tom. 2. de iure Abbat. diſp. 6. nu. 11. quos citat, ſed nō ſequitur relator Diana reſol. 4. de dub. regul. aſſerendo cū Molfeſſio tom. 1. tract. 7. cap. 14. num. 85. Ortiz. cap. 5. ſuæ ſummæ num. 11. Homob. in exam. eccl. part. 1. tract. 5. cap. 2. q. 13. & de caſibus reſeru. part. 3. cap. 1. §. Nouitii exer-

cendi, & probandi, Rodr. tom. 1. q. 27. art. 11. Portel. Nouitii abſolutio num. 36. vbi citat Mirand. tom. 2. q. 34. art. 16. & aliis ab eo citatis nouitium valide abſolui à confeſſario ſeculari approbato ab epiſcopo, quod replicat reſol. 27. in tract. de Paupert. religioſa. Ad conſtitutionem Clem. VIII. in qua cura audiendi nouitios in confeſſione committenda eſt eorum Magiſtro, reſpõdet præfatus Diana priori loco allegatus, quod decretum illud non eſt latum à Pontifice per modum præcepti irritando confeſſionem aliter factam, ſed per modum regulę & conſilii. Huius reſponſio non placet, quia ex ſuperius probatis conſtat Nouitios ſubiici quo ad ſacramenta ſuperioribus regularibus ac ſi eſſent profeſſi, ergo dictum decretum ſiue obliget ſub mortali, ſiue non, quod nolo nunc diſcutere, hoc vnum ſcio, quod certum eſt de iure communi quemlibet debere confiteri proprio ſacerdoti, aliter peccat mortaliter, & nullam facit confeſſionem. Præterea, vt poſtea legi apud eumdem Dianã reſol. 46. de dub. regul. concludit, & reſoluit cum Vecchio, quod qui de proximo vult ingredi religionẽ poteſt abſolui per confeſſarium illius religionis à caſibus epiſcopo reſeruatis, quod ſignum eſt, ſi iſte poteſt abſolui à reſeruatis, non eſſe amplius ſubiectum epiſcopo quo ad hoc ſacramentũ, ergo multo minus nouitium, qui de facto habitũ geſtat. De hac re dixi ſuperius q. 68.

Et conſequenter loquendo, puto, nouitium non poſſe ſibi eligere confeſſarium extra religionem virtute Bullæ Cruciatæ, aut alterius priuilegii, quia vt pluries dixi quo ad ſacramenta eodem iure cenſeri debet, quo profeſſus, qui præfatis priuilegiis eligendi confeſſarium extra religionem ſine licentia ſuorum ſuperiorum nequaquam vti poteſt, vt expreſſe id prohibuit omnibus regularib. Clem. VIII. conſt. Romani Pontificis 64. in Bull. nouo, vbi Compend. in ſchol. 2. excludit nouitios, pro ſe citando Sebaſtianum à Coſta; eam ad verbum refert Coriolanus part. 1. de caſib. reſeru. Sect. 3. art. 14. & Quarant. v. Confeſſor, ſimilem conſtitutionem promulgauit Vrbanus

nus VIII. incipientem. In ſpecula militantis &c. Dat. anno 1630. de qua mentionē facit Nald. in ſuis Annotat. practicis ad varia iuris pontificij loca, ad cap. Placuit diſt. 6. de Pænit. & ad cap. Ad aures noſtras, de tem. ordin. de profeſſis expreſſe tenet Rodr. tom. 1. q. 21. art. 10. cum ſuo Compend. reſol. 3. nu. 24. & 25. vbi enixe tuetur ſuum authorem, Portel. v. Bulla Cruciatæ, Beia part. 3. caſu 16. multis rationibus id probans, nouiſſime Ioannes Angelus Boſſius in ſuo eruditiſſimo tractatu de triplici priuilegio Iubilei Sect. 3. caſu 4. num. 9. Non deſunt multi oppoſitum ſentientes, ſed non ſunt audiendi poſt dictas conſtitutiones, quæ religioſos omnes quo ad Sacramentum Pænitentiæ ſubijciunt ſuis prælatis. Idem de nouitiis ſentiunt expreſſe Corduba q. 30. Crouſers lect. 17. §. An vero, quos citando ſequitur Vecch. diſp. 9. contra pleroſq; alios, quorum opinio præcipue fundatur in eo, quod nouitii in odioſis non veniunt ſub nomine religioſorum, quibus prędicta prohibentur, cum non ſint vere religioſi, & conſequenter non obligentur ſtatutis, & regulis profeſſorum: ſed facile eliditur, non enim ſubdūtur regulis, & conſtitutionibus ordinis, vbi probantur, quia ſe illis nondum ſubiecerunt per profeſſionem, & ſi non ſunt profeſſi, ſunt tamen religioſi, & ſubditi quo ad ſacramenta, hæc enim ſubiectio acquiritur parochia, & domicilio, quod ſine dubio contraxerunt intra religionē, conſequenter more aliorum religioſorum tenentur recipere ſacramenta intra religionem.

71 QVAERES. Superius ſub q. 68. probatum fuit Magiſtrum nouitiorum ab epiſcopo non approbatū poſſe excipere confeſſionem eius, qui nondum habitu religionis eſt indutus, de proximo tamen induendus. Ad id procedat etiam, quando ſuperuenit impedimentum, quo amplius habitu religionis indui non poteſt, ſed tamen cepta fuit confeſſio generalis, non præuiſo impedimento; an perfici poſſit ab eodem Magiſtro? Proponit eam Vecchius diſp. 9. dub. 4. pro Magiſtris ſuæ religionis, reſpōdendo affirmatiue, ea ratione, quia iuriſdictio, & poteſtas

Q 3 quam

quam ab initio habebat, durat vſque dum perficiatur Sacramentum Pænitentiæ, quia gratia facta non expirat quando res cepta fuit, cap. Gratum, cap. Relatum, de off. deleg. limitat autem ſuum reſponſum habere locum, ſi impedimentum ſit iuſtum, alias non, ſi irrationabiliter retrocedat.

℞. Perficere poteſt ceptam confeſſionem, tum ob rationẽ dictam, tum quia iudicium finiendum eſt ab eo, à quo ceptum fuit l. Vbi ceptum eſt, ff. de iur. om. iud. l. Si quis poſtea, ff. de iudic. cap. Propoſuiſti, de foro comp. quæ loca licet loquantur pro foro externo, faciũt etiam pro foro pænitentiali, cum nulla diuerſitas in re hac aſſignari poſſit. Non placet tamen eius limitatio, quia iuſtitia, ſiue iniuſtitia impedimenti non tollit iuriſditionem, neq; irritam reddit confeſſionem ex parte mutantis propoſitum ſine ratione, quia non poteſt eſſe pluſquam veniale, ſi enim nouitius ſine cauſa retrocedẽs peccat ſolum venialiter, ex probatis hic q. 55. ergo multo minus nondum ingreſſus mutans voluntatem, conſequẽter cum peccatum veniale non impediat valorem confeſſionis, vt docent omnes cum Bonac. q. 5. de Pænit. ſect. 2. p. 3. propoſ. 1. tenet præfata confeſſio.

72 QVAERES. An Conuerſi nouitii ſubiiciantur Magiſtro nouitiorum, ſicut clerici, & debeant manere in clauſura nouitiorum clericorum?

℞. Conuerſi nouitii probandi ſunt ſicut clerici in conuentu deputato, vbi locum ad dormiendum ſeparatum à nouitiatu clericorum habere debent, qua ſeparatione nõ obſtante ſubiiciuntur non ſolum ſuperioribus; ſed etiam Magiſtro nouitiorum, vt dicitur in Conſt. Clem. VIII. §. Cum autem, & recipi non poſſunt ad profeſſionem, niſi poſt annum vigeſimum primum, ibid. §. Tempore. Ignarus autem ſcriptionis, ſuam profeſſionem ſubſignare debet cruce manu ſua, ibid. §. Conuerſus.

CAPVT

CAPVT QVINTVM

De Effectibus Profeſſionis.

EX præcedentibus ſufficienter conſtat, in quibus caſibus teneat, ad quam vt Nouitius animetur recte peragendum ſubiiciuntur quidam eius effectus, & priuilegia. Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5. à num. 33. nouem enumerat; Sanch. autem lib. 5. cap. 5. Septem refert, & fuſe explicat, de ſingulis, & alijs diſtincte agam in ſequẽtibus quæſitis.

1 QVAERES. An profeſſio iure naturæ nulla, vt quãdo deeſt conſenſus ſiue ex parte nouitij, ſiue ex parte admittentis, vt cum ficte emittitur, inducat aliquam obligationem?

℞. Non, ſed ſic profitens poteſt ſine peccato redire ad ſeculum præciſo ſcandalo. Ita docent Sotus lib. 7. q. 1. art. 2. §. An vero. Angles de Voto diff. 4. concl. 3. Henriq. lib. 11. de Matrim. cap. 11. num. 2. Nau. com. 4. de regul. num. 76. §. Aduertendum 4. quos ſequitur Sanch. lib. 4. diſp. 15. num. 5. §. quarto. Nau. conſil. 26. de regul. numero 13. quando eſt nulla ex parte admittentium.

2 QVAERES. An profeſſio nulla iure poſitiuo, vt ſi ſit facta infra annum probationis, ante legitimam ætatem, vel à non potente acceptare, acceptata, &c. inducat aliquem effectum, vel obligationem ſaltem voti ſimplicis?

℞. Non. Ratio eſt, quia quod nullum eſt nullum producit effectum l. 4. §. Condemnatum ff. de re iud. cap. Illud. de Iurepatr. & hoc eſt certum in profeſſione nulla defectu ætatis, vel integritatis nouitiatus, ex Seſſ. 25. cap. 15. Illis verbis. *Profeſſio autem antea facta ſit nulla, nullamq; inducat obligationem, ad alicuius regulæ, vel religionis, vel ordinis obſeruationem, aut ad alios quoſcumq; effectus.*

Quod ſi cap. Conſuluit. Qui cler. dicatur, nulliter profeſſum non poſſe contrahere matrimonium ratione voti ſimplicis contracti, ex nullitate profeſſionis; & cap. 2. & 3. de regul. in 6. profitens infra annum probationis inter Mendicantes non obligari illi religioni, cuius regulam eſt profeſſus, ſed religioni in genere: Hoc non prouenit ex nullitate profeſſionis præciſe, ſed ex eo quod nulliter profitens intendit ſe obligare, vnde ſi nullam aliam obligationem intendit profitens ſibi imponere, niſi illam, quam ex nullitate profeſſionis credebat contrahere, immunis omnino eſt, & liber à quouis ſimplici voto, & obligatione, quia actus agentium non operantur vltra eorum intentionem. Sanchez lib. 5. cap. 4. num. 105. Vel intellige illa loca ſupponere profitentem nulliter ante ingreſſum habuiſſe votum ſimplex religionis. In dubio autem præſumendum eſt pro voto ſimplici in vtroq; foro per illam regulam. Quando actus non valet eo modo, quo fit, valet eo modo, quo valere potuit cap. Vn. de deſponſ. impub. in 6. §. Idem quoque.

3 QVAERES. An ita ſit vera præcedens reſponſio, vt emittens profeſſionem nullam ſolo iure poſitiuo, ſit nulla etiam apud Deum, & ſic male profeſſus poſſit tuta conſcientia exire, & redire ad ſeculum?

℞. Poteſt. Probatur. Tum quia profeſſio nulla iure poſitiuo & per conſequens etiam iure naturæ inualida; lex enim irritans aliquem actum, inhabilitat etiam perſonam illam impediens, vt non poſſit præſtare conſenſum efficacem illi actui, nam aliter non eſſet efficax irritatio; ſed profeſſio iure naturæ nulla nullum inducit effectum etiam apud Deum; ergo neq; iure poſitiuo nulla. Tum quia voluntas nouitij dependet à voluntate papæ ſua lege irritantis votum, argumento cap. Magnæ. de Voto Sed voluntas papæ non concurrit ad profeſſionem, quæ ſit contra aliquam à ſe conditam conſtitutionem; ergo eſt abſolute nulla etiam apud Deum. Tum quia leges poſitiuæ fundatæ in præſumptione, habent locum non ſolum pro foro externo, ſed etiam interno, vt probant Co-

par. cap. Quamuis pactum part. 2. §. 4. Suar. lib. 5. de leg. cap. 24. num. 4. Leſſius lib. 2. cap. 19. dub. 3. n. 35. Sed huiuſmodi fundantur in præſumptione, dicunt, ergo ligant in vtroq; foro. Tum quia Concil. cap. 19. dat facultatem prælatis regularib. ſimul cum ordinario dimittendi nulliter profeſſum ob metum, vel ante legitimam ætatem; id autem non poſſet fieri ab ipſis, ſi profeſſio teneret in foro conſcientiæ, quia alias eſſent participes peccati retrocedentis. Tum quia Sacrum Concil. aperte loquitur in illis duobus caſibus citatis eius verbis præcedenti quæſito, ergo dicendum eſt idem in reliquis. Ita ſentit Nau. conſil. 87. & 89. de regul. Mirand. tom. 1. q. 30. art. 4. concl. 1.

Dices. In profeſſione duo ſpectantur votum, & ſolẽnitas, illud eſt de iure diuino naturali, ſuper quo nec papa diſpenſat ſine vrgentiſſima ratione, hoc vero eſt de iure poſitiuo, quod ſicut à papa inſtituitur, ita, & deſtituitur argumento cap. 1. de regul. iur. papa autem condendo aliquam legem, ſeu decretum irritans profeſſionem non emiſſam cum tali, vel tali forma, ſe refert ad profeſſionẽ, non vt dicit votum, ſed ſolemnitatem, conſequenter tenet votum, & ideo exire non poteſt, ſed tenetur ſupplere ſolemnitatem per ratificationem, ſic colligitur ex Gloſ. Profeſſi cap. 11. de vita & hon.

℞. Quod cum profeſſio ſit promiſſio Deo facta, ex probatis cap. 1. q. 2. & conſequenter votum, ſolemnitas vero ei adiuncta ſit ab eccleſia, vt q. 3. ibidem probatur, accipi directe, & formaliter in decretis Põtificijs pro voto Deo facto, prælato religionis acceptante, vnde ſolemnitas cum ſit quid ad votum, & profeſſionem conſequens proprie votum, neque promiſſio, aut profeſſio eſt.

4 QVAERES. An, & quo iure poſeſſio inhabilitet, ſeu reddat profeſſum incapacẽ dominij, & proprietatis, tam aquirendi ſibi, quam alijs?

℞. Profeſſio ex parte voti paupertatis iure eccleſiaſtico reddit profeſſum incapacem dominij. cap. Non dicatis.

11.

11. q. 1. cap. 1. 18. q. 1. cap. Monacho 27. q. 1. cap. Monachi. cap. Recolentes cap. Cum ad monaſterium, in fine, de ſtatu Mon. expreſſius Sacrum Concil. Seſſ. 25. cap. 2. renouans iura antiqua, & ſufficienter hoc probaui cap. 1. q. 3. Ita ſentiunt omnes cum D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 7. ibi Caiet. Leſſ. lib. 2. cap. 4. dub. 5. nu. 26. Nau. com. 1. num. 19. §. 23. Rodr. tom. 3. q. 29. art. præſertim 4. & cum ſuo Compend. reſol. 110. Mirand. tom. 1. q. 28. art. 1. concl. 1. Docent autem nomine dominij, cuius ſunt incapaces venire proprietatem rerum temporalium, non autem iurium ſpiritualium, & actuum internorum, quorum ſunt domini, in quibus habent ius nomine proprio, vt probant prædicti. In quibus autem caſibus, quis ſit proprietarius, non eſt huius loci, conſule præcitatos, & alios, vbi de voto proprietatis. Vide Nau. com. 1. de regul. num. 2. §. Tertio.

Quamuis autē religioſi ſint incapaces proprietatis, eorum tamen religiones ſunt capaces dominij, & poſſunt omnes poſſidere bona tam mobilia, quam immobilia, non ſolum iure antiquo, ſed etiam nouo Sacri Concilij Seſſ. 25. cap. 3, vbi id concedit omnibus religionibus, exceptis domibus fratrum Capucinorum, & eorum, qui de Obſeruantia vocantur. Quare cum noſter Ordo non ſit neq; ex Capucinis neq; ex Minoribus de obſeruantia, eſt capax dominii, & de facto in ſingulis fere conuentibus poſſidet bona ſtabilia, & Eugen. 4. Conſt. Iniunctum nobis. Dat. die 6. Febr. 1442. noſtris indulſit, vt poſſent ſuccedere in bonis ingreſſi. Quod idem fecit Clem. 7. Conſt. Ad vberes. Et hoc ſupponitur tamquam certum cap. 27. regulæ.

5 QVAERES. An, & quomodo profeſſio reddat incapaces profeſſos ad contrahendum matrimonium?

℞. Profeſſio ex parte voti caſtitatis reddit incapaces religioſos ad matrimonium contrahendum, & hoc iure eccleſiaſtico. Primum patet ex eo, quod nouitius profeſſione ſe totum, & non tantum corpus per votum caſtita-

tis

ris dedicat, & tradit diuino obſequio, ergo illud alteri donare nõ poteſt virtute matrimonii & in hoc nulla difficultas, ſicut in ſecundo, quod nonnulli volunt, hoc prouenire ex iure naturali diuino; alii ex iure poſitiuo diuino; alii demum, cum quibus eſt communior opinio, ex ſolo iure eccleſiaſtico, quod colligitur ex 27. q. 1. cap. Rurſus cap. Inſinuante. Qui cler. expreſſe cap. Vn. de voto in 6. Concil. Seſſ. 24. cap. 9. vbi anathematizantur dicẽtes religioſos profeſſos poſſe contrahere matrimonium, & contractum ab eis eſſe validum. Ita tenent Sanch. lib. 7. diſp. 26. in fine, & ibi eas opiniones refert. Rodr. tom. 3. q. 1. art. 2. dum dicit Innoc. 2. hoc omnino interdixiſſe anno 1139. Mirand. tom. 1. q. 37. art. 2. Et ego cap. 1. q. 3. probaui ex diuerſis Pontificibus antiquitus tenuiſſe matrimonium à profeſſis contractum, ergo ſignum eſt, eius diremptionem prouenire à iure eccleſiaſtico. Et pro regularibus noſtri ordinis ſpecialiter irritauit contractum ab eis matrimonium Eug. 4. conſt. Iniũctum nobis. Dat. die 6. Febr. 1442 & Sixtus 4. conſt. Ad Chriſti Vicarii. Dat. die 1. Decemb. 1480.

6 QVAERES. An religioſi contrahentes matrimonium incurrant aliquam cenſuram preter nullitatem matrimonij?

℞. Excommunicationẽ nulli reſeruatam Clem. Eos, de Cõſang. etiam non conſumantes, non tamen ſi contrahant ſola ſponſalia, quia de his nulla mentio. Sanch. lib. 7. diſp. 48. num. 6. Rodr. cum ſuo Compend. reſol. 93. num. 9. Quæ excõmunicatio ſuperioribus regularib. reſeruata extat contra religioſos Tertii Ordinis, ex citata conſt. Sixti 4. præcedenti quæſito.

7 QVAERES. An, & quo iure profeſſio irritet matrimonium nondum conſumatum?

℞. Irritat illud profeſſio ſubſequens, patet ex cap. Deſponſatam. cap. Decreta legalia 27. q. 2. cap. Verum. cap. Ex publico. cap. Ex parte tua. de conuerſ. coniug. & de fide definitur cap. 6. Seſſ. 24. & hoc iure diuino poſitiuo, & priuilegio Chriſti, vt colligitur ex citato cap.

vocatur illegitimitas; colligitur cap. 1. diſt. 56. & cap. 1. de fil. præsbit. vbi dicitur per ingreſſum religionis tolli ſolum defectum natalium quo ad omnes ordines, non tamen habilitantur quo ad prælationes, & dignitates, vt ibidem exprimitur. Ita Nau. com. 2. de regul. num. 60. Rodr. tom. 1. q. 13. art. 5. Sanch. lib. 7. diſp. 86. nu. 4. & lib. 5. cap. 5. nu. 10. ait hoc procedere, licet ordines receperit ante profeſſionem, tolli nempe irregularitatem quo ad vſum eorum, contra Angles, & Sairum lib. 6. cap. 11. num. 3. Neq; obſtat Sixtus V. in duabus ſuis conſtitutionibus citatis cap. 2. q. 52. ſufferens hoc priuilegium, quia Greg. 14. eas conſtitutiones quo ad hoc, & alia quędam reduxit ad terminos iuris ſupracitati.

11 QVAERES. An nouitiatus tollat hanc irregularitatem?

℞. Non. Quia textus citati loquuntur de ingreſſu perfecto, & cum effectu, quod eſt per profeſſionem. Sic omnes cum Nau. Sair. Sanch. cit. num. 12. quicquid dicat Rodr. cit. art. 4. cum ſuo Compend. reſol. 77. nu. 8. aſſerens tolli etiam per ſimplicem nouitiatum; ſed nō eſt audiendus, cum nullo nitatur fundamento, niſi iuribus citatis, quæ ſolum loquuntur de perfecto ingreſſu per profeſſionem. Quare Nouitius illegitimus ordines minores nō poteſt recipere, niſi præuia diſpenſatione ab hac irregularitate.

12 QVAERES. An profeſſione tollatur defectus natalium in ordine ad ſucceſſionem ab inteſtato, vel ex teſtamēto, ita quod religio poſſit intuitu filii illegitimi ſuccedere in bonis paternis; atq; maternis?

Nota, quod iure ciuili filii illegitimi, ſpurii nati ex damnato coitu, quales ſunt illi, inter quorum parentes non poterat conſtare matrimonium tempore conceptionis, aut natiuitatis. Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 8. initio, repelluntur à ſucceſſione ab inteſtato, vt iuribus citatis docet Oinotomus lib. 3. de hæredit. quæ ab inteſtato. Tit. 1. §. De ſucceſſione liberorum ex dānato coitu atq; ex teſtamento, vt iuribus citatis docet lib. 2. de hæredib. inſti-

inſtituendis. Tit. 14. §. Seruus autem num. 10. Alii vero illegitimi nati tempore, quo potuit inter eorum parentes conſtare matrimonium non excluduntur maxime legitimati per ſubſequens matrimonium quo ad omnia tam quo ad honores, & ordines, quam ſucceſsionem, vt docet Oinotomus lib. 3. cit. §. De ſucceſſione filiorum legitim. num. 9. quia matrimonium omnia antecedentia purgat. Quare difficultas erit de ſolis ſpurijs.

32. Licet non tollatur iſte defectus in ordine ad ſucceſſionem, conditum tamen teſtamentum tenet, & aquiritur religioni, non tamen ſuccedit ab inteſtato.

Primum ſuadetur. Tum quia iure ciuili, vt mox retuli, iſti repelluntur, & iure canonico non habilitantur niſi ſolum ad ordines, ex probatis ſub q. 10. ergo profeſſio non aufert hunc defectum, id enim ex ſua natura non habet. Tum quia licet ex oblatione facta curiæ principis olim legitimaretur filius, nunc tamen non eſt in vſu, & ideo non tenet ab ea ductum argumentum ad oblationẽ factã curiæ cæleſti per profeſsionem. Hanc tenent Palud. in 4. diſt. 41. q. 3. art. 2. nu. 14. Couar. 4. Decret. part. 2. cap. 8. §. 7. num. 4. & alij quos ſequendo citant Sanch. lib. 5. cap. 5. num. 25. Compend. reſol. 77. n. 9. contra multos alios ab illis citatos, aſſerentes ſuccedere modo filius de conſenſu patris religionem fuerit ingreſſus, & parentes prole careant.

Secundum de teſtamento ſuadetur. Tum quia, in teſtamento ſpectatur proprietas ſeu dominium, & vſus fructus, qui ambo tranſeunt in heredes, vt dicitur in Clem. Exiui. §. Cum enim, de Verb. ſignif. & ſolus cõuentus ſit capax proprietatis, non autem profeſſus; ideo ſicut valet legatum, cuius dominium aquiritur monaſterio, & vſus fructus profeſſo, ita & teſtamentum factũ fauore filij ſpurij profeſſi. Tum quia in iure nullibi prohibetur aquiſitio vſus fructus ſpurijs, aliud enim eſt aquirere proprietatem & dominium, quæ proprie ſpectantur in ſucceſſionibus ex teſtamento, vel ab inteſtato, quæ prohibentur ſpurijs, aliud vſufructuare, quod iure aliquo

non

non prohibetur. Tum quia filius ſpurius non dicitur ſuccedere per teſtamentũ, ſed religio virtute teſtamenti habito reſpectu ad filium. Tum quia vtile per inutile nõ debet vitiari reg. 37. in 6.; ſed monaſterium eſt capax ſucceſsionis via teſtamenti, ergo non debet vitiari teſtamentum per defectum filii, cum fauore ipſius directe nõ ſit conditum teſtamentum. Hęc conatus ſum probare in gratiam cuiuſdam mei amici.

Tertium de ſucceſsione ab inteſtato, probatur, Tum quia monaſterium in tantum ſuccedit ratione ſuitatis, in quantum profeſſus hoc ius tranſmittit ad monaſterium; ſed ſpurius hoc ius tranſmittere non poteſt, cum illo careat, ex allegatis iuribus ſupra. Tum quia licet aquiratur via teſtamenti reſpectu ſpurii, non tamen ab inteſtato, quia reſpectu primi adeſt factum hominis, qui quantũ in eo eſt, intendit aquirere directe, & immediate monaſterio, quod iure non prohibetur, licet ſecũdario aquiratur ſpurio, quod hoc pacto interdum non exprimitur; reſpectu autem ſecundi non adeſt factum hominis, & ideo præciſa ſpurii profeſsio cum de ſe non poſsit tranſmittere ius ſucceſsionis, quo caret de iure, hinc fit, quod monaſterium non poteſt ſuccedere abinteſtato reſpectu ſpurii profeſsi, neq; enim valet argumentum ab vna ad aliam ſucceſsionem, ſiquidem notum eſt, etiam extraneũ poſſe ſuccedere via teſtamenti, non autem iure ſuitatis, ſeu ab inteſtato, ratione cuius ſuccedunt ſolummodo habentes legitime iura ſanguinis eis lege, & modo, quo iura decernunt. Et ita probant hoc dictum, quæ ex probatione primi adduximus.

13 QVAERES. An profeſsione tollatur ingratitudo filii, propter quam potuiſſet exheredari à patre?

℞. Tollitur, ita quod monaſterium capax bonorum ſuccedere poteſt nomine filii, ex priuilegio iuris ciuilis allegati in cap. Non liceat, 19. q. 3. quod procedit etiã de teſtamento ante ingreſſum condito, in quo fuerit filius excluſus cauſa ingratitudinis, Molin. tom. 1. diſp. 176. dub. fin. Sil u. religio 3. q. 1. in fine, Angel. num. 61.

Tab.

Tabien. nu. 44. Rodr. tom. 1. q. 13. art. 3. Sanch. lib. 5. cap. 5. num. 33.

14 QVAERES. An vota omnia tam perſonalia, quam realia in ſeculo, vel tempore nouitiatus facta tollantur profeſsione?

℞. Tolluntur profeſſione vota iure naturali, quia nouitius profeſsione ſe totum tradendo diuinis obſequiis liberatur à quacumq; priori obligatione ſpirituali, ſicut debitor cedendo omnibus ſuis bonis ſe totum tradendo creditori ſoluit omnia ſua debita. Docet Palud. in 4. diſt. 38. q. 4. art. 1. num. 13. Et iure eccleſiaſtico cap. Scripturæ, de Voto, cap. Qui poſt votum, de regul. in 6° vbi dicitur quod habens votum ingrediendi ſtrictiorem ingrediendo laxiorem, valide profitetur, nec tenetur ingredi ſtrictiorem, quia priori voto tamquam ſimplici per ſecundum ſolemne noſcitur derogatum: Procedūt hæc de quouis voto etiam reali, quia de vtriſq; eadem & par ratio; docent Silu. Votum 4. q. 7. Dicto 4. Nau. cap. 12. nu. 78. in fine, Graff. part. 1. conſil. 8. de Voto nu. 9. Ang. Votum 4. num. 3. Arm. num. 28. cum Sanch. lib. 5. cap. 5. num. 43. Mirand. tom. 1. q. 25. art. 7. Diana tract. 6. reſol. 65. tom. 2. Nald. Votum nu. 50. Rodr. tom. 1. q. 25. art. fin. Etiamſi votum ſit in ſubſidium terræ ſanctæ, vel Vrbis, aut alterius loci, modo votū non fuerit à tertio acceptatum, cui non poteſt profeſsio præiudicare, docent præcitati Rodr. Mirand. Diana contra quoſdam.

Huiuſmodi vero voti ſimplicis per ſolemne ſublatio proprie commutatio non eſt, ſed ex natura voti ſequitur, conſequenter ad ſui extinctionē nō requirit intentionem illud commutandi, ſed ſufficit ipſa profeſsio in facto; vnde neq; actus contrarius nolendi illa extingui obſtat huic abolitioni, cum non pendeat à voluntate profitentis, ſed ex natura profeſsionis reſultet; Sanch. lib. 5. cap. 5. nu. 38. & 41. quicquid videatur opponere Portellus v. Votum ſimplex num. 1.

Hactenus dicta de votis locum ſibi vendicant in iuramentis;

mentis, vrget enim eadem ratio docent Ang. Silu. Sanchez, & alij citati Suar. lib. 6. de Voto capitulo 14. num. 2.

Nouitiatus tempore ſuſpenduntur ea vota, quæ in illo ſtatu non poteſt nouitius implere, & ſuperiores, ſeu eorũ Confeſſarij & Magiſter poteſt illa commutare in alia pia opera maxime ſi conſiſtant in abſtinentiis, in quibus nouitij debent ſe commodare communitati religioſorum, & ita incipiunt propriam voluntatem ſubijcere voluntati ſuperioris. Rodr. tom. 1. q. 25. art. 8. Bonac. p. 7. de Voto §. 2. num. 32.

15 QVAERES. An profeſſione tollantur debita temporalia?

℞. Nequaquam, ſed ſoluenda ſunt ex bonis ipſius nouitij, iuxta dicta cap. 2. quæſtione 58. §. Decimotertio.

16 QVAERES. An ſeruitus profeſſione regulari tollatur?

℞. Non, quia cum ſeruus alijs ſit obligatus, debet ſe prius liberare, vt profeſſione poſſit ſe religioni tradere; neceſſe eſt ergo, vt prius libertatem aquirat à Domino, vel ab eccleſia, iuxta dicta cap. 2. q. 49. §. Primum, & Secundum.

17 QVARES. An patiatur diminutionem capitis profeſſione? Capitis autem minutio eſt mutatio prioris ſtatus facto hominis interueniente. Oinotomus lib. 1. tit. 16. de capitis dimin. Eſt autem triplex. Maxima, qua amittitur libertas, ciuitas, & familia, vt condẽnatione ad mortem. Media, qua libertate retenta amittuntur reliqua, vt per deportationẽ. Minima, qua amittitur familia reliquis retentis, vt per atrogationem, emancipationem.

℞. Profeſſione non inducitur capitis diminutio. Suadetur, quia in minutione capitis amittuntur illa inuoluntarie; profeſſione vero voluntarie ſolum amittitur libertas, reliqua manent. Præterea illa ſtatus mutatio tẽdit in deterius, profeſſione vero tendit ingrediens in per-

fectiorem, ergo non eſt capitis minutio ſic docent Cuiacius in expoſ. Nouellæ 5. quem citat Sanchez lib. 7. cap. 3. numero 34. Rodriquez tom. 2. quæſtione 77. art. 6.

18 QVAERES. An profeſsione moriatur mundo, & ſoli Deo viuat, iuxta cap. 2. Placuit 16. q. 1. l. Deo nobis C. de epiſc. Auth. de Nupt. §. Diſtrahuntur. Auth. Ingreſsi C. de ſacroſ. eccl.

℟. Moritur mundo reſpectu eorum, quæ ſunt incompoſsibilia cum ſtatu religioſo. Non autem reſpectu eorũ quæ huic ſtatu non repugnant: Et in hoc nullam puto eſſe diſcrepantiam.

In primo ſenſu moritur mundo 1. quo ad matrimoniũ ex citato §. Diſtrahuntur Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5. n. 34. Item 2. quo ad proprietatẽ, & dominiũ ſibi, quibus eſt incapax ex probatis ſupra q. 4. Item 3. quo ad negotia ſecularia, non enim agere, & negotiari poteſt præſertim nomine proprio cap. Adijcimus in fine cap. De præſentium cap. Sunt nonnulli cap. Monachi 16, q. 2. cap. Secundum, Ne clerici, vel mon. Nau. com. 2. de regul. num. 29. Hæc autem mors in his, & ſimilibus caſibus in iure expreſsis æquiparatur morti naturali quo ad eoſdem effectus, vt docent omnes ex gloſ. Mortuus cit. cap. Placuit.

In ſecundo autem ſenſu profeſſus non reputatur mortuus mundo, ſed viuens 1. quo ad naturalia, vt ratione nobilitatis ſanguinis Sanch. lib. 7. cap. 12. num. 13. licet ſit mortuus quo ad contemptum, cum non debeat vocari titulis, ſed ſolo cognomine ſuæ familiæ, vnde Rodr. tom. 2. q, 78. art. 12. §. Nec minus, religioſos nobiles pares facit cum ignobilibus, & tales ſunt reputandi quo ad iura nobilitatis, & dicam infra q. 41. Item 2. quo ad iura ſuitatis, & ſucceſsionis, infra q. 21. Item 3. quo ad iura defenſionis Graff. part. 1. lib. 2. cap. 65. num. 9. Item 4. quo ad actus internos non ſunt mortui ſupra ſub. q. 4. cũ habeant velle, & nolle in illis, Nau. com. 2. de regul. n. 59. Item 5. quo ad iura ſpiritualia prælationum, & officiorũ

regu-

regularium ex electione. Vide Rodr. tom. 3. q. 29. art. 4. Sanch. lib. 7. cap. 29. nu. 118.

19 QVAERES. An profeſſione paterna, vel propria filius liberetur à patria poteſtate?

℞. Affirmatiue, primum ſuadetur ex cap. Cum ſimus, de regul. vbi patre ingreſſo legitima traditur filio. Ratio eſt, quia patria poteſtas eſt quoddam ius, cuius pater profitendo remanet incapax, ergo filius ab eo iure liberatur, & efficitur ſui iuris. Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 6. nu. num. 6. Secundum patet ex l. Si ex cauſa §. Pomponius ff. de Minor., quia cum profeſſione ſe totum tradat poteſtati alterius, neceſſe eſt quod liberetur à paterna. Rodriquez tom. 2. q. 77. art. 6. Sanchez lib. 5. cap. 5. num. 29.

20 QVAERES. An huiuſmodi libertas præiudicet patri, itaut filio profeſſo non amplius ſit exemptus ratione duodecim filiorum?

℞. Non, quia ad huiuſmodi exemptionem ſufficit, vt aliquando ſimul actu pater habuerit duodecim filios, docet Iaſon. in l. Si quis hæredem. C. de Inſtit. & ſubſtit. relatus à Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5. num. 34. in Additam. *Præterea* filius licet profeſſus ſit dicitur adhuc viuere, quia non eſt mortuus mundo in ijs; quæ poteſt patri præiudicare.

21 QVAERES. An profeſſione extinguantur iura ſuitatis, ita quod monaſterium eius nomine nõ poſſit ſuccedere ab inteſtato?

℞. Iura ſuitatis remanent, quia ſunt quædam iura ſanguinis l. Deo nobis C. de epiſc. Iura autem ſanguinis ſunt incommutabilia, & ſemper manent, ergo & iura ſuitatis, *Bartol.* in l. Item in poteſtate C. eod. quem citande ſequitur Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5. num 34. Quare ſi monaſterium eſt capax hæreditatis ſuccedit ab inteſtato, ita Rodr. tom. 2. q. 77. art. 6. & fuſe Sanch. lib. 7. cap. 25.

22 QVAERES. An omnia bona, iura, & acciones profeſſione tranſeant, & acquirantur monaſterio, in quo

quis profitetur?

℞. Tranſeunt de iure, modo ingrediens ante aliter nõ diſpoſuerit, & monaſterium ſit capax ſucceſsionis, Auth. de Monachis, §. Illud quoque, Auth. Ingreſsi C. de ſacroſ. eccl. Megal. 1.2. lib. 2. cap. 27. nu. 19. vbi præter alios citat Menoch. lib. 2. de arbitr. cent. 5. caſu 436. nu. 1. Nau. com. 2. nu. 46. de regul. magis autem id in ſpecie explicabitur in ſequentibus quæſitis.

Statuta facta à principibus ſecularibus in contrarium nullius ſunt momenti, quod probant cum Megal. cit. à num. 31. Mar. Ant. lib. 1. var. reſol. 83. num. 55. Bimius conſil. 88. num. 55. & eſt vera, & communiſsima opinio, quia principes ſeculares nichil ſtatuere contra immunitatem eccleſiaſticam, qua ſine dubio gaudent nouitij, & profeſsi, cum ſint perſonæ eccleſiaſticæ.

23 QVAERES. An ſubſtitutio, & fideicommiſſum euaneſcat profeſsione inſtituti, & ſic remaneat in religione, an vero tranſeat àd ſubſtitutos?

℞. Euaneſcit, ſi monaſterium eſt capax, & ſuccedit omnino in perpetuum in bona filij inſtituti, excluſo penitus ſubſtituto: niſi ſubſtitutio ſit fauore cauſæ piæ: vel niſi teſtator ſubſtituat proprium filium: aut niſi ſubſtitio ſit familiaris, hoc eſt, facta intuitu, & intentione cõſeruandi familiam, in his, & alijs caſibus, de quibus Sanch. lib. 7. cap. 16. non euaneſcit ſubſtitutio. Ratio reſponſionis eſt, Tum quia monaſterium ſuccedens ſe habet loco filij, ſeu hæredis. Tum quia conditio hæc (decedens ſine filijs) ſubſtituens aliam auertit à religione, & conſequenter vt turpis reiicitur. Tum quia inſtituens præſumitur eſſe æque affectus erga monaſterium, ſicut ad filios inſtituti, quibus exiſtentibus ſicut excludit ſubſtitutum, ita eundem præſumitur excludere fauore monaſterij, quod diligit ſicut filios inſtituti; hanc rationem propriam dicit Sanch. cit. num. 8. Vide Molinam tom. 1. diſp. 190. §. Quandoquis, & caſus deciditur cap. in præſentia, de probat. & Auth. Niſi rogati C. ad Trebel.

Dixi 1. fauore cauſæ piæ, vt in redemptione captiuorũ

aut

aut egentium alimento, non euaneſcit, ex cit. Auth. Niſi rogati. C. Ad Trebellian. §. *Sed & hoc*, vbi licet fiat mentio de dictis duobus caſibus tantum, habet tamen locũ in reliquis pijs caſibus, cũ illi duo ducti ſint in exẽplũ, exempla enim non reſtingunt regulam, neq; excludunt ſimilia l. Damni infecti ff. de damno infecto, Surd. conſil. 308. num. 10. Molin. lib. 2. de Primog. capitulo 8. num. 4.

Quare bene alias reſpondi cuidam non euaneſcere ſubſtitutionem factam à D. Conſtantia fauore monaſterij S. Bernardi, vbi habet filiam monialem ſi eius filius Frãciſcus inſtitutus ingrediatur quoddam monaſteriũ capax ſucceſsionis, quia licet ſubſtitutio ſit fauore cauſæ piæ, cũ ſit fauore dictarũ Monialium, facit tamẽ illud axioma, quod priuilegiatus non vtitur ſuo priuilegio contra alterum æque priuilegiatum, vt multis locatis refert Barboſa lit. P. ſub num. 46. Eſt communiſsima opinio iuris peritorum, quos citando ſequitur *Sanch.* cit. num. 34. Ang. Hæres nu. 14. Arm. nu. 20. Tab. q. 10. & in terminis docet Bart. apud Sanch. cit.

Dixi 2. Niſi ſubſtituat proprium filium, quia licet in dubijs fauendum ſit religioni l. *Sunt* ff. relig. & ſumpt. fun. cum tamen fauor filiorum ſit naturalis, & religionis ciuilis, ille huic debet præponderare Mantica lib. 11. de Coniect. vltim. vol. tit. 7. num. 13. Menochius lib. 4. Præſumpt. 83. num. 44. Rodr. tom. 2. q. 77. art. 4. Sanch. cit. num. 39.

Dixi 3. Niſi ſit familiaris, quia cum conuentus non ſit capax conſeruationis familiæ, non poteſt ſuccedere; ſic tenẽt Couar. lib. 1. var. cap. 19. n. 11. Mantica cit. n. 21. Menoch. nu. 45.

In his autem caſibus, & alijs, iu quibus excluditur religio, adhuc non admittitur ſubſtitutus, niſi poſt mortem naturalem profeſsi, docent Molin. cit. §. in quocumq; Surd. lib. 1. conſil. 90. nu. 23. Couar. cit. nu. 7. Sanch. cit. nu. 10. cum alijs multis ab eo citatis.

24 QVAERES. An datum alicui ea conditione ne

alienetur, amittatur profeſſione religionis?

℞. Non amittitur, ſed cum perſona tranſit ad monaſterium capax, eius durante vita, quia appoſita prohibitio de non alienando intelligitur reſpectu datarij præciſe, ita quod priuata voluntate non poſſit alienare, non autẽ ex diſpoſitione legis, per quā ingreſſus omnia ſua transfert in religionẽ, ex probatis q. 22. Præterea profeſſus adhuc non dicitur proprie alienare, cum poſſit in religione de licentia ſui prælati vti commoditate ſibi dati. Tenent Dynus, Bartol. in Auth. ingreſſi in 2. lect. num. 50. C. de ſacroſ. eccl. Innoc. Hoſt. Ioan. Andr. Ant. Abbas. Anch. Mant. in cap. In præſentia, de probat. quos & alios citando ſequitur Sanchez lib. 7. cap. 15. quæſtione fin. num. 67.

25 QVAERES. An ius patronatus, & ius præſentandi profeſſione extinguatur transeundo ad alios?

℞. Si ius patronatus competat alicui ratione communitatis profeſſione extinguitur, quia deſinit eſſe mẽbrum illius cõmunitatis. gloſ. Conferendum cap. Beneficium de regul. in 6. Si vero competat vti perſonæ ſingulari, & conuentus ſit capax non extinguitur, ſed profeſſione tranſit in monaſterium, per illam regulam generalem, quod monaſterium ſuccedit in omnia iura profeſſi, ſupra q. 22. modo aliunde non conſtet patroni voluntatem fuiſſe, vt non tranſiret ad extraneos. Ita docent Rodr. tom. 2. q. 121. art. 5. Sanch. lib. 7. cap. 14. alios citantes; & tunc prælatus ſimul cum conuentu præſentabit, docet Lambert. lib. 2. de Iurep. part. 1. q. 2. art. 12. & nulla eſſet prȩſentatio ſi ſolus ſuperior præſentaret ex cap. Nouit, cap. Quanto, cap. Ea noſcitur, de his, quæ fiunt à prælato Lambert. cit. art. 11. in fine. Potuiſſet Patronus conditionem addere, vt profeſſus poſſet ſolus præſentare accedente conſenſu prælati, non autem ſine illo, aliter conditio vt turpis reiicienda eſſet, & tunc conuentus cum prȩlato præſentaret Rodr. cit. cũ alijs, & ſuo Compend. reſol. 85.

26 QVAERES. An profeſsione feudatarij tranſeat

ad

ad Monaſterium, an ad vocatos, vel reuertatur feudũ ad dominum ſuum?

℟. Amittitur ſecũdum omnes profeſsione miſſa in religione incapaci. In religione capaci trãſit quando non habet adnexam iuriſditionem, & ſeruitium præſtandum eſt talis conditionis, quod decenter præſtari poteſt à religione, vt ſit reale ſoluendũ in pecunia, vel alia re, vel præſtabile per tertium. Ratio eſt illa generalis regula de qua q. 22. Deinde ſuccedit in maioratu, emphiteuſi, & alijs, vt probatur infra, ergo & in feudo. Si vero ſeruitium incompatibile ſit cum ſtatu religioſo, & non poſsit decenter præſtari, tunc non ſuccedit, quia cum non poſsit ſuccedere in onere, neq; conueniens eſt, vt ſuccedat in re cui onus eſt adiectum ex reg. 55. in 6. Sic communiter cum Nau. com. 2. de regul. num. 55. Afflicto deciſ. 320. num. 2. Gama deciſ. 6. Molina tom. 1. diſp. 140. Rodr. tom. 1. q. 38. art. 3. & tom. 2. q. 62. art. 10. & q. 78. art. 12. §. Tertio probatur, cum ſuo Compend. reſol. 66. Sanch. lib. 7. cap. 15. nu. 36. Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 27. num. 28.

27 QVAERES. An maioratus profeſsione extinguatur?

℟. Tranſit ad monaſteriũ capax licet ſit cũ iuriſditione, eſt .n. cõpatibilis cum ſtatu regulari, docet Rodr. tom. 2. q. 78. art. 12. §. 4. quem ſequitur Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 27. num. 29. Compend. reſol. 72. nu. 20. vbi multos alios citat, & impugnat Sanch. aſſerentem lib. 7. cap 15. nu. 12. extingui, quando habet adnexam iuriſditionẽ, vide ipſum.

Procedit reſponſio, modo aliunde non conſtet, intentionem inſtitutoris fuiſſe excludendi monaſterium, qualis præſumitur. 1. ſi maioratus inſtituatur ad conſeruationem familiæ. Ita docent Molina lib. 2. de Primog. cap. 12. num. 50. Alter tom. 1. diſp. 207. concl. 2. & tom. 3. diſp. 623. num. 3. Rodr. cit. §. 5. præſumitur 2. ſi mandetur maior deferre arma, & nomen inſtitutoris cum decore, & ſplendore; quod impleri non poteſt in re-

ligione. Tapia Auth. Ingreſſi C. de ſacroſ. eccl. v. Sua, cap. 16. num. 10. Molina cap. 13. num. 91. Sanch. nu. 23. Præſumitur 3. ſi excludatur fæmina quia intenditur fami liæ conſeruatio. Flores de Mena lib. 1. var. cap. 16. num. 3. ex Sanch. cit. num. 24. Præſumitur 4. ſi dominus habens eccleſiaſticos inſtituat fæminas, vel alios conſanguineos prætermiſſis illis Sanch. cit. nu. 26.

28 QVAERES. An Emphiteuſis profeſſione extinguatur?

℞. Extinguitur, profeſſione facta in religione incapaci, & tunc tranſit ad hæredes profeſſi, ſi ſit hæreditaria, vel reuertitur ad dominum, ſi alij non ſint vocati. Quando eſt capax, & emphiteuſis eſt hæreditaria, valens ad extraneos tranſire, non extinguitur, ſed tranſit cum profeſſo ad monaſterium, vita ingreſſi durante, cũ ea tamen diuerſitate, quod eccleſiaſtica, cuius .s. dominium, eſt apud eccleſiã, poteſt reuocari infra biennium, ex Auth. de Alien. emphit. vnde optimum erit ſi monaſterium infra annum à die profeſſionis vendat priuato, vt docuit Specul. cum Claro lib. 4. §. Emphit. q. 33. quos citando ſequitur Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 57. num. 20. §. Sed tu. Silu. Religio 6. q. 1. Ang. num. 53. Tab. q. 34. Sanch. lib. 7. cap. 15. num. 56. Quod ſi inſtituta ſit pro ſe, & ſuis hæredibus, & conuentus ſit eius hæres, tranſit in perpetuum, vt docent Bartol. Auth. ingreſſi in 2. lect. nu. 37. Sanch. num. 62. quæ procedunt, licet adſit clauſula ne transferatur ad monaſterium, vel ad potentiorẽ, quia intelligitur de priuata tranſlatione non legali, iuxta dicta ſub q. 24. Sic docent Silu. Emphiteuſis q. 20. nu. 27. & alij, quos ſequitur Sanch. cit. num. 65. Non deſunt negantes, omnino tranſire in monaſterium, quia peior fieret conditio domini, amitteret enim non ſolũ ſpem laudemij, ſed etiam regreſſum, vnde Abbas cap. In præſentia de Probat. & Clarus v. Emphiteuſis q. 33. dicunt vel non tranſire, aut ſi tranſit cogi monaſterium infra annũ vendere priuato. Sed hæc non obſtant, ſi enim dominus perdit huiuſmodi ſpem, & fiat eius conditio deterior, ſibi

im pu-

imputet, quia potuit ad hoc aduertere, & conſequenter excludere monaſterium.

29 QVAERES. An pater filij profeſſione, vel propria amittat vſum fructum, quem in eius bonis aduentitijs habet? Bona autem aduentitia ea ſunt, quæ non ex ſubſtantia patris, neq; in bello, aut ex publico officio, ſed aliunde adueniunt, vt à matre, auis maternis, ex nuptijs, ex cognatorum, vel amicorum, vel ex propria induſtria, quorum bonorum filius familias habet ſolum proprietatem, pater autem vſum fructum §. 1. Inſtit. Per quas perſonas nob. aquir. Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 3. q. 2. Sanch. lib. 7. cap. 13. num. 24. Non eſt autem hic ſermo de Caſtrenſib. .i. aquiſitis in bello, vel quaſi caſtrenſibus .i. aquiſitis ex officio publico, hæc enim quoad vtrumq; ſunt filij; neque de profectitijs, quia hæc ad plenum ſunt patris, ergo de ſolis aduentitiis.

℞. Pater ſecuta profeſsione filij aut propria nō amittit vſum fructum, ſed ſecum eum retinet, vel transfert in conuentum, ſi in eo profiteatur.

Primum ex profeſsione filii ſuadetur. Tum quia licet intuitu patriæ poteſtatis, à qua eximitur filius per profeſſionem, ex probatis q. 19. pater ſit vſufructuarius in eius aduentiis, non ideo amittit hoc ius, quod ſolum perditur, quando filius ex culpa patris eximitur à patria poteſtate, docet Bald. Auth. Idem eſt, C. de bonis, quæ liber. Tum quia licet vſus fructus ſit ius perſonaliſsimum, & conſequenter non poſsit tranſire in aliam perſonam, intellige iure voluntario, bene tranſit iure legali citato ſub q. 22. Tum quia alicui non poteſt auferri ius quæſitum ſine eius conſenſu, l. Id quod noſtrum ff. de reg. iur. Tum quia in amiſsione vſusfructus non attenditur mors proprietarii, ſed vſus fructuarii l. Si patri, C. de Vſufr. quia vſusfructus eſt ſeruitus perſonalis l. 1. ff. de Vſu & vſufr. Hanc tenent Nau. com. 2. de regul. num. 55. Rodr. tom. 3. q. 16. art. 4. Leſſ. lib. 2. cap. 41. dub. 10. num. 83. Mol. tom. 1. diſp. 9, quos citando ſequitur Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 3. q. 4. num. 8. Sil. religio 6. quæſtione 1. Tab.

q. 36. num. 37. Arm. num. 24. Sanch. lib. 7. cap. 13. num. 39.

Secundum ſuadetur. Tum quia vſusfructus iſte non ſolum eſt fauore filiorum, ſed etiam patris, ergo paterna profeſſione non ceſſat. Tum quia licet concedatur patri, confidendo in eius fida & prudenti adminiſtratione, tamen æque bene poteſt præſtari per monaſterium, imo per ipſum patrem ingreſſum de licentia prælati. Ita Nau. com. 2. de regul. nu. 38. Molina cit. & diſp. 140. §. An vero vſusfructus. Sair. lib. 9. cap. 7. num. 9. Sanchez lib. 7. cap. 13. num. 70. Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 3. num. 9. cum eo referens tres opiniones, primam, quam teneo, ſecundam aſſerentium ſpectare, ſtatim poſt profeſſionem, ad filium, eſtq; communis; tertiam diuidentium medietatem pertinere ad conuentum, alteram ad filium, ſed ſuſtine noſtram propter allatas rationes, quibus aduerſariorum infringuntur. Excipiuntur tamen vſusfructus adiecti legitimæ, qui ſimul cum legitima, vt dicam q. 31. traduntur facta profeſsione filio, docet Mēchaca de Succeſſ. lib. 1. §. 1. num. 48. & Sanchez cit. num. 73.

30 QVAERES. De alijs vſufructuarijs an eorũ vſusfructus amittatur profeſsione?

℞. Non, ſed tranſit ad monaſterium capax. Probant id rationes allatæ in ſuperioribus. Sic tenent Roſella v. Donatio 1. num. 44. Ang. religioſus num. 52. Silu. 6. q. 1. Tab. num. 35. Nau. com. 2. de regul. num. 38. Graff. part. 1. lib. 3. cap. 19. num. 43. Sanch. lib. 7. cap. 13. num. 48. Et in perpetuũ, ſi datus ſit pro ſe, & ſuis hæredibus, quos ſi non habuerit, tranſit perpetuo ad monaſterium, quum ſit eius hæres, docent cum Sanchez cit. num. 60.

31 QVAERES. An profeſsione patris legitima ſtatim debeatur filijs, an expectanda ſit mors naturalis, ac proinde interim remaneat apud monaſterium patris profeſsi?

℞. Debetur. Ex cap. Cum ſimus. de regul. illis verbis

bis. *Et bona paterna, quæ ipſi ex ſucceſſione paterna proueniunt poſtulare.* Neq; in eo textu ſermo eſt præciſe de morte naturali, vt ex Corſeto Sing. 161. num. 3. docent Sanch. lib. 7. cap. 10. num. 3. qui eam tenet cum Naui. com. 2. de regul. num. 48. & 54. Ang. religioſus nu. 49. Silu. Hæreditas 1. q. 7. num. 10. dicto 6. & v. religio 6. q. 11. Tab. q. 32. Molina tom. 1. diſp. 140. §. An verò ſtatim, Sanch. pro hac re refert pluſquam quinquaginta doctores, & oppoſitam opinionem communiſſimam legiſtis probantibus ex Auth. Si qua mulier, in fine C. de ſacroſ. eccl. vbi dicitur, quod ſi pater, nulla diuiſione bonorum facta, moriatur, poſſunt filij percipere legitimam, ergo à contrario ſenſu eo ſuper viuente non accipient; ſed hoc argumentum à contrario ſenſu non tenet, cum iure citato aliter diſponatur. Et ex l. 1. §. Impuberi ff. de collat. bonor. vbi dicitur, quod legitima non debetur patre ſuperſtite. Dictu in hoc caſu non ſuperſtare, ſed reputari mortuum ad hunc effectum. Contra noſtram eſt Rodr. tom. 2. q. 80. art. 2. §. Notandũ inſuper, cum ſuo Compend. reſol. 72. nu. 26. §. An autem. Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 23. num. 98. Sed bene noſtram, quæ non ſolum in pietate & ęquitate, vt docent aduerſarij, ſed etiam in iure citato cap. Cum ſimus, fundatur præterquamquod, ſi differatur vſq; ad mortem naturalẽ, vt volunt aduerſarij, adhuc monaſterium tenetur inter in alimentare filios, ea enim bona tranſeunt cum hoc onere, docent Surd. tit. 1. de Alim. q. 29. Gutier. lib. 2. quæſt. canon. cap. 1. n. 90. cum Sanch. cit. nu. 8. quando pater illos alere tenebatur in ſeculo in ſubſidium.

Idem dic de filio profeſſo erga patrem, correlatiua enim non iudicantur ad imparia, quicquid dicãt aduerſarij cum Megali. 1. 2. lib. 2. cap. 5. nu. 23. de mente omniũ doctorum.

32 QVAERES. An profeſſione amittatur ius teſtandi?

℞. Amittitur, & hoc iure eccleſiaſtico, & etiam ciuili, ita quod neq; facere poteſt codicillos, donationem vero

ro cauſa mortis de licentia ſuperioris agere poteſt. Ratio primi eſt, quia ius teſtandi ſupponit capacitatem dominij, ſi non actu dominium in teſtante; ſed profeſſione ingrediens fit incapax omnium bonorum ex probatis ſupra q. 4. ergo non poteſt teſtari. Secundum conſtat cap. Quia ingredientibus, 19. q. 3. & cap. 2. de teſtam. Auth. Ingreſſi, C. de ſacroſ. eccl. Tertium, quia qui non poteſt teſtari, neq; codicillos facere l. Diui 6. §. penul. in fine. Nau. com. 2. de regul. num. 43. & 44. Quæ procedunt etiam ad pias cauſas. Nau. cit. nu. 22. §. Decimo Roſella v. teſtamentum 1. num. 5. Silu. 1. q. 4. ad finem Arm. nu. 2. Tab. q. 2. Rodr. tom. 3. q. 69. art. 2. cum ſuo Compend. reſol. 135. num. 2. Quartum de donatione conſtat, quia is actus omnino pendet à voluntate ſuperioris, conſequenter ſicut ſuperior poteſt illum concedere, ita & ſubditus exequi. Docent Nau. conſil. 2. de Præſumpt. num. 3. & loco citato. Rodr. tom. 2. q. 46. art. 7. ad finem cum ſuo Compend. cit. Portellus v. Teſtamentum. 1. Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5. num. 58. An autem hæc prohibitio ſit ſolum pro ſtricte religioſis an etiam Militarib. & Societatis Ieſu nondum profeſſis, ex profeſſo Sanch. lib. 7. cap. 8. q. 3.

33 QVAERES. An conditum teſtamentum ſortiatur ſuum effectum, hoc eſt, an ſecuta profeſſione debeantur ſtatim relicta in illo legatarijs, & heredibus?

℞. In religione incapaci ſine dubio ſortitur ſuũ effectum, non autem in capaci, ſed ſolum poſt mortem naturalem, & interim conuentus ſuccedit, & gaudet omnibus bonis, gerens perſonam teſtatoris, qui in hoc caſu nõ reputatur mortuus, ſed adhuc viuere. Sic tenent Ang. religioſus num. 54. & v. Hæreditas num. 22. Silu. 1. q. 7. num. 10. dicto 6. Nau. com. 2. de regul. num. 54. Molina tom. 1. diſp. 140. §. Quin & bona, Rodr. tom. 2. q. 80. quos & alios multos citat Sanch. lib. 7. cap. 3. num. 55. cum quibus Megal. 1. 2. lib. 3. cap. 14. num. 18. 19. & 20.

Prædicta locum habent ſiue teſtamentum ſit factum

animo

animo ingrediendi religionem, ſiue non, aut etiam in anno probationis docent Rodr. part. 2. cap. 7. nu. 9. Vega cap. 50. caſu 3. cum Sanch. cit. num. 60. vbi allegantur contradictores.

Dicta applicãtur etiam donationi factæ cauſa mortis, quia hæc eſt quædam ſpecies vltimæ voluntatis, ſicut teſtamentum, ideo veniũt ſub eadem diſpoſitione Docent Suar. Alleg. 20. nu. 18. Sanch. nu. 58. contra Rodr. & Vegam mox citatos.

Sequitur ex antedictis, quod ſi hæredes, & legatarij moriantur ante mortem naturalem teſtatoris, relicta remanent monaſterio in totum, cum gerat perſonam teſtatoris, vti docent præcitati cum Sanch. nu. 56.

Coniecturas nonnullas, ex quibus colligitur intentionem teſtatoris fuiſſe velle teſtamentum ſortiri ſuum effectum ſecuta profeſſione, refert Sanch. lib. cit. cap. 2. à nu. 60. ad 67.

34 QVAERES. An cum profeſſione teſtamentũ nõ ſortiatur ſuum effectum, ſaltem poſſit reuocari, ſeu variari à teſtatore iam profeſſo?

℞. Non poteſt reuocari, neq; mutari. Tum quia is eſt actus proprietatis, & dominij, quibus caret profeſſus. Tum quia eadem facultas requiritur in deſtruendo quæ in conſtruendo l. Si vt proponit C. de Nupt. Ita ſentiũt Rodr. tom. 3. q. 16. art. 3. & q. 69. art. 3. cum ſuo Compend. reſol. 135. num. 3. Portellus v. Teſtamentum nu. 2. Nau. com. 2. de regul. num. 53. Silu. religio 6. q. 4. Tab. q. 41. Ang. num. 60. Sanch. multos alios citans lib. 7. cap. 11. nu. 6 referens contrariã opinionẽ quamplurium, quorum alij abſolute affirmant, alii negant fauore extraneorum.

Poteſt nichilominus ſuam voluntatem apud alios incertam declarare, quia cum declaratio nil de nouo ponat ſed quod ex natura rei ineſt, demoſtret. l. Hæredes palã ff. de Teſtam. non dicitur mutare, neq; illud alterare. Ita Rodr. & reliqui citati Sanch. num. 16. Diana. de dub. regul. reſol. 75. etiam ſi ſit Capucinus vbi in oppo-

ſitum citat Mirandam tom. 1. q. 23. art. 10. ſed ſatis confuſe de more ſuo loquitur, & non videtur bene percepiſſe quid ſit teſtamentum mutare, & illud declarare confundendo vnum cum alio.

35 QVAERES. An relictum alicui ſi nubat euaneſcat conditio profeſſione, & religioni aquiratur?

℞. Acquiritur licet non nubat carnaliter, colligitur ex Auth. de Sanctiſ epiſc. §. Sed, & hoc præſenti. Auth. Niſi rogati, C. ad ſenatuſc. Trebell. quia in dubio præſumitur non excludere matrimonium ſpirituale. Sic tenēt communiter fere omnes cum Molina tom. 1. diſp. 207. concl. 1. cum Sanch. lib. 1. diſp. 33. num. 29. Bonac. p. 4. de contr. in genere num. 10. §. Idem. Rodr. tom. 2. q. 127. art. 1. Cum ſuo Compend. reſol. 88. num. 22. Portellus v. Legatum num. 10. Beia part. 1. poſt caſum 66. Poteſt ergo ingrediens religionem tuta conſcientia capere legatum, licet non nupſerit docent præcitati cum alijs, quos citando ſequitur Diana tom. 2. tract. 5. reſolutione 57. Intellige, modo non excludatur monaſteriū.

36 QVAERES. An beneficia ſiue ſimplicia, ſiue curata amittantur profeſſione?

℞. Sic, ex cap. Beneficium, de regul. in 6. vbi dicitur beneficia ingredientium non eſſe cōferenda niſi poſt profeſſionem, ergo ſignum eſt ea ceſſare emiſſa profeſſione tantum, & non ante in anno probationis. Ratio eſt tum quia beneficium habere videtur quidam actus proprietatis, cuius incapax eſt religioſus. Tum quia in hoc caſu cenſetur mortuus mundo. Infra annum probationis alteri conferri non poteſt ſine eius conſenſu, expreſſe in dicto capite, de quo Sanch. lib. 7. cap. 4. q. 1. Rodr. tom. 1. q. 37. art. 1. 2. cum ſuo Compend. reſol. 15. num. 19. & 68. Quare requiritur conſenſus eius conſiſtens in renuntiatione, quod præſtare tenetur infra bimeſtre ante profeſſionem iuxta cap. 16. Seſſ. 25. coram ordinario, qui tamen non debet conferre beneficium niſi poſt profeſſionem, quia renuntiatio abſoluta non eſt, ſed ſub cōditione, ſi ſequatur profeſſio, vt docent Zerola v. Mo-

nachi, Monald. vol. 2. conſil. 143. num. 2. referens declarationem ſacræ Congr. Sanch. cap. 5. num. 38. & infra hoc tempus beneficij fructus ſunt nouitij, quia nondũ amiſit dominium, aſſignata tamen congrua portione vicario inſeruienti, ex eodem cap. beneſitium, Silu. religio 2. q. 8. Ang. nouitius num. 22.

37 QVAERES. An penſiones extinguantur profeſſione, an durent, & tranſeant in monaſterium?

℞. Tranſeunt, tum quia nullo iure extinguntur. Tũ quia non veniunt in hoc caſu vti odioſo nomine beneficij. Tum quia æquiparantur vſufructui, qui tranſit ad monaſterium, ſupra q. 30. ſic tenent Rebuffus de pacif. poſſeſſ. num. 37. §. vltima concluſio Sanch. lib. 7. cap. 29. nu. 8. vbi refert alios opponentes. Vide Rodr. tom. 1. q. 37. art. 1. cum ſuo Compend. reſol. 15. num. 71.

38 QVAERES. An profeſſione religioſus fiat incapax recipiendi aliquod beneficium ſeculare, ſiue ſimplex ſiue curatum, ſiue epiſcopale?

℞. Religioſus per ſuam profeſſionem non euadit incapax beneficii epiſcopalis, ad quod poteſt eligi, cap. nullus, de electione in 6. Item ad dignitatem ſupremam in eccleſia collegata, docet Rodr. cit. Graff. part. 2. lib. 3. cap. 20. num. 7. Item ad curatum etiam perpetuo cap. quod Dei timorem. In iis autem prælationibus conſentire non poteſt ſine licentia ſui ſuperioris, qui eſt localis ſecundum Sanch. lib. 7. cap. 29. num. 65. ex cap. Si religioſus, de electione in 6. Et in his de iure non requiritur diſpenſatio Papæ, cum in citatis iuribus nulla fiat mentio, docent fere omnes cum Sanch. cit. num. 35. Compend. reſol. 15. num. 52. Ad beneficium ſimplex, ſeu aliã dignitatem aſſumptibilis non eſt cap. Super eo, de ſtatu mon. & argumento cap. Quod Dei, vbi fauore animarũ conceditur curatum, ergo alia prohibentur; quod ſi aliquando religioſi vocentur canonici in eccleſiis, tunc temporis tales eccleſiæ poſſidebantur à regularibus cum illis dignitatibus. Vide Silu. religio 7. q. 5. Roſel. Monachus num. 1. & 4. Arm. num. 4. & 5. Nau. com. 4. de

regul.

regul. num. 23. §. Ad quod, Rodr. tom. 1. q. 34. art. 4. tom. 3. q. 53. art. 2. cum ſuo Compend. reſol. 15. num. 6. Sanchez multos alios citans lib. 7. capitulo 29. numero 75.

Procedunt dicta ſecundum Nau. conſil. 10. de regul. num. 9. etiam pro Militaribus S. Iacobi Alcantaræ, Calatrauæ, & D. Ioannis, contra Sanchez num. 193. & alios.

Tamen cum beneficia ſecularia ſecularib. & regularia regularib. conferenda ſint cap. Cum de beneficio, de præbend. in 6. Clem. Vn. de ſuppl. negl. prælat. & colligitur ex cap. 10. Seſſ. 14. mandauit Greg. 13. huiuſmodi beneficia præſertim curata non eſſe concedenda regularibus ſine ſpeciali ſedis apoſtolicæ licentia, refert declarationem S. C. Sanch. lib. 7. cap. 29. nu. 71. & hoc eſt conforme iuri antiquiori cap. Peruenit, cap. Interdicimus 16. q. 1. & ſic ſeruari teſtatur Gonzalez. apud Quar. v. Canonicus regularis. Nald. ad dictum caput Peruenit. Et hoc factum Concil. cit. Seſſ. 14. cap. 11. expreſſe prohibet religioſis tranſlatis de vno ad alium ordinem, ſtatuendo illos eſſe omnino incapaces ad beneficia ſecularia etiam curata. Noſtris autem Patribus exiſtentibus in regnis Legionis, & Caſtellæ inter dicuntur beneficia, ex conſt. Inunctum, Eug. 4. Dat. 6. Febr. 1442.

Quando autem cura animarum annexa eſt monaſterio ad ſuperiorem ſpectat regularem præſentatio, & deputatio, examen vero, & approbatio ad epiſcopũ cenſuit S. C. Gonzalez apud Bettium in ſua praxi Tit. 4. cap. 29. §. Qui etiã, & hoc videtur conforme capiti Viſis & ſeq. 16. q. 1. vbi parochi regulares non inſtituuntur ſine conſenſu epiſcopi.

Penſionis ſuper beneficio ſeculari omnino incapax eſt abſq; ſpeciali Sedis licentia, quia ſi eſt incapax beneficii ſimplicis, eo magis penſionis acceſſoriæ docet Zerola v. Beneficium §. Quinto. Sanch. cit. n. 94.

39. QVAERES: An dignitates iuriſditionis ſeculares, & officia publica profeſſione perdantur?

℞. Sic

℞. Sic argumento cap. Scripſit 27. q. 2. Iuncta gloſ. Dignitate. Ratio eſt, quia huiuſmodi officia nimis diſtractiua ſunt à ſeruitio Dei, incompatibilia cum ſtatu regulari, ideo profeſſione extinguntur. Docet Graff. n° 10. in Addit. ad lib. 3. cap. 5. nu. 94. Sanch. lib. 7. cap. 12. num. 13.

40 QVAERES. An dignitas doctoratus ingreſſu religionis amittatur?

℞. Non, ſiue ſit in Theologia, ſiue iure canonico aut ciuili, Tum quia hæc eſt compatibilis cum ſtatu religioſo. Tum quia multum conducit hæc doctrina ſtatui regulari, præſertim Sacræ Theologiæ, & Decretorum, immo & iuris ciuilis. Docet Gulielmus Benedictus, cum Sanch. lib. 7. cap. 12. num. 13. Graff. cit. præced. q. nu. 20. Verum quidem eſt, quod effectus doctor ante ingreſſum non poteſt vti ſuis priuilegijs, niſi dependenter à placito maiorum, & poſt non breue tempus. Ius autem ciuile exercere, neq; docere poteſt extra, cum hoc illi ſit interdictum à Sacris canonibus.

41 QVAERES. An profeſſione perdatur nobilitas ſanguinis? Nobilitas ſanguinis prouenit ex cõſanguinitate paterna nobili ex legitimo matrimonio, paterna quidẽ, quia fæmina non dat nobilitatem, ſed auget, immo ignobilis nubendo nobili nobilitatur l. Mulieres C. de dignit. Legitimo autem, quia illegitimi filij ſunt quidem ex patre nobili, nobilitatem vero non contrahunt, ſed notati remanent.

℞. Non, quia hęc eſt ius quoddam ſanguinis naturale, & incõmutabile perpetuo durans l. Ius agnationis, ff. de Pact. Sic tenent Nau. q. 3. de red. eccleſ. Monit. 21. & in propugnaculo num. 7. Rodr. tom. 2. q. 78. art. 12. §. Hęc minus. Tiraquel. de Nobilit. cap. 26. Sanch. lib. 7. cap. 12. num. 13.

42 QVAERES. An profeſſione amittatur cognatio? Hæc triplex eſt ſanguinis, quæ vocatur naturalis, & conſanguinitas perſonarum ab eodem proximo ſtipite prouenientium carnali propagatione, de qua fuſe Sanch. lib.

7. diſp. 50. Legalis, quæ eſt propinquitas quarumdam perſonarum conſurgens ex adoptione. Ita doctores in cap. 1. de cognatione legali: & ſpiritualis ex ſtatuto eccleſiæ prouenıens ex Baptiſmo, ſeu confirmatione, de qua Sanchez cit. diſp. 54. De his quæritur an profeſſione amittantur?

℞. Non. Ratio communis eſt, quia nullo iure aut ratione diſconueniunt ſtatui religioſo, ſed potius illi conformes ſunt. Non naturalis, quia cum hæc immutabilis ſit, perpetuo manet. Non legalis, quia cum hæc imitetur naturam l. Adoptio ff. de Adopt. perpetuo durabilis & conſequenter tranſit cum profeſſo. Non ſpiritualis, quia ſpirituale non contradicit ſpirituali, vti eſt profeſſio; nec obſtat, quod profeſſus non poſſit eſſe compater. cap. Placuit 2. 16. q. 1. cap. Peruenit ad nos. 18. q. 1. cap. Non licet Abbati. diſt. 4. de conſecr. quia in illis textib. prohibetur eam contrahere, non vero deſtruitur contracta ante profeſſionem; immo ſi de facto leuarent de Baptiſmo, vel Confirmatione illam contraherent. Ratio autem cur non poſſint eſſe compatres, eſt quia religioni inſeruientes non poſſunt docere rudimenta doctrinæ Chriſtianæ à ſe leuatos de his Sacramentis; quamquam hiſce temporibus compatres non teneantur ea docere cum nō deſint multi Doctrinæ Chriſtianæ operarij in omnibus fere partibus Chriſtianæ religionis, inſtruētes pueros rudimentis Chriſtianæ fidei.

43 QVAERES. An profeſſione aquiratur priuil. vtriuſq; fori & canonis, an vero iam aquiſitū per ſuſceptionem habitus probationis, magis cōfirmetur profeſſione? Priuilegium fori eſt quo perſona eccleſiaſtica eximitur à laica poteſtate tam in temporalibus quam in ſpiritualibus quo ad cauſas tum criminales, tum ciuiles.

℞. Quod ad priuilegium canonis ex cap. Si quis 17. q. 4. quo quis eximitur à corporali offenſa, ita quod offendens perſonam eccleſiaſticam corporaliter incidat in excommunicationem dicti canonis, deciditur in cap. Religioſo, de ſent. excom. in 6. inijcientem manus violentas

in

in nouitium incidere in excommunicationem.

Quod ad priuilegium fori aliqui dubitant; verior tamen & communiſſima opinio eſt in oppoſitum, illos nẽpe frui eo priuilegio. Ratio eſt, quia illo gaudet omnis perſona eccleſiaſtica; ſed nouitij ſunt perſonæ eccleſiaſticæ, vt docent infraſcripti, ergo gaudent priuilegio fori. Minor ſuadetur. Tum quia ſunt partes licet imperfectę religionis, docent Sanch. lib. 7. cap. 13. num. 46. Tum quia ſicut initiatus prima tonſura clericus eſt, & perſona eccleſiaſtica, ita & aſſumens habitum nouitiorum fit clericus, & tenet paritas, quia ſicut prima tonſura eſt diſpoſitio ad ordines, ita nouitiatus eſt via & præparatio ad profeſſionem. Tum quia nomine eccleſiaſtici veniunt omnes, qui non ſunt laici, non enim datur medium; ſed nouitij non ſunt laici, ergo eccleſiaſtici. Quare ſicut alij eccleſiaſtici gaudent priuilegio fori. Ita docent omnes cum Nau. cap. 12. nu. 65. & conſil. 5. & 6. de foro comp. num. 4. Molina tom. 1. diſp. 139. & tom. 3. diſp. 671. Bonac. de iudicio publico p. 1. §. 2. num. 4. Rodr. tom. 2. q. 2. art. 10. Graff. tom. 1. conſ. 8. de Voto num. 11. Sanch. multos alios citans lib. 6. cap. 10. nu. 10. Eorum ergo iudices erunt Prælati regulares, quos puniri poterũt etiam pæna perpetui carceris, ob commiſſum homicidiũ ſi volunt remanere in religione, docent Sanch. cit. nu. 12. & 13. aliter recedentes ſunt puniendi à iudice ſeculari, docet Farin. in ſua practica crim. tom. 1. de Inquiſ. q. 8. num. 46. Ampl. 16. ex Sanch. cit. num. 14. Immo criminoſus poteſt caſtigari à iudice ſeculari, ſi poſita accuſatione, vel inquiſitione inſtituta ingrediatur religionem, ſtatuit Sixtus V. ſua Conſt. Cum de omnibus. Iuxta declarationem factam à Greg. 14. conſt. Ad Romanum §. Contra criminoſos. In hoc enim caſu poteſt poteſtas laica petere à ſuperioribus regularibus, vt dimittatur à religione, præmiſſa tamen prius proteſtatione ab illis, vt pæna corporali ſanguinis nõ puniatur. Nec obſtat cõſt. Clem. 8. quæ dictas conſtitutiones reduxit ad terminos iuris ſolum quo ad receptionem habitus, & profeſſionis,

vnde ea nondũ emiſſa poſſunt vt ſupra iudicari, quicquid in oppoſitum videantur dicere Vecchius diſp. 11. dub. 12. num. 11. & Homob. part. 2. Reſp. 190. Ingreſſus enim ad probationem eſt validus tantum in ordine ad profeſſionem, non autem ad excludendum nouitium à iudicio laicali. Vide dicta cap. 2. q. 58.

Deducitur ex his hoc priuilegium fori, & canonis non aquiri profeſſione ſed ſolum confirmari, & magis conſolidari, ac perpetuum, & immutabile robur recipere, cum nouitius de religioſo reuocabiliter fiat religioſus vere, & irreuocabiliter, ex cit. cap. Religioſo, de Sent excom.

44 QVAERES. An ſecunda religio, ad quã in priore profeſſus tranſit, ſuccedat in omnia bona, iura, & actiones, quæ habebat prior religio intuitu profeſſi? Sermo autem hic eſt de vtraque religione capaci bonorum.

℞. Bona priori monaſterio aquiſita profeſſione tranſeuntis, ſiue ante ingreſſum ſiue poſt, quouis titulo, ſiue per induſtriam, ſiue per donationem, legatum, emptionẽ. aut alium contractum remanent apud priorem religionẽ Probatur, Tum quia ita colligitur ex cap. Vn. 18. q. 1. de tranſlato ad epiſcopatum, cuius bona remanent monaſterio vbi ea aquiſiuit, ergo pari ratione idem dicendum de tranſeunte ad ſecunda vota. Tum quia Auth. cit. cap. Si qua mulier, 19. q. fin. dicitur abſolute, quod bona profeſſi competunt monaſterio, in quo profeſſus fuit, ergo cũ prior religio abſolute ea aquiſierit, non poſſunt tranſire ad ſecundam. Tum quia licet aquiſita ſint priori religioni intuitu profeſſi, & acceſſorie, & conſequenter videantur deambulatoria cum eo, hoc tamen verum non eſt, quia iſta conſequentia reſpicit ſolum aquiſitionis initium, ſeu eius motiuum, non autem factum ipſum, & actualẽ aquiſitionem, quæ eſt abſoluta. Tum quia ſi inſeruit ſecundæ religioni, ab ea alendus eſt, cum receptione eius ad profeſſionem ad id ſe obliget. Hanc tenent Nau. com. 4. de regul. num. 24. §. Vndecimo, & conſ. 55. de regul. nu. 9. Silu. religio 4. quæſt. 10. Sanch. lib. 7. cap. 32. num. 8. vbi plures citat, Portel. v. religionis tranſitus. §. Bona

tran-

tranſeuntium Mir. tom. 1. q. 31. art. fin.

Procedunt dicta, 1. ſi bona actu ſunt acquiſita priori religioni, quia ſi ſpes ſit tantum aquirendi, ea tranſit cũ profeſſo ad ſecundam religionem, vt alijs citatis docet Sanch. cit. num. 16. per cap. Vn. 18. q. 1. iuncta gloſa. 2. non ſolum quo ad proprietatem, ſed etiam quo ad vſum fructum, docent præcitati contra Rodr. & ſuum Comp. reſol. 123. num. 82. & alios ab eo citatos 3. etiã in bonis aquiſitis tempore nouitiatus in ſecunda religione ante profeſſionem, quia adhuc eſt religioſus prioris religionis, docent Nau. cit. num. 24. Sanch. cit. num. 9. intellige, niſi eo tempore aquiſierit intuitu ſecundæ, vt quia dans ignorabat illum fuiſſe alterius religionis, vel quid ſimile. 4. in hæreditate delata ex teſtamento, licet nondũ adita ante profeſſionem in ſecunda, quia prior religio habet ius ad illam, hoc ipſo quod delata eſt, licet profeſſus eam non adiuerit, reſoluit Sanchez cit. numero 18. cum Molin. Leſſio, & alijs reſpondens obiectis alterius opinionis.

Non procedunt. 1. in tranſlato non ad profitendum, ſed in pænam, tunc enim tranſit cum illo vſusfructus nõ omnis ſed ſufficiens ad alimentandum religioſum ſic trãſlatum, ex cap. De lapſis, 16. q. 6. cap. Siquis rapuerit, 27. q. 1. Rodr. tom. 2. q. 79. art. 2. & tom. 3. q. 52. art. 27. in fine. limitat Sanch. cit. num. 48. niſi eius obſequia æquiualeant alimentis 2. quando inſtitutio eſt ſub conditione, quæ ſolum impletur poſt profeſſionem in ſecunda religione, in eo caſu relictum aquiritur ſecundæ religioni, quia in vltimis voluntatibus ſpes nõ transfunditur ad hæredes, ſed aquiſitio fit tempore adimpletæ conditionis, docet Sanch. cit. num. 41. alijs citatis. 3. quando vſusfructus ſolus relinquitur profeſſo ad eius vitam à conſanguineis, vel aliis, ſiue adſit conditio, ne ſuperior ſe ingerat, ſiue non, quia hoc relictum cenſetur inſeparabile à perſona, & illi ſoli conceſſum, non autem monaſterio, prius tenet Sanch. cit. num. 14. & ſic tranſit cum eo ad ſecundum conuentum. 4. quando in priore religione fuit

inualide profeſſus, tunc enim omnia ſecum transfert Nau. cit. num. 24. Portel. cit. §. Dixi · Compend. cit. num. 82.

Tranſiturus ergo ſecum ferre non poteſt, præter veſtitum, niſi libros à ſe compoſitos inutiles priori religioni de præſumpta ſuperioris licentia, Nau.cit.conſ. 55. nu.9. & 10. addit Valerus v. regularis, diff. 8. num. 2. poſſe libros vtiles etiam à ſe compoſitos deferre ſine licentia, quẽ citando ſequitur Diana reſol.63.de dub.regul.cuius dictũ non diſplicet.

An autem à religione incapaci tranſiens ad capacem recuperet ius aquirendi in ſecunda religione? Reſp. ſic, quia ex ſe non erat incapax, ſed tantum quatenus erat in illo ſtatu, à quo receſſit per profeſſionem in ſecunda religione, quæ ſucceſſionis, & bonorum capax eſt. De qua re plura Sanch. cit. lib. 7. cap. 31. à num. 20. ad 40. Et de hac re extat reſponſio S. C. ex Aldano lib. 3. can. reſol. tit. 8. num. 12. ſub die 22. Ian. 1622. referente Barboſa ad cap. 3. Seſſ. 25. num. 11. his verbis. Regularis ex indulto à religione Fratrum Minorum de Obſeruantia ad Tertium Ordinem S. Franciſci ex legitima cauſa translatus recuperat ius ſuccedendi in bonis ſibi ex teſtamento, vel ab inteſtato, poſt translationem delatis.

45 QVAERES. An profeſſione religioſus eximatur à quibuſcumque oneribus, datijs, & Gabellis, an hæc exemptio illi competat etiam ratione nouitiatus?

℞. Competit illi etiam ratione nouitiatus, ex probatis cap. 4. q. 1. §. Nouitius, & multo magis per profeſſionem conſolidatur nullo diſcrepante, cum ſine dubio profeſſus ſit perſona eccleſiaſtica; ſed omnis perſona eccleſiaſtica gaudet prædictorum exemptionibus ergo, & religioſus profeſſus. Sic tenent omnes in cap. Ea quæ, & cæteris capitibus. De Cenſ. cap. Tua nobis, de Decim. cap. Aduerſus de Immun. eccleſ. cap. Quamquam de cenſib. in 6. Comit. lib. 1. Reſponſ. Mor. q. 95. Portellus v. Tributũ Rodriquez tom. 2. q. 65. art. 2. & 3. cum ſuo Compend. reſol. 29.

46 QVAE-

46 QVAERES. An profeſſione religioſus eximatur à iuriſditione epiſcopi, an etiam in ſuſceptione habitus probationis?

℟. Antiquitus olim ſubdebantur epiſcopis cap. 1. cap. Si quis abbas. cap. Abbates. 18. q. 2. ex Nau. com. 4. de regul. num. 22. Hunc autem ex diuerſis eorum priuilegiis apud poſt citãdos ab eorum iuriſditione in plurimis exempti ſunt nouitij, quia pro ingreſſu examinãdi amplius non ſunt, vt probaui ſupra cap. 4. q. 30. quo ad renuntiationem vero illis ſubduntur ex cap. 16. Seſſ. 25. Et quia in epiſcopis duæ ſunt poteſtates vna ordinis, altera iuriſditionis, ideo ratione prioris ſubduntur, vt in receptione ordinum, criſmatis, & ſimilium à poteſtate ordinis epiſcopalis pendentium; non autem ratione poſterioris, niſi habeant delegationem à ſede apoſtolica, vt in multis caſibus in Concilio relatis; & ſic diſtinguit Graff. tom. 1. conſil. 3. de conſecr. num. 11. Vide de hac materia Rodriquez tom. 2. q. 63. cum ſuo Compend. reſol. pariter 63. à num. 14. Confect. tit. v. cap. 2. & 3. Summiſtæ v. exemptio.

47 QVAERES. An profeſſione, vel incolatu fiant ciues illius loci, vbi profitentur, vel habitant?

℟. Sic, quia ſunt pars illius cõmunitatis & loci quo ad fauorabilia, & tales eſſe ciues, vbi habitant docent Bart. apud Nau. com. 2. de regul. num. 63. §. Nunc. Megalius conſil. 95. num. 3.

48 QVAERES. An ius ſuffragandi tam actiue quã paſſiue tam in officijs, quam negotiis aquiratur profeſſione? Hoc eſt, an fiat capax officiorum ſuæ religionis per profeſſionem?

℟. Profeſſione expreſſa aquiritur ius ſuffragij paſſiui ad prælaturas, ſine qua profeſſione expreſſa nullus eligi poteſt ad prælaturam ſui, vel alterius ordinis cap. Nullus de elect. in 6. Neq; ad alia officia etiam adminiſtrationis Clem. Ne in agro §. Cæterum, de ſtatu mon. ergo multo minus ad officia, quæ non habent adiunctam iuriſditionem, vel adminiſtrationem, vt ſunt, defini tora us,

diſcretatus. Ius actiue ſuffragandi habetur ſola profeſſione tacita. cap. Ex eo §. In eccleſijs. iniuncta gloſ. Eligatur cit. cap. Nullus. De beneficijs regularibus Sanch. lib. 7. cap. 29. q. 3. à nu. 18.

Hinc deducitur nouitium, ſtatim ac eſt profeſſus in religione, in qua probatus fuit, habere ius ad vocem præſertim actiuam, & etiam paſſiuam, ſi habeat ætatem, & ordines ad paſſiuam requiſita, & hoc iure communi docent Nau. conſil. 2. de conſuet. num. 1. & de Subdiacono capaci vocis paſſiuę ad officium diſcretatus localis ad capitulum prouinciale decernit noſtri ordinis regula cap. 1. in fine, vbi in reliquis officijs exigit ſacerdotium. Conſuetudo autem, ſeu ſtatutum non ſuffragandi ſtatim per aliquod tempus profeſſione ſecuta, in communibus negotijs ſufficienter approbatur reſpectu eorum de recenter profeſſorum; qui non ſunt in ordinib. ſacris conſtituti à Clem. VIII. Inſtit. Nouit. §. Ab hoc tamen. Non continentur ergo profeſſi ſaltem ordine ſubdiaconatus inſigniti, qui ſtatim ſecuta profeſſione habent ius non ſolum in habitu, ſed etiam in actu ſuffragandi.

49 QVAERES. An ius præcedentiæ aquiratur profeſſione?

℟. Sic. Quia profeſſione facta incipit ſedere inter profeſſos in ordine ſuo; ſicut enim profeſſus omnia ſua bona iura, & actiones in religionem transfert, ex probatis q. 22. ita è contra conueniens eſt, vt religio ex parte ſua illi contribuat iura ſua præcedentiæ inter alios profeſſos. Et in hoc nulla difficultas.

50 QVAERES. An ratificans profeſſionem nullam, retineat illud ius præcedentiæ, quod habebat titulo profeſſionis nullæ validæ putatæ, an illud amittat, & ex tunc incipiat habere hoc ius?

℟. Ratificans ſuam profeſſionem alias nullam non amittit priorem locum, ſed illum magis confirmat, ac ſi antiqua profeſſio initio tenuiſſet. Probatur, 1. de iure, quia Ratihabitio retrotrahitur ad tempus actus geſti l. Licet ff. de Iud. l. fin. C. Ad Maced. & 10. de reg. iur. in 6.

n 6. ergo nouitius ratificando profeſſionem ſe referat ad priorem actum ac ſi illum valide ab initio egiſſet; conſequenter ius præcedentiæ, quamuis alias nullum conualeſcit prout ex tunc. Nec obſtat, cap. Significatum, cap. Cum virum de regul. vbi dicitur profeſſionem alias nullam ratificatione conualeſcere ex nunc, non ex tunc, vt dixi cap. 3. q. 18. quia dicta capita ſpectantur in ordine ad intrinſeca ipſius profeſſionis, non autem in ordine ad ejus effectus, vt ex ibi dictis colligi poteſt 2. à ſimili, quia ſicut per matrimonium legitimantur filij nati ante illud inter perſonas ſolutas, ac ſi legitimi ab initio fuiſſent, ita quod ex tunc ſuccedunt in iuribus paternis cap. 1. qui fil. ſint legit. quod tetigi ſupra q. 12. Ita profeſſus inualide dicitur filius illegitimus religionis, qui per ſubſequentem ratificationem legitimatur & valide profitetur, ac ſi ab initio fuiſſet verus religionis filius ſuccedens in omnia religionis iura, ſicut ſuccedit legitimatus per ſubſequens. 3. Sicut nati ex matr. in facie eccleſiæ celebrato bona fide, nullo tamē, habentur legitimi in ſucceſſione iuriū paternorum cap. 2. Qui fil. ſint legit. matrimonij nulli ſubſecuta ratificatione, iuxta doctores ſuper dictum caput, ita & filij religionis ex matrimonio ſpirituali nullæ profeſſionis reputari debent legitimi, quod ad iura religionis, cōſequenter etiam reſpectiue ad præcedentiam, non obſtante ratificatione, ac ſi ab initio fuiſſet legitimus religionis filius, ſuccedens in iura religionis ex tunc. 4. Quia ſicut cōtractus à minori factus ſine decreto iudicis nullus eſt, tamen ſi factus maior per quadriennium illum ratum habuerit, ex beneficio l. fin. §. 1. C. ſi maior factus &c. fiet validus etiam reſpectu temporis preteriti, ac ſi ab initio validus fuiſſet; ita idem dicendum eſt de ratificatione profeſſi. Tenet conſequentia, tum quia profeſſio eſt quidam contractus cap. 1. q. 39. tum quia tenet argumentum à filio minori ad filium religionis, ambo enim ſub iure alterius, quamquam ille factus maior non comparetur profeſſo, confertur tamen in ratificatione, & in hoc ſtat ſimilitudo, quod ſicut contractus alias nullus ratificatione

com-

conualeſcit ex tunc, ita & profeſſio. Demum ſic tenent Nauar. conſil. 27. de regul. Graff. tom. 1. conſil. 6. in fine de regul. Rodr. tom. 3. q. 17. art. 3. in fine. Sanch. lib. 7. diſp. 37. num. 68. in fine. Vecchius diſp. 14. dub. 8. vbi citat Suar. tom. 3. de religione lib. 7. cap. 1. nu. 34 qui omnes loquuntur de eo, qui ratificat profeſſionem, quam primo emiſit bona fide putans eſſe validam, nam ſi eam emiſiſſet nullam malitioſe, vt alteri locum debitum ſubtraheret, eo loco non gauderet reſpectiue ad tertium, quia fraus, & dolus nemini debent patrocinari ex vulgatis iuribus. Sequitur Scrofa in ſuo libello de inualid. profeſſ. dub. 18. de hac re. In his nullam puto eſſe difficultatem, quia nouiſſime Vrbanus VIII. in ſuo Breui incipiente. Religioſos viros. Dat. 2. Apr. 1631. profeſſionem nullam defectu nouitiatus non præmiſſi in loco deſignato à Sanctitate ſua de nouo emittentibus, & ratificantibus indulget, ſeu dicit, quod habeant eundem locũ, ſeſſionem, & votũ prout haberent, ſi priores profeſſiones validæ fuiſſent.

Prædicta habent locum in eo, qui nõ dimiſit habitum, nam qui à religione diſceſsit, laudabiliter viuens in habitu clericali, ſi redeat ad religionem, debet ratificare profeſſionẽ, & locus ei debetur à die ratificationis, Barb. collect. Bullar. v. religioſus, & ſuper Seſſ. 25. cap. 15. num. 14. ex declaratione Emin. 1. Febr. 1631.

51 QVAERES. Quid dicendum ſit de duobus nouitijs ſucceſſiue eodẽ die indutis habitu probationis, quorũ poſterior fuit ad profeſſionẽ admiſſus, & prior poſterius, vtrinam debeatur locus?

℟. Si conſtet de dolo ſ. quod poſterior indutus habitu prius profecerit etiam de conſenſu ſuperioris, vt priori auferret locum, in eo caſu non debet gaudere prioritate loci. Tum quia fraus, & dolus nemini debẽt patrocinari cap. Ex tenore, de reſcr. Tum quia ex ſua iniquitate nemo debet commodum reportare cap. Intelleximus, de Iud. Tum quia prior indutus habebat ius ad profitendũ ante eum, qui poſterior fuit indutus ex illa regula, qui

prior

prior eſt tempore potior eſt iure. Si non conſtet de dolo, adhuc præſumitur ex citata regula iuris, quia ſuperior debebat recipere ad profeſſiouem eum, qui prius fuit indutus, maxime, cũ nulla eſſet ratio priorem poſtponendi, vt ſuppono. Quare cum in hoc caſu vtrobiq; præſumatur fraus non poteſt gaudere illo loco, neq; ſuperiores debent hoc permittere, altero nouitiorum contradicente. Quamuis autem Sacra Congr. vt refert. Nald. profeſſio 10. cenſuerit præcedentiam attendi reſpectu profeſſionis, non acceptationis, aut receptionis habitus, hoc intelligendum eſt excluſa fraude, & etiam quando prior receptus tempore profeſſionis non habet ætatem requiſitam ad profitendum, in eo enim caſu alter alio poſterior prius proficiendo obtinet locum de iure, quia in eo caſu nulla præſumitur fraus.

52 QVAERES. Quid dicendum ſit de expulſo à religione, an ſi regrediatur poſſit gaudere priori loco?

℟. De iure expulſus cum adhuc ſit vere religioſus, ita quod non tenetur reproficere, probaui cap. 2. q. 71. ſine dubio habet ius ſaltem remotum, & in habitu ad ſuum locum, ſuis tamen exceſſibus pertubatum, ad quem ideo à ſuperioribus non ſtatim eſt admittendus, ſed in pænitentiam, & mortificationem ſuorum exceſſuum in humili loco reponendus eſt. Et ab his non recedunt Rodr. tom. 1. q. 30. art. 29. ad finem Nau. conſil. 80. de regul. ad finem Sanch. lib. 6. cap. 9. nu. 33. Compend. reſol. 57. nu. 13. Bonac. q. 2. de claui. p. 12. §. 2. nu. 2.

53 QVAERES. An tranſiens ad aliam religionem habeat locum iuxta priorem profeſſionem, an ſecundum poſteriorem factam in ſecunda religione, ad quam tranſiuit?

℟. Secundum poſteriorem, quia per hanc aquiſiuit ius præcedendi in ſecunda, quo carebat ante. Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5. num. 103. vbi citat Nau. conſil. 11. de Maior.

54 QVAERES. Quid dicendum ſit de reuertente à ſecunda religione poſt factam profeſſionem ad priſtinam

ſtinam an habeat antiquum locum?

℟. Deciditur caſus in cap. Mandamus 19. q. 3, relato cap. 12. de Aetate &c. vbi canonicus regularis factus monachus,& reuerſus manet vltimus in choro, & cucullam defert in memoriam ſuæ inſtabilitatis. Idem ſimiliter dicendū eſt de alijs religioſis, quia viget eadē ratio, amiſit enim ius quod habebat in priori ordine per profeſsionē in ſecundo.

Dices. Iſte reuerſus habet maius ius præcedentiæ. cum per poſteriorem profeſsionem non fuerit prior extincta, quā expulſus, qui nullum ius habet in religione, à qua vti membrum putridum fuit præciſus, ſed expulſus habet ius ſaltem in habitu cū eius profeſsio nō fuerit caſſata per eiectionem, ergo & reuerſus non ſolum habitu,ſed etiam actu retinebit antiquum locum.

℟. Hunc reuerſum nō habere maius ius, immo nullum quia prior profeſsio omnino extincta fuit, vnde indiget noua profeſsione, à qua incipit habere ius præcedentiæ, & de hac reprofeſsione dixi cap. 2.q. 11.

55 QVAERES. An qui religioni coaptatur in numero conuerſorum, ſi deinde fiat clericus, debeat præcedere habito reſpectu ad profeſsionem, an ad clericatum alijs clericis profeſsione poſterioribus?

℟. Præcedentiam habet reſpectu habito ad clericatū, non ad profeſsionem, vnde præceditur ab omnibus alijs clericis, qui poſt ipsū profeſsi ſunt, modo prius receperint ordinationem clericalem. Ratio eſt, quia per profeſsionem aquiſiuit ius præcedendi modificatum. i. ſolum inter conuerſos, nō inter clericos,ius.n.præcedendi aquiſitū per profeſsionem à laico non comparatur niſi cum laicis, non autem cum clericis etiam poſt profeſſis. Antecedens conſtat, quia nullus conuerſorum, data quacumq; profeſſionis antiquitate vnquam procedit clericum etiam vnius diei. Confirmatur argumento eorum, quæ habentur cap. fin. diſt. 17. cap. 5. diſt. 74. cap.fin. diſt. 75. cap. 1. de Maior. in quibus locis in præcedendo, ſedendo,&c. attenditur tempus ordinationis, ergo dicendum eſt idem

in

in ordinatione regulariũ,cõſequenter dictus laicus factus clericus ex tunc incipit habere ius pręcedentiæ reſpectiue cum alijs clericis, qui poſt ipſum erunt ſuper quoſcumq; laicos etiam priores illo profeſſione.

56 QVARES. An nouitij clerici præcedant laicos profeſſos?

℞. Præcedunt. Tum quia illud quod eſt dignus debet attendi, & præferri, l. Cum diuerſo. ff. de relig. & ſumpt. fun.& dignioribus dignior locus debetur gloſ. Digniores, cap. Cum dilectus, de elect. Sed nouitij clerici ſunt digniores laicis etiam profeſſis,vt de ſe conſtat; ergo illos præcedere debent. Tum quia prius nominatus debet præferri per T. in l. Quoties, ff. de Vſufr. facit gloſ. in cap. Bene quidem, v. Mediolanenſis diſt. 96. facit etiã dictum Baldi in l. 1. C. de edic. vbi dicit, quod primo nominatus eſt dignior, & hæc eſt communis opinio apud collegium Paduanum conſil. 2. num. 37 referente Graff. in Addit. ad primam partem lib. 3. cap. 5. num. 138. ſed nouitii prius nominantur, quam conuerſi, vt apparet in conſt. Clem. VIII Sanctiſſimus in Chriſto, de numero religioſorum præſcribendo in vnoquoq; conuentu, ergo nouitii habent præcedere. Demum,quæ faciunt vnũ corpus non debent diuerſo iure cenſeri, ex cap. 3. de conſt. ſed nouitii,& profeſſi in ratione clericatus faciunt vnum corpus, ergo non debent cenſeri diuerſo iure præcedentiæ Nec obſtat ius profeſſionis.quia hoc conuerſi inter ſe ſolũ habent, & non reſpectiue ad clericos, ex prædictis in ſuperiori quæſtione.

57 QVAERES. An presbiter ante legitimam ętatẽ actus, poſsit gaudere loco inter presbiteros iuxta profeſsionem, an exſpectare debeat tẽpus legitimæ ætatis?

℞. Non poteſt, quia licet valide receperit hunc ordinem, non tamen aquiſiuit ius ſedendi cum ſacerdotib. in ſuo ſitu, quia talem ſeſſ. non meretur,niſi in legitima ætate conſtitutus; & ſic abiiciendus eſt, quia in eo, in quo quis deliquit, venit puniendus cap. 42. de appell. cap. fin. de vſur. Hanc videtur ſupponere Nau. conſil. 24. de ſent. excom.

58 QVAE-

58 QVAERES. An religioſus doctor præcedat omnes ſimplices ſacerdotes etiam multo tempore priores illo profeſsione?

℞. Præcedit. Probatur. Tum quia vbi eſt maior dignitas, prioritas, temnoris non attenditur argumento eorum, q uæ habentur in cap. Statuimus, de Maior. & per Felinum in cap. Clerici, de Iud. Sed maior eſt dignitas doctoris humana exiſtimatione, quam ſimplicis ſacerdotis; doctor enim præter dignitatem ſacerdotalem habet etiam dignitatem doctoratus, hic enim dignitas, eſt l. Prouidendum C. de Poſtul. ex Graff. in Addit. ad lib. 3. cap. 5. num. 94. Tum quia maioris dignitatis exiſtens præfertur aliis gloſ. Et viliores, cap. 15. de reſcr. per cap. Placuit, §. Propter eorum. diſt. 16. Tum quia Magiſter ſic dicitur quia maior eſt in ſtatione ex cap. 2. Clem. de Magiſtr. Tum quia, qui præcedit alios dignitate, debet eoſdem præcedere etiam in aliis, vt habet gloſ. in cap. Denique, diſt. 4. per cap. Vtiliſsimus, 1. q. 1. ſed doctor præcedit dignitate ſimplices ſacerdotes, ergo & aliis præminentiis loci, ſeſsionis &c. Tum quia duo vincula ſunt fortiora, quam vnum ex cap. 1. de Tregua §. Et quoniam, ergo ſecunda dignitas priori addita dat maius ius. Tum quia ſicut doctor duarum facultatum præcedit doctorem vnius, vt reſoluit Panor. & alii de communi, teſte Nau. conſil. 5. de Maior. num. 6. ita ſacerdos etiam doctor præcedit ſacerdotem non doctorem. Tum quia ſicut habens dignitatem æqualem habenti aliam, & qualitatem aliam notabiliter conſiderabilem ad præcedendum, de iure præcedit alium habentem aliam ſimilē ſine tali qualitate, vt videtur probare textus in l. 2. C. vt dign. ordo ſeru. ita ſacerdos cum dignitate ſeu qualitate doctoratus præcedit ſacerdotem alium ſine qualitate doctoratus. Tum quia ſacerdos ſimplex vnicam habet rationem præcedendi, nempe titulum profeſsionis, quo nō caret doctor, qui præterea habet eam qualitatem, ergo maius ius habet præcedendi, ratio enim duplex vnam vincit l. Nam & ſi parentibus, ff. de inoff. teſtam. Tum

quia

quia ſicut ſe habet poſterior ſacerdos ad clericum profeſſione priorem, ita doctor poſterior profeſſione, ad ſimplicem ſacerdotem profeſſione priorem, ſed ſacerdos poſterior profeſſione pręcedit clericum profeſſione priorem; ergo & doctor præcedit ſacerdotem, licet profeſſione priorem. Demum S. Franciſcus in ſuo teſtamento, Portello referente part. 2. caſu 31. num. 18. iubet, vt Theologis honor, & veneratio exhibeatur, eo quod nobis miniſtrant ſpiritum, & vitam; & *B*ald. à Silu. v. Expenſæ num. 3. relatus dicit, quod Abbas debet melius veſtiri, quam monachus, magiſter in Theologia, quam alij fratres, & doctor, quam ſcholaris.

Nec dicas obſtare conſt. Clem. VIII. pro reformatione regularium num. 16. illis verbis. *Nullus niſi actu legat, vel prædicet aliquo ſui gradus priuilegio gaudeat.* Quia ibi ſermo eſt de lectoribus, & prædicatoribus vt de ſe patet, non autem de Magiſtris, & doctoribus. Si autẽ inter Magiſtros aliquis ſit actu lector præcedit alios actu non legentes docet Nau. conſ. 5. de Maior. num. 6. aliis citatis. Hæc in gratiam doctorum, inter quos pleriq; hoc nomine tantum inſigniti alios vere doctos dehoneſtant, & ſuperiores hos ignaros admittentes digni ſunt non leui pæna, fere inexpurgabili, cum ignaros adijcientes doctis, procurare debeant diſiungere.

59 QVAERES. An doctor in Theologia, & iure canonico præcedat doctorem tantũ altero gradu?

℞. Præcedit. Faciunt adductæ rationes in præcedenti quæſito; & ita aſſerit Panor. in cap. 2. de iud. cum Nau. conſ. 5. de Maior. num. 6.

60 QVAERES. An doctor in Theologia præcedat doctorem Decretorum.

℞. Præcedit. Tum quia prima ſedes debetur Theologo. P. Vincentius Placentinus ordinis Prædic. lib. 2. in oratione incipiente. Honorabiliorem. Tum quia Theologus verſatur circa nobilius, & longe præſtantius obiectum, nempe erga Deum, quam canoniſta. Sic tenent Ioannes Andr. & Panorm. in cap. Clerici, de Iud.

quos

quos ſequitur allegans Graff part. 2. lib. 3. cap. 13. n. 22. dicens, quod Magiſter in Theologia præfertur doctorib. in altero iurium, & doctor in altero iurium doctoribus in medicina, & doctores decretorum debent præcedere dores legum, quia ſcientia canonica nobilior eſt ſcientia legali, vt docent præcitati ab illo.

61 QVAERES. An prius ad laureã doctoratus promotus præcedat ſecundario promotum, licet prioré profeſſione?

℞. Ita, Probatur tum ex illa regula, qui prior eſt tempore potior eſt iure; tum quia præcedere debet, qui prius dignitatem recepit cap. 7. diſt. 17. cap. 5. diſt. 14. cap. fin. diſt. 75. ibi gloſ. v. Præferre cap. 1. de Maior. Quoniam ille gradus cæteros antecedit, quem labor prolixior, & ſtipendia lõgiora fecerunt anteire. l. Nemo C. de off. ma. off. Verumquidem eſt quod ex induſtria recentior in ſtudijs non debet admitti ad hunc gradum, alio excluſo cuius labor fuit prolixior, quia in tali caſu præſumitur dolus, qui nemini debet patrocinari.

62 QVAERES. An dimiſſus probata nullitate profeſſionis, ſi pænitentia ductus reuertatur, habeat ius ad antiquam præcedentiam, ac ſi à religione non receſſiſſet?

℞. Non habet. Tum quia canonicus regularis factus monachus reuerſus debet ſedere vltimo loco in memoriã ſuæ inſtabilitatis, deciditur in iure citato ſub q. 54. ergo eo magis iſte nulliter profeſſus dimiſſus reuertens debet ſedere vltimo loco, cum in eo arguatur maior inſtabilitas. Tum quia reuerſus ad ſeculum nondum valide profeſſus reputatur ac ſi nunquam fuiſſet in religione, in qua nullũ ſtabile ius aquiſiuit; ergo nequaquam vti poteſt priori feſſione. Tum quia licet ratificans profeſſionem non amittat priorem præcedentiam ex probatis q. 49. perdit tamen in caſu præſenti, quia non dicitur proprie ratificare profeſſionem, cum huic iuri renuntiauerit dimittendo habitũ, ſed dicitur primo profiteri. Tum quia licet Vrbanus VIII. in ſuo Breui, de quo ſupra cit. q. 49. in fine, ſtatuat

ſtatuat, ratificantes profeſſionem nullam ex præmiſſo nouitiatu in loco non deſignato, non amittere priorem ſeſsionem, & alia id genus, tamen non habet locum in caſu præſenti, quia Papa loquitur de illis, qui perſeuerantes in religione profeſsionem ratificauerunt, non vero de illis, qui dimiſsi, pleriq; injuſte, & à iudice non competente, habitum dimiſerunt, abutentes apoſtolico priuilegio, quo ideo gaudere non debent, quia priuilegium meretur amittere, qui ſibi permiſſa abutitur facultate cap. 7. diſt. 74. cap. 18. de regul. cap, 11. de priuil. Quare reuertẽtes benigne quidem amplexandi ſunt tamquã oues errantes ad ſuum paſtorem denuo conuerſæ, ipſis propoſita inſtabilitate, propter quam in ſignum pænitentiæ tam grauis transgreſsionis humiliter ſe gerere debent vltimo loco ſedentes, vt humiliati exaltentur poſtea, futuris eorũ ſuffragantib. bonis operibus, & meritis. Ita deciſum fuiſſe, die 1. Febr. 1631. apud Barb. ad cap. 15. Seſſ. 25. num. 14. refert Sellius in ſelectis canon. cap. 18. numero 3.

63 QVAERES. An ſimul prior, & magiſter in capitulo præcedat priores non magiſtros, quod idem quæritur de definitore magiſtro cum alio non magiſtro?

℞. Præcedit habens plures gradus eũ, qui minores habet. Tum quia dignitas addita dignitati dat maius ius ad præcedendum. Tum quia doctor diuerſarũm facultatum præcedit doctorem vnius, ex Panor. de communi apud Nau. conſil. 5. de Maior. Faciunt dicta ſub quęſtione 57.

64 QVAERES. An Definitor præcedat in omnibus conuentibus ſuæ prouinciæ?

℞. Sic. Quia habet dignitatem, & perſonatum ſe extendentem per totam prouinciam, ad quem eius negotia expedire ſimul cum prouinciali definire habet ex vi ſui officij, & nominis. Præcedit etiam Cuſtodes, & Diſcretos, quià iſti duo ſunt minoris conditionis, cuſtos enim prælatus non eſt in noſtra religione, cum iuriſditionem nõ habeat, ſicut neq; inter Minores de Obſeruantia docet

Rodr. tom. 4. Sum. cap. 104. ſe corrigens de oppoſito, quod dixerat, tom. 1. q. fin. art. 2. apud ſuum Comp. reſol. 49.num.7. Aliud autem officium, ſeu ius non habet, præter ſuffragium in capitulo generali ad electionem Generalis, & quatuor definitorum generalium, ex conſt. Decet Romanum Clem. VIII. regula autem illi nullum ius tribuit, immo neq; in ea nominatur. Diſcretus vero prouincialis habet comitari prouincialem, & ſcribere ex officio ſuo, vnde eſt potius officium oneris, quam honoris, eſt enim ſcriptor, & ſcretarius Prouincialis, & ſuffragatur in capitulo Generali, vt ſupra.

65 QVAERES. An prior in alieno conuentu, & Prouincialis in aliena prouincia præcedant?

℟. Non, quia ibi ſunt tamquã priuati religioſi, cũ ille in ſuo conuentu, & is in ſua prouincia ſint ſuperiores, quorum iuriſditio, & dignitas vlterius ſe minime extendunt, ergo neq; ius præcedentiæ. Quod ſi contingeret duos priores ſub eadem Cruce ire proceſſionaliter ambo ſimul pergere debent, præcedente altero, cuius Crux anteſertur, quia Crux antiquioris conuentus regulariter eleuanda eſt. Honoris gratia hoſpitio receptus iuxta ſuperiorem ſedere conueniens eſt, & honeſtum, ne dignitas ſuperioratus videatur contemni.

66 QVAERES. Quomodo præcedentia attendatur in capitulis tam Generali, quam Prouincialibus, an locus debeatur ſecundum antiquitatem Prouinciarum, vel Conuentuum?

℟. Præcedentia inter Patres, ſeu Prouinciales in capitulo Generali, & Priores in Capitulis Prouincialibus attenditur antiquitate Prouinciarum in illo, ſeu conuenuentuum in iſtis, non ex profeſsione vocalium, aut conuentuum vbi reſident. Ita reſoluit Nau. conſ. 10. de Maior. num.7.& 8. pro Capitulo Generali Minimorum In mea religione, ſi ſeruaretur is modus, deberet præcedere Prouincia Bononienſis, quia alijs antiquior eſt, cum habeat conuentum dictum S. Marię Cellæ Bonhoræ Mõtisflorum, ſibi vnitum, & aggregatum, priorem,

qui antiquitus erat ſub prouincia Montis Feltri, in qua primum celebratum fuit Capitulum Generale huius ordinis, die 25. Iul. 1458.

67 QVAERES. An effectus ſupradicti habeant ſuum eſſe etiam profeſſione inualida exiſtente?

℟. Non. Quia omnis effectus habet eſſe à vera cauſa, non autem à ficta, ſeu inualida, & falſa, quæ cauſa non dicitur §. Paulus ff. de verb. ſign. & cum ex nichilo nichil fiat, Ariſt. 1. de gener. ex profeſſione nulla ſequi non poſſunt præfati effectus prouenientes ſolum à vera profeſſione. Excipe tamen remiſſionem omnium peccatorum conſequentem ex profeſſione etiam inualida, ex alio tamen defectu, quam ipſius profitentis, quia is actus ſe totum offerẽdi Deo in profeſſione bona fide à nouitio præſtitus inducit hunc effectum remiſſionis peccatorum quatenus votum eſt, non quatenus contractus, ratione cuius aliunde poteſt eſſe nullus, licet in ordine ad Deum perfectiſſimus. Vide dicta ſuperius q. 8. Per ratificationem vero profeſsionis omnes effectus à profeſsione pendentes, & eius occaſione acti ſuum eſſe, & vigorem recipiunt, vt de eius præcedentia conſtat ex dictis hic ſub q. 49. pag. 280. & de contractibus dicam cap. 6. q. 26. & 29.

T 2 CAPVT

CAPVT SEXTVM

De Profeſſione Ratificanda.

QVandoq; profeſſio emiſſa nulla eſt, aut ex malitia, vel negligentia, tam profitentis, quam admittentium, ad quos ſpectat præuidere neceſſaria ad eius valorem, de quibus eſt actum in præcedentibus, ideo, vt ſic nulliter profeſſus poſſit manere in vocatione, qua Deus illum vocauit, in præſenti capite traditur modus reualidandi nullam profeſsionem.

1 QVAERES. Quid ſit Ratificare Profeſsionem?

℞. Eſt priorem profeſsionem nullam efficere validã per nouam promiſsionem Deo factam eidem religioni, cui primo ſe inualide deuouit. De hac ratificatione, ſeu ratihabitione, ſeu noua profeſsione emiſſa (hæc enim in idem coincidunt) fit mentio in iure cap. 1. de ijs quæ vi cap. Significatum, cap. Cum virum, de regul. cap. 1. eod. in 6. Patet ergo ratificationẽ ſupponere aliã profeſſionẽ, non qualemcumq; ſed dubiam aut nullam ratihabitione conualeſcentem.

2 QVAERES. Quibus modis nulla profeſſio ratificetur?

℞. Tot modis, quot primo fieri poteſt, & ſicut fieri poteſt duobus modis, tacite nimirum, & expreſſe, vt dixi cap. 1. q. 14. ita & nulla duobus modis ratificari; tacite quidem proſequendo geſtationem habitus profeſſorum, vel faciendo aliquem actum propriũ profeſſis, duobus præcipue concurrentibus, intentione profitendi per illos actus, & ſcientia nullitatis emiſſæ profeſsionis, iuxta mox dicenda. Expreſſe vero, quãdo fit nutibus, verbis, vel ſcriptura; & in ea quæcumq; verba ſufficiunt, ſicut ad primam profeſsionem, vnde quis agnoſcens inualiditatẽ ſuæ profeſsionis, dicat, (Mea voluntas eſt perpetuo manendi in religione, ac ſi prior profeſsio fuiſſet valida, quã

intendo

iutendo nunc reualidare) certe is dicitur ſuam profeſſionem ratificare. Hæc autem ratificatio contingere poteſt duobus modis, vel publice coram ſuperiore recipiente, & teſtibus, vel priuatim, & coram Deo, vtroq; modo fieri poteſt. Vide Rodr. de ea duplici ratihabitione tom. 3. q. 17. art. 15. Vecchium diſp. 14. dub. 3. & Sanch. lib. 5. cap. 3. ait quod licet profeſſio tacita rariſſime contingat poſt Concilium, tamen eius cognitio deſeruit, vt poſſit expreſſa profeſſio ratificari profitendo tacite.

3 QVAERES. An nulliter profeſſus teneatur eam ratificare?

℞. In duobus caſibus tenetur eam ratificare. Primo, quando ſibi conſtat de profeſsione emiſſa, ſolum autem dubitat de eius valore, quia præſumptio ſtat pro voto cõtra vouentem, & in dubijs tutior pars eſt eligenda, quæ eſt illã ratificare, iuxta à me dicta cap. 2. q. 6. & 16. docet Vecchius diſput. 14. dub. 2. num. 1. ex Nau. conſil. 13. de regul. num. 10. Sanch. lib. 6. diſp. 37. num. 12. Secundo, quando inualide profeſſus intendit remanere in religione. Suadetur, Tum quia hic perſeuerando in religione more profeſſorum decipit religionem, ergo ad euitandam hanc deceptionem, debet profeſsionem ratificare, ſaltem coram Deo, ſi occulta ſit nullitas profeſsionis. Tum quia debet ſe conformare alijs, cum quibus perpetuam tranſigere vitam intendit. Tum quia matrimonium carnale nullum, neceſſario eſt ratificandum à volentib. ſimul remanere, ita & profeſsio ſpirituale matrimonium. Tum quia vita communis diſciplinam cõmunem exigit cap. 3. de ſtatu mon. ergo & communem profeſsionem. Tum quia conuentus in ſua voluntate adhuc permanet, & ex parte ſua contractum perfecit, ergo & ex parte profitentis perfici debet, aliter contractus claudicaret. Tum quia quod ſemel placuit amplius diſplicere non debet, ſed ab initio placuit vera profeſsio, ergo & poſtea. In his nullam puto eſſe difficultatem etiam in ſententia Henr. lib. 11. & Sanch. lib. 7. diſp. 37. num. 38. opinantium inualide profeſſum ſiue bona

fido, ſiue mala, vt quia profecit ficte, vel animo non ſe obligandi, &c. non teneri profiteri de nouo. Sunt enim intelligendi, quando profeſſus intendit è religione exire, Sanch. num. 41. quod clarius ex ijſdem doctoribus, iuxta meum ſenſum, tradit Compend. reſol. 101. nu. 75. vbi citat Villalobos part. 2. tract. 3. Difficult. 25. nu. 6. Portellum v. profeſsio nu. 43. & 4. Rodr. part. 3. cap. 94. num. 5. Ratio eſt. Tum quia non magis obligatur poſt primam profeſsionem nulliter emiſſam, quam ante infra annum probationis, ſed in eo nullam habet obligationem, ergo. Tum quia per illam profeſſionem inualidam nullam contraxit obligationem remanendi.

4 QVAERES. An nolens ratificare profeſſioné, habens tamen intentionem manendi perpetuo in religione, cogi poſſit ad eam ratificanda?

℟. Cogi poteſt. Tum quia ipſe habet obligationem reproficiendi, ex probatis in præcedenti quæſito, ergo cogi poteſt. Tum quia hoc ipſo quod vult manere in religione, ſe ſubdit illius ſuperioribus, ergo poſſunt illum cogere. Ita Bonac. q. 2. de Clauſ. p. 10. diff. 1. num. 2. §. Secunda. Compend. reſol. 101. nu. 75.

5 QVAERES. An ſic manens in religione, ſine animo ratificandi profeſſionem, neq; habens voluntatem exeundi reclamando, vel fugiendo, ſit ſtatu peccati mortalis, peccetq; 1. percipiendo alimenta. 2. ordines. 3. excipiendo confeſsiones. 4. Confitendo confeſſarijs ab ordinario loci non approbatis 5. ſuffragando 6. vtendo alijs iuribus, & priuilegijs.

℟. Peccat mortaliter, Tum quia inobedienter perſeuerat in re graui. Tū quia ſibi vſurpat aliena iura, & priuilegia, quæ ſibi in eo ſtatu non competunt.

Primo percipiendo alimenta, niſi eius ſeruitus, & obſequium æquiualeat expenſis Nau. com. 4. de regul. numero 74. in 4. aduert. Sanchez lib. 7. diſputatione 37. num. 42.

Secundo recipiendo ordines peccat, quia non habet legitimam licentiam à prælato regulari, & ex hoc capite à

ſe à ſuorum ordinum executione ipſo iure eſt ſuſpenſus ex conſt. Pij 2. incipiente Cum ex ſacrorum ordinum, Dat. 1461. apud Quar, v. ordo. Et licet ſermo ſit de ſolis ordinibus ſacris, nichilominus in caſu noſtro ſic profeſſus inualide, reſpectu etiam ordinum minorum remanet ſuſpenſus ab executione illorum ſuſceptorum ex cap. 5. Seſſ. 6. vt videre eſt apud Compend. Bullarij in 2. quæſito Bullæ 7. Pij 2. & Seſſ. 23. cap. 8. ibi Barb. num. 40. Præterea ſubditur conſtitutioni Pij V. Romanus. Dat. 1568. in nouo Bull. Bulla 75. quæ prohibet nondum profeſſos recipere ordines ſacros ſine patrimonio, extēdendo caput Secundum Seſſ. 21. quod loquitur de clericis ſecularibus, ad religioſos nondum profeſſos; cum autem inualide profeſſus non dicatur profeſſus, ideo & de his loquitur dicta conſtitutio, cum ratio in illa expreſſa, & mens Papæ ex æquo militet tam in nulliter profeſſo, quã nouitio, ambo enim exire poſſunt. Et ita cenſuit Rota in vna Vrgell. canonicatus 3. Mart. 1595. apud Barb. ad cit. Seſſ. 21. num. 5. De hac ſecunda ſicut & de prima nonnulla bene diſcutit citatus Quar. Non tamen incurrit aliquam pænam, ex hoc capite, quod ſine patrimonio ſit ordinatus, quia Concil. innouat tantum pænam cap. Cum ſecundum, de præbend. quę eſt ſolum contra ordinantem, Tolet. lib 1. cap. 48. cum multis alijs citatis à Barb. ad dictum cap. 2. nu. 72.

Tertio peccat excipiendo confeſsiones, quia ſcit ſe nō habere legitimam licentiam, ſicut legitima non eſt pro receptione ordinum, verum quidem eſt, quod datę abſolutiones tenent, ſtante bona fide pęnitentium putantium eſſe verum religioſum; adeſt enim titulus coloratus, & error communis, quibus geſta tenent l. Barbarius, ff. de off. prætoris. docet Sānch. lib. 7. diſp. 37. num. 38. Neceſſe eſt ergo, vt præter titulum coloratum talis licētię, adſit etiam error communis .i. vt communiter ignoretur, illum eſſe inualide profeſſum, ſi enim omnes fere ſciunt, & ſit diuulgatum, non eſſe valide profeſſum, ſine dubio datæ abſolutiones non tenent, quia deeſt error cō-

munis, & ſic intellectus Bonac. cit. præcedenti quæſito bene loquitur aliter male quoq; carpit Sanchez. Si vnus aut duo ſcientes nullitatem profeſſionis confeſſarij, illi confiteantur, valide abſoluuntur, quia illa cognitio vti ſingularis non euacuat errorem communem, docet in ſimili idem Sanch. lib. 3. diſp. 22. num. 47. Et hæc procedunt, non ſolum ſi excipiat confeſſiones ſecularium, admiſſus ab ordinario loc.; verum etiam ſi admiſſus ſit ſolum intra religionem pro regularib. ſui ordinis per citatam legē; & dato quod ſuperior admittens ſciat hunc nullitatis defectum, adhuc valide admiſſus dicitur, tum quia iure pontificio non reprobatur admiſſio præsbiteri ſecularis à ſuperiore regulari pro ſuis ſubditis; vt colligo ex Rodr. tom. 1. q. 62. art. 4. tum quia ſolis pænitentib. prohibetur confeſſio extra ordinem; ergo tenet admiſſio, vnde neſcio quo iure Bonac. citatus id neget, ſine aliqua probatione.

Quarto ſine dubio non poteſt abſolui à confeſſario ſolum intra religionem admiſſo, ſed debet adire approbatum ab ordinario, quamquam ex alio capite nullam facit confeſſionem ex eo, quod non vult ratificare profeſſionem, ad quod tenetur ex ſupra probatis. Vide Sanchez cit. numero 42. Bonac. cit. Nau. cit. in quarta aduert.

Quinto peccat mortaliter ſuffragando, & eo magis recipiēdo ſuffragia, quia vtitur iure alieno ſolis vere profeſſis competente. Ita docent Rodr. tom. 2. cap. 94. nu. 5. Angles de Voto q. Vnica art. 1. diff. 4. apud Sanch. cit. num. 42.

Sexto demum fruendo alijs priuilegijs, & iurib. peccat ob rationes in præcedentibus allatas.

Prædicta omnia habent locum ſiue nullitas profeſſionis ſit nota, ſiue occulta, vt ex titulo quæſiti id conſequitur; ſi eſt nota, nulli dubium eſt hunc peccare, quia nō habet excuſationem, ſe prędicta præſtare ad euitandam infamie, notam, cum & ſuperiores debeant illum excludere ab omnibus illis actibus; ſi vero ſit occulta remedium

hab..

habet ad euitandum peccatum, & infamiam ratificando coram Deo profeſſionem, dato quod velit remanere, in caſu quod nolit remanere, bene procedunt dicta à Sanchez lib. 7. diſp. 37. q. 5. à num. 36. ad 45. Et quando profeſſio eſt nulla alio defectu, quam vitioſo ipſius profeſſi, non video, qua ratione incurrat infamiæ notam, declarando ſe non eſſe valide profeſſum, & nolle remanere in religione, vnde nota infamiæ videtur habere locũ ſolum, quando ficte, & ſine animo profitendi emiſit profeſſionem.

6 QVAERES. Quot menſes & tempus habeat ad deliberandum pro exitu, vt interim ſine peccato prædicta præſtare poſſit, ac ſi eſſet vetus religioſus. Quæſtio habet locum dum profeſſus eſt in mala fide, nam ſi ignoret ſe inualide profeſſum, ſine dubio non peccat, quia vti profeſſus illis potitur iuribus.

℞. Stante mala fide tenetur, quamprimum poteſt procurare remedium exeundi. Tum quia aliter videtur potius ſimulare exitum, quam remedium procurare. Tũ quia mora ſua cuiq; eſt nociua. Reg. 25. in 6. Tum quia ſtatus iſte eſt valde periculoſus; ſed vbi periculum timetur vitanda eſt mora cap. 3. d. 5. cap. 13. diſt. 28. maxime in periculo animæ gloſ. Mora cit. cap. 3. Quod ſi non poſſit probare ſuum intentum, vt quia non habet teſtes, vel quia caret pecunijs proceſſu formando, vel quia non poteſt habere patrimonium, vel aliunde impeditur, in eo caſu poteſt fugam arripere, vt probatur capite ſequenti q. 12. & hoc debet quamprimum facere, aliter ſi caſus fiat impoſſibilis, tenetur profeſſionem nullam ratificare, quia fruſtra expectatur euentus eius, cuius nullus ſequitur effectus.

7 QVAERES. An hoc tempus reclamandi, vel fugiendi quamprimum intelligatur non ſolum poſt quinquennium à concilio conceſſum Seſſ. 25. cap. 19. ſed etiã ante illud tempus, ſi prius deuenit in cognitionem nullitatis ſuæ profeſſionis,

℞. Statim ac de bona fide trãſit ad malam debet procurare

curare exitum, ſiue ſtante, ſiue poſt quinquennium. Ratio eſt, quia terminus à Concilio præfixus eſt ad ſolicitandum, non ad differendum reclamationem, ſed vt nulliter profeſſus ſciat, ſe non poſſe vltra illud tempus reclamare virtute Sacri Concilij, iuxta dicenda ſequenti capite. Quare qui bona fide de valore ſuæ profeſsionis, permanſit in religione pluſquam viginti annos, ſi poſtea deuenit in cognitionem nullitatis ſuæ profeſsionis poteſt reclamare, ſeu fugere, iuxta dicenda ſequenti capite.

Quicquid dicat *Bonac.* cit. q. 2. de clauſ. p. 10. diff. 1. nu. 2. §. Secunda, citans pro ſe Rodr. & Angles, aſſerens poſt quinquennium teneri ratificare profeſsionem, & in ſpecie Rodr. nil dicit. Vel dic Bonac. loqui de eo, qui cognita nullitate profeſsionis, ante quinquennium non reclamauit, potens reclamare, in tali caſu videtur obligari ad ratificationem, quia ſimulauit exitum, & cum quamprimũ teneatur procurare remedium exeundi, & negligens fuerit, videtur amittere ius reclamandi via extraordinaria, aut fugam arripiendi.

8 QVAERES. An inualide profeſſus, dum eſt in hoc ſtatu mobili ſibi permiſſo ad deliberãdum velit exire nec ne, an ratificare profeſſionẽ, teneatur ſeruare vota, & regulam, viuendo more aliorum religioſorum vere profeſſorum?

℞. Ex vi voti ad nichil tenetur, ex eo capite, quod nõ ſe obligauit, cum nullum fuerit votum nullam inducens obligationem. Nichilominus ratione vitandi ſcandali, aut ratione communitatis, in publico debet ſe conformare alijs, ac ſi eſſet profeſſus, eſt enim membrum ſaltem putatiue, quod cum alijs non debet à ſuo capite diſcedere cap. 1. diſt. 12. cap. Cum non liceat, de Præſcript. Sic tenent Angles part. 2. q. de Voto art. 1. diff. 4. Azor. lib. 12. cap. 5. q. 1. Sot. lib. 7. q. 1. art 2. Caiet. 2. 2. q. 88. art 1. ad finem.

An autem liceat reclamare quando, & quomodo, & in huius defectum fugere dicam plenius in ſequenti capite.

9 QVAE-

9 QVAERES. An ad ratificandum profeſſionē nullam requiratur ad hunc effectum ſcientia nullitatis profeſſionis?

℞. Requiritur, Suadetur. Tum quia voluntas non fertur in incognitum, ergo ſi vult ratificare profeſſionem debet prænouiſſe nullitatem eius. Tum quia ignorans non conſentit l. Si per errorem ff. de iuriſd. om. iud. cauſa 29. q. 1. initio, ergo ignorans nullitatem ſuæ profeſſionis, per quemcumq; actum ſubſequentem, etiam intentione eam ratificandi, non ratificat, ſi ignoret eius nullitatem, niſi ratificet ex ſuppoſitione, quod ſit inualida. Eſt communis ſententia Nau. com. 4. de regul. nu. 74. in 4. aduert. & conſil. 4. de ijs, quæ vi, &c. num. 8. conſ. 17. de regul. in fine. Conſil. 26. num. 19. conſil. 27. nu. 1. conſil. 89. num. 5. & alibi. Rodr. part. 2. cap. 8. n. 5. Sanch. lib. 7, diſp. 37. num. 59. Bonac. q. 2. p. 10. diff. 1. num. 3. §. Dixi.

10 QVAERES. An in ratificatione ex parte reprofitentis requiratur nouus conſenſus?

℞. Requiritur, quia iam ratificatio eſt noua profeſſio, de cuius valore eſt conſenſus, ex probatis cap. 2. q. 1. ſed in prima defuit, vel ſaltem non tenuit, ergo renouandus eſt. Eſt communis cum Sanch. cit. diſp. 37. num. 59. Bonac. cit. num. 3. Portellus v. Profeſſio num. 41. Hæc procedunt in quocumq; caſu profeſſio fuit nulla, quia ſi ipſa nulla, eſt, etiam conſenſus quamuis alias præſtitus fuit nullus.

11 QVAERES. An in ratificatione ex parte conuentus requiratur nouus conſenſus, an ſufficiat antiquus alias præſtitus? Poteſt autem profeſſio eſſe nulla defectu ſolius profitentis, vt ſi ficte, vel metu profiteatur, & in hoc caſu conueniunt omnes non requiri nouam acceptationē, quia ſicut matrimonium ex ſimili capite nullum conualeſcit ſolo conſenſu replicato ex parte deficientis, vt probat Sanch. lib. 7. diſp. 32. ita & profeſſio. Sic tenent Sa. u. religioſus num. 23. Sanch. cit diſp. 37. num. 60. & 61. Vel etiam nulla eſt defectu conuentus, vt cum vterq; pec-

cat,

cat, nempe quando admittitur nouitius infra annum probationis, ante legitimam ætatem, contra conſtitutiones, Sixti V. & Clem. VIII.

℞. Ex quouis capite profeſsio ſit nulla, & inualida ratificari poteſt ſine nouo conſenſu conuentus, ſed ſufficit prior adhuc remanens non reuocatus, modo vere præſtitus fuerit à côuentu, nec patiatur defectum nullitatis iuxta dicta cap. 3. per totum. Suadetur. Tum de iure cap. Perlatum, de ijs, quæ vi. cap. Significatum, cap. Cum virum, de regul. cap. 1. in 6. eod. vbi agitur de ratificatione, nulla facta mentione de nouo conſenſu ex parte conuentus. Tum quia prior ille conſenſus, licet fuerit illegitimus, quia iura prohibent illum præſtari, non tamen fuit inualidus, quia iura illum præciſe non irritant, ſed profeſſionem. Tum quia receptio facta de nouitijs non examinatis iuxta conſtitutiones Sixti V. & Clem. VIII. tenet, ex probatis cap. 2. q. 65. & cap. 4. q. 27. & tamen peccaminoſe præſtatur talis conſenſus, maxime ſi recipiantur criminoſi, quia Clem. VIII. reducendo conſtitutiones Sixti V. & Greg. XIV. ad terminos iuris communis, non ſuſtulit prohibitionem contra ſuperiores, qui illos licite admittere non valent, cap. 2. q. 58. ergo conſenſus illicitus ex eo quod eſt illicitus non eſt nullus. Tum quia ſi requireretur non poſſet poſt quinquennium præſumi ratificata profeſsio contra diſpoſitionem Sacri Concilij. Tum quia ſi nouus exigitur conſenſus maxime, aut quia fuit nullus ab initio, & hoc non, quia ſolum in caſibus Sixti V. irritabatur, modo ſublata per conſtitutionem Clem. VIII. ex citatis locis: Vel quia mutuus conſenſus debet eſſe contemporaneus, ſed hoc non eſt neceſſariũ, quia ſufficit ſi ſucceſsiue præſtatur, ſicut in alijs contractibus diuerſo tempore præſtari poteſt l. 1. §. r. ff. de Verb. obligat. Nec dicitur contractus claudicare, ſi profitens renouat conſenſum, non conuentus, quia eſt differentia, nam prior nouitij conſenſus fuit nullus, & non tantum illicitus, & ideo repetendus, non autem ille conuentus, cũ ab initio, vt ex dictis conſtat fuerit validus. Nouum cõ-

ſenſum non requirunt quando nulla eſt defectu ætatis, incompleti nouitiatus, vel ex metu. Nau. conſil. 27. de regul. num. 2. & conſil. 28. num. 3. Rodr. tom. 3. q. 17. art. 3. §. Aut nullitas, Graff. part. 1. lib 3. cap. 5. nu. 24. quicquid dicat Victorellus in quadam (ait) ſolemni diſputatione de hac re defectu præciſe ætatis, cuius argumenta ex dictis facile diluuntur. Leſſius lib. 2. cap. 41. num. 67. Silu. religio 5. q. 2. in fine Sorbus v. Nouitius §. Quarto Bonacina q. 2. de Clauſ. p. 10. diff. 1. num 4. Compēd. reſol. 101. num. 76. Portellus v. Profeſſio nu. 41. Scrofa dub. 9. de Inualid. Profeſſ.

Azorius lib. 12. cap. 4. q. 7. requirit nouum conſenſum ex parte cōuentus in nouitio ratificante profeſſionem nullam, in expleto probationis anno, & Vecchius diſp. 14. dub. 4 num. 5. Probat ille, quia ſicut ad matrimoniū ratificādū ex inhabilitate perſonarū nullū, poſita habilitate requiritur nouus conſenſus ex parte vtriuſq; ita & in profeſſione. Sed argumentum hoc bene curreret ſi inhabitaretur prælatus ad conſentiendum, vt tempore Sixti V. vſq; ad Clem. VIII. ex prædictis autem conſtat, modo eſſe ſimplicem prohibitionem, quando autem irritatur actus ſimpliciter profeſſionis inhabilitatur ſolū perſona illum faciens, cæteræ autem conſentientes ſolum dicuntur illicite agere, & contra prohibitionem. Vel dic adeſſe conſenſum legalem ſecundum Sach. citand.

Dixi. 1. Sufficere priorem conſenſum non reuocatum, qui non præſumitur reuocatus, ſed permanere, quia mutatio voluntatis non præſumitur. Abbas in cap. Maiores §. Item quæritur, de Baptiſm. num. 8. Rodr. tom. 3. q. 17. art. 3.

Dixi. 2. Modo præſtitus ſit validus conſenſus, nam aliter renouandus eſt, quia non eſt maior ratio cur renouetur nullus ex parte profitentis, & non ex parte conuentus, Rodr. cit. Verum quidem eſt quod ſi iſte defectus ſit occultus ſufficit interpretatiuus conſenſus & legalis, quod eſt dicere eccleſiam ſupplere hunc defectum in foro conſcientiæ fauore profitentis iuxta ea, quæ habet Sanche-

lib. 7.

lib. 7. diſp. 47. num. 64. admittens hunc legalem conſenſum reſpectu cuiuslibet profeſſionis nullę, quod intelligitur, & probatur in ijs caſib. in quibus profeſſio fuit nulla defectu inualidi conſenſus ex parte conuentus.

12 QVAERES. An volens profeſſionem ratificare debeat reiterare nouitiatum?

℞. Non, ſiue nouitiatus ſit validus, quod certum eſſe docet Sanch. lib. 7. diſp. 37. num. 45. ſiue nullus, quia incompletus, interruptus, vel peractus contra conſtitutiones Sixti V. aut extra locum deputatum contra conſtitutiones Clem. VIII. colligitur ex cap. Cum virum, cap. Significatum, de regul. in quibus, & aliis locis profeſſio ratificatur ſine noua probatione, & ita expreſſe docet Vrbanus VIII. in ſuo Breui dans modum ratificandi profeſſionem nullam, ex non præmiſſo nouitiatu in loco deputato. Ratio eſt, quia & ſi nouitiatus fuit nullus, tamen nouitius eo anno ſufficienter expertus fuit auſteritates religionis, & religio illius mores. Nec obſtat Concilium, dum requirit anni vnius integri probationẽ, quia loquitur in ordine ad profeſſionem, non ratcifiationem; vel dic, quod eſt ſatis integer quo ad experimentum, quod ſufficit. Tenent cum Sanch. cit. num. 47. Azor. lib. 12. cap. 1. q. 6. §. ſi quæras, Palacios in 4. diſt. 38. diſp. 1. idem Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 14. Bonac. p. 10. diff. 1. numero 5. Theſaurus relig. lib. 5. q. 97. cum Barboſa ad cap. 15. Seſſ. 25. num. 22. contra Nau. conſ. 26. de regul. num. 17. & 19. & conſil. 89. num. 5. Rodr. part. 2. cap. 5. num. 2. Suar. de relig. tom. 3. lib. 7. cap. 1. num. 8. qui cum Vecchio diſp. 14. dub. 5. ſuſtinent repetendum eſſe nouitiatum, quando fuit nullus; ſed non ſunt audiendi, quia nulla ſufficiens ratio id ſuadere poteſt, quæ ex dictis non ſoluatur. Et hæc procedunt, licet nullitas profeſſionis; & nouitiatus conſtet in foro externo docet Sanchez locis citatis.

13 QVAERES. An qui per longum tempus permãſit in religione, emiſſa profeſſione nulla, cenſeatur illam ratificare exercendo actus profeſſorum?

℞. In

℞. In foro externo præſumitur eam ratificaſſe, quia indiſtinctè cum cæteris profeſſis efficit actus proprios ſolis profeſſis, ergò præſumitur profeſſionem nullam ratificaſſe. Et id conſtat ex decreto Concilij 19. Seſſ. 25. vbi mandatur nullitatem profeſſos nõ eſſe audiendos vltra quinquennium, quia præſumuntur ratificaſſe profeſſionem, iuxta dicenda cap. ſeq. q. 11. Nau. conſil. 89. num. 3. Sanch. lib. 7. diſp. 37. num. 9. Vecchius diſp. 14. dub. 3. nu. 5. In foro autem Dei quouis tẽpore, etiam longiſſimo maneat, ea non ratificata ſcienter nullam inducit obligationem, iuxta ſuperius dicta q. 7.

14 QVAERES. An profeſſio ratificanda ſit publice, an ſufficiat priuata coram Deo facta occulte ab ipſo profeſſore?

℞. Quando nullitas profeſſionis eſt occulta, profeſſus volens, ratificare illam, non tenetur eam repetere publice, & ſolemniter coram prælato, & teſtib. quia nemo tenetur ſe prodere l. Nimis graue ff. de teſt. cap. 87. diſt. 1. de Pænit. §. His authoritatibus. Prætereà ratificatio potius reſpicit profeſſum, quam monaſterium, ergo illẽ, nõ id concurrit ad hanc ratificationem. Nau. conſ. 27. de regul. num. 2. Quando autem nullitas eſt publica & nota ratificanda eſt coram ſuperiore cum teſtib. iuxta præſcriptum Clem. VIII. Conſtit. de Inſtit. Nouit. §. *Superior cuiuſlibet conuentus, in quo nouitiatus fuerit conſtitutus particularem librum habeat, in quo vniuſcuiuſq; nouitij profeſſio regiſtretur, illamq; nouitius profeſſus propria manu, & duo teſtes, qui præſentes fuerint ſubſcribant.* Hæc ibi. Vide cap. 1. q. 37. vbi reddidi rationem huius ſubſcriptionis iuribus allegatis.

In hac autem cauſa teſtes poſſunt eſſe quæcumq; perſonæ ſcientes ſcribere, ſiue ſint ſeculares, ſiue eccleſiaſticæ etiam eiuſdem ordinis, ſiue conſanguinei eiuſdem profitentis, quia Clem. VIII. abſoluite loquitur de teſtib. ſubſcribendis, maxime cum hæc ſubſcriptio nulli afferat præiudicium.

Reſponſionem hanc approbat Nau. conſil. 27. nu. 2.

& eſt

& eſt conformis Breui Vrbani VIII. dum nulliter profeſſorum ex non præmiſſo nouitiatu in locis deputatis, de nouo profeſſionem recipi mandat Maiori pænitentiario de Vrbe, epiſcopis, vel ſuperioribus regularibus.

15 QVAERES. Ad quem ſuperiorem ſpectat recipere ratificationem profeſsionis?

℞. Ad eumdem, ad quem ſpectat recipere ipſammet primam profeſſionem. In ſpeciali autem caſu præcitati Breuis mandatur hæc facultas Maior Pænitentiario, vel Patriarchis, Archiepiſcopis, epiſcopis, cæteriſq; ordinarijs locorum, in quibus eorumdem religioſorum monaſteria, domus, ſeu conuentus, alia ve regularia loca conſiſtunt, ſine ipſorum religioſorum præfectis, ſeu ſuperioribus generalibus. Facultas ergo hæc extẽſa fuit ad alios prælatos, & ordinarios extra religionem in hoc ſpeciali caſu, quando profeſſio fuit nulla ex non præmiſſo nouitiatu in loco deſignato, & non alterius procedit.

16 QVAERES. Quid ſignificet illa clauſula. *Seruatis alias ſeruandis*, in dicto Breui poſita?

℞. Papa mandat præfatis Prælatis, vel ordinarijs, vt nulliter profeſſos, non præmiſſo nouitiatu in loco deſignato, recipiant denuo ad profeſſionem, abſq; nouo probationis anno, ſeruatis tamen alias ſeruandis .i. Sic inualide profeſſorum profeſſionem recipere debent faciendo illos ſubſcribere profeſſioni de nouo emiſſæ cum duobus teſtibus illam regiſtrando in libro iuxta dicta ſub q. 14. Deinde debent præmittere nouam acceptationem monaſterij, ſi ſint, opinionis contrariæ impugnatæ ſub q. 11. alias non, & reſeruatis ſpecialibus ſtatutis, quæ vnaquæq; religio ordinat in ratificandis profeſſionibus, præter nouitiatus repetitionem, quam Summus Pontifex excipit.

17 QVAERES. An in ratificanda profeſſione publice repetendæ ſint cæremoniæ, & orationes quæ ſolent recitari in celebratione primæ profeſſionis?

℞. Minime, quia horum repetitio neq; neceſſaria eſt

ad

ad ſubſtantiam ratificationis, quæ ſine illis ſubſiſtere poteſt; neq; vt per ea repetens profeſſionem, aquirat nouam peccatorum remiſſionem, quia huiuſmodi condonationẽ aquirit dum primo profitetur licet inualide, ſine propria culpa ex dictis cap. 5. q. 8. Sic docent Sanch. lib. 7. diſp. 37. numero 66. & cum eo Vecchius diſp. 14. dub. 6. & alij.

18 QVAERES. An profeſſio virtute ratificationis retrotrahatur quo ad ſuum valorem, ac ſi ab initio fuiſſet valida, an vero recipiat valere à puncto ratificationis, & prout ex nunc?

℞. A puncto ratificationis. *Sic colligitur ex cap. Significatum. cap. Cum virum iuncta gloſ. Roboratur. de regul.* Ratio eſt, quia conſenſus ita eſt de eſſentia valoris profeſſionis, vt ab initio requiratur. Sic tenẽt Nau. conſ. 26. de regul. num. 19. conſil. 27. num. 3. Rodr. tom. 3. q. 17. art. 3. ad finem. Et dixi cap. 3. q. 18. vbi §. Et ex his. obſeruaui retrotrahi quo ad effectus extrinſecos præcedẽtiæ, & ſimilium.

19 QVAERES. An impedimentum perpetuum, aut ad tempus, ſed habens tractum ſucceſſiuũ continue impediens reſpuat ratificationem profeſſionis, ita quod cũ impedimento profeſſus nõ poſſit ratificare profeſſionem, nec præſumi quod illam ratificauerit, poſito quocumq; longo tempore cum impedimento perſeuerante. Impedimentum autem perpetuum, ſeu ad tempus ſed ſucceſſiue durans eſt illud, quod perſonæ inhæret vti eius defectus, & cum eo, vt ita loquar, perpetuo, vel ſaltem ſucceſſiue ad tempus de ambulatorium, hebens tractum ſucceſſiuum continuo impediens valorem profeſſionis, & id conſtat exemplis allatis à Sanch. lib. 7. diſp. 37. n. 30. vbi exemplificat in illegitimis, criminoſis, & obnoxijs debitis, & ratiocinijs. iuxta diſpoſitionem conſtitutionis Sixti. Idem dic de laborante morbo gallico, ſi extet ſtatutum à Papa confirmatum profeſsionem eius irritans. Item defectus ſexus, vt ſi fæmina profiteatur inter viros, vel è cõtra. Impedimentum ad tempus habens tractum ſucceſ-

ſiuum, vt ſi quis profiteatur in anno duodecimo, & ratificet in decimo ſexto. Item ſiquis profiteatur initio nouitiatus, & ratificet antequam expleat illum annum. In his & ſimilib. quæritur an impedimentum actu durans impediat ratificationem in vtroq; foro.

℞. Impedimentum dum actu durat, pro eo tempore, dum durat, profeſsio ratificari non poteſt, neq; præſumitur ratificata. Quia lex ſemper reſiſtit, vt patet ex conſtitutione Sixti, vbi perpetuo inhabilitat ſupra dictos, ita quod attentata ab illis profeſsio nunquam ſit valitura (loquor tempore eiuſdem Sixti) immo mandat huiuſmodi exui habitu, & à religione exterminari; ergo nunquam patitur illorum profeſsionem, vel eiuſdem ratificationē poſſe ſuſtineri, neq; etiam præſumi in foro externo. Nichilominus impedimento remoto, puto ratificationem poſſe ſubſiſtere, vt ſi obnoxius debitis, & ratiocinijs ſatiſfaciat ad plenum, quia licet tractu temporis non firmetur quod ab initio non ſubſiſtit. Reg. 18. remoto tamen impedimento firmatur, vt tradit gloſ. ſuper dictam regulā, quod non cōcedo reſpectu Criminoſorum, & illegitimorum, à quibus non remouentur huiuſmodi impedimenta, ſi maneant in religione De præfatis impedimentis vide Sanch. citatum, & Beiam part. 4. caſu 18. præſertim §. Neque obſtat. Bonac. q. 2. de clauſ. p. 10. diff. 4. nu. 7. & dicta à me cap. 3. ſub q. 51. de illegitimis, q. 58. de criminoſis, q. 59. de ære alieno oppreſsis, q. 60. de obligatis ratiocinijs. Item fæmina nunquam ratificare poteſt, vel præſumitur ratificaſſe inter viros actam profeſsionem quia ratione ſexus habet perpetuum impedimentum cōtinuo impediens, dixi eodem cap. 2. q. 34. Neq; demum contingit ratificatio durante metu, aut ætate illegitima, obſtant enim hæc impedimenta, & quæcumq; ſimilia nō tantum profeſsioni, ſed etiam eius ratificationi, & in his nullam puto eſſe difficultatem.

20 QVAERES. An profeſsio nulla defectu acceptātium, vel aliorum, à quibus dependet eius valor, vt conualeſcat, præter conſenſum, eorum, defectu ſublato, requi-

quiratur etiam nouus conſenſus ipſius profeſſi ?

℞. Requiritur, quia ſine conſenſu proprio ipſius profitentis profeſſio ſubſiſtere non poteſt cap. 2. q. 1. & cap. 6. q. 10. & licet adfuerit ex parte eius, tamen quia fuit inualidus, ideo repetendus eſt. Et id habet locum pro foro conſcientiæ, nam ſublato impedimento præſumitur ratificatio in foro externo, vnde bene dixit gloſ. Coniugiũ cap. Mulier 33. q. 5. vxori profeſſæ ſine licentia viri non licere exitũ, conſenſum viro præſtante, fundatur enim in præſumptione, quod profeſſionem ratificauerit.

21 QVAERES. An eccleſia ſupplere poſſit conſenſum tam ex parte profitentis, quam monaſterij ?

℞. Non ex parte profitentis, quia eſt actio ita perſonalis, vt ſine ea is actus nequeat ſubſiſtere, & ſicut nõ poteſt ſupplere conſenſum alterius coniugis Ledeſma q. 45. de matrim. art. 3. in ſol. ad vlt. ita neq. profitentis. Nau. conſ. 31. de regul. num. 5. quem ſequitur Sanch. lib. 7. diſp. 34. num. 16. Vtique vero ex parte conuentus, vt probat idem Sanch. cit. diſp. 37. nu. 64. vbi hunc conſenſum vocat legalem.

22 QVAERES. An metus grauis vitiet ratificationẽ profeſſionis, ſicut ipſam profeſſionem iuxta dicta cap. 2. q. 12. & deinceps ?

℞. Vitiat, nõ.n. minor libertas requiritur in ratificatione, quam in prima profeſſione, vtraq; enim eſſentialiter eſt profeſſio, & includit conſenſum plenum, qui ſine libertate ſtare non poteſt. Nau. conſil. 26. de regul. numero 16.

23 QVAERES. An aſſerenti ſe ratificaſſe inualidam profeſſionẽ ſit credendum ? Procedit intra quinquenniũ, nam poſt, ita præſumitur ratificata, vt aſſerenti oppoſitur non credatur.

℞. Credendum eſt. Tum quia fauore animæ cuilibet credendum eſt, præſertim in foro Dei tam pro ſe, quam contra ſe Megal. part. 1. lib. 5. cap. 3. num. 9. per gloſ. Credendum ſit cap. 18. de Homicid. quia nemo præſumitur immemor ſuæ conſciẽtiæ cap. 27. 1. q. 7. non autem

in foro externo gloſ. Qualiter de Sponſ. cap. 26. intellige niſi accedat iuramentum, quo veritas in animo latens in quiritur, ſi alio modo haberi non poteſt ex cap. 3. 33. q. 1. Nau. conſil. 1. de conſt. num. 7. & conſ. 42. de regul. num. 10. & licet probatio ex iuramento tantum non habeat locum, quando agitur de graui præiudicio, ſufficienter tamen probat, ſi de leui agatur Felin. Dec. & Gemin. in cap. Cognoſcentes, de conſtit. Menoch. de Arbitr. caſu 464. Alex. conſ. 66. ex Homob. part. 2. Reſp. 17. ſed iſta aſſertio eſt fauore animæ profeſsi, & nulli præiudicat, licet controuertatur de præcedentia, quia lis hæc eſt rei modici momenti, parum præiudicantis, docet Nau. conſil. 27. de regul. in fine, & ex eo Sanch. lib. 7. diſp. 37. num. 67. & 68. Tum quia aſſerenti ſe illam non ratificaſſe creditur, quia forum externum non præſumit intra quinquennium eius ratificationem, ergo pariter credendum eſt aſſerenti ſe ratificaſſe; & eo magis, cum permanentia in religione viuendo, ſicuti faciunt alii profeſſi, ſit ſufficiens de hac aſſertione argumentum.

24 QVAERES. An ſoli ſuperiores Generales poſſint recipere de nouo profeſsionem eorum, qui nulliter profeſsi fuerunt, ex præmiſſo nouitiatu in loco non deſignato?

℞. In hoc ſpeciali caſu ſoli Generales intra religionem videntur poſſe recipere illorum profeſsionem, quia Papa in ſuo Breui illis verbis. *Siue ipſorum religioſorum præfectis, vel ſuperioribus Generalibus*, eos exprimendo, cenſetur alios excludere, argumento cap. Nonne, de præſumpt. & illis vocibus *præfectis, vel ſuperioribus* venit ipſe pater Generalis, qui in aliquibus religionibus vocatur præfectus, & dictio, *vel*, ſtat declaratiue, vt in cap. 3. diſt. 25. Sed cum ſolius verborum contextus obſcure id ſuadere videatur, ideo tutius dicitur ſpectare ad eoſdem, ad quos ante ex probatis q. 15. vnde dictio illa ſtat diſiunctiue, & Papa non derogat ſtatutis ſpecialibus niſi de illis faciat expreſſam mentionem, quæ non fit ibi.

25 QVAERES. An ſub illis verbis. *Cæteriſq; ordinarijs*

narijs locorum, vediant ordinarij nullius diœceſis, in quib. nulliter ex eo capite profeſſi reſideant?

℞. Non, quia ſummus Pontifex quotieſcumq; regulares ſubijcit ordinarijs locorum excludit ordinarios nullius diœceſis, nam Metropolitanus, non autem ordinarius nullius diœceſis compellit regulares ad prædicandum in ſuis monaſterijs habentibus annexam curam animarum in loco nullius diœceſis cap. 2. Seſſ. 5. Item exiſtentes in loco nullius diœceſis pro ordinibus recipiendis accedunt ad viciniorem epiſcopum, docet ex Sacra Congr. Nald. Ordo. num. 26. ergo idem dicendum eſt in caſu noſtro. Neque vrgent verba illa, quia licet illi veniant ſub nomine ordinarij reſpectu ſuorum ſubditorum, nō tamen reſpectiue ad regulares, quos illis Papa nunquam ſubijcit, ſed ſolis epiſcopis, aut Metropolitanis. Nec difficultatē mouet, quod in eo Breui exprimantur Epiſcopi, & ſtatim ſubdatur *cæteris ordinarijs locorum*, quia per hanc clauſulam intelligit Papa eorum vicarios, generales, ſeu Capitulum ſede vacante.

26 QVAERES. An hoc ipſo, quod nulliter profeſſus ex præmiſſo nouitiatu in loco non deputato ratificat profeſſionem in manibus alicuius ex dictis prælatis ſupra q. 15. intelligatur reſtitutus ad priſtinum gradum, honorem, & officium, & ſimiliter conualidati, & Confirmati quicumq; cōtractus alias initi, & nulli præciſe ex hac ſpeciali nullitate profeſſionis, an præterea requiratur, vt ſuperior recipiens reſtituat, & conualidet prædicta, reſtitutoſq; & conualidata declaret?

℞. Quamquam de rigore huius Breuis in ſpecie conſtare debeat præter profeſſionē ratificatā, de reſtitutione graduum, & officiorum, & de confirmatione contractuum factis, & declaratis ab ipſo recipiente, vt clare ibi dicitur illis verbis. *Eadem authoritate reſtituant, ac reſtitutos eo ipſo eſſe, & cenſeri declarēt, itaut habeant eumdem locum* &c. & de contractibus ſubijcit. *Authoritate noſtra prædicta confirment, & approbent, ac validos omnino declarent* &c. Nichilominus emiſſam profeſſionem pu-

blice ſubſequuntur huiuſmodi reſtitutiones, & confirmationes vti illi acceſſoria, vnde ſi ſuperior ex negligentia, prædicta omnia omitteret, virtualiter tamen intelligeretur ea omnia præſtitiſſe, recipiẽdo profeſſionem iuxta poteſtatem ſibi traditam in Breui Sanctiſſimi. Dicã iterum q. 29. vbi doctores citabo.

27 QVAERES. An profeſſio nulla ex præmiſſo nouitiatu extra locum deputatum neceſſario ratificanda ſit iuxta formam ab Vrbano VIII. præſcriptam?

℟. Si nullitas notoria eſt, ſine dubio ita ratificanda eſt in manibus patris Generalis, vel alterius de eius mandato, vt expreſſe habet illius Breue. Si vero ſit occulta poteſt apud ſe eam ratificare, quia nemo tenetur ſe prodere §. His authoritatib. cap. 87. diſt. 1. de Pænit. Quare Breue loquitur pro foro externo.

28 QVAERES. An profeſſio nulla ratificetur per receptionem ordinum, aut tacita inducatur?

℟. Non inducitur tacita, quia hæc præſumitur ſolum ex duobus quibus inducitur, geſtatione .s. habitus profeſſorum, & exercitio actuum ſolis profeſsis propriorum, ex dictis cap. 1. q. 15. modo ſuſceptio ordinum non eſt actus proprius profeſſorum, ſed etiam nondum profeſsi ordines recipere poſſunt, vt diſtincte, & breuiter probaui cap. 4. q. 48. Nec alias nulla ratificatur ex eadem ratione, Nau. com. 4. de regul. num. 72. & conſil. 19. eod. num. 3. Poteſt dici in ſuſceptione ſubdiaconij tacitam incurri profeſsionem, quia titulus paupertatis, ad quem ordinatur, ſolis profeſsis conuenit; non tamen ratificari, quia profeſſio nulla rata habetur, vel per formalem conſenſum in nouam profeſſionem directum, cognita nullitate prioris, vel per legalem lapſu quinquenij præſumitur ratificata, ſiue fuerit tacita, ſiue expreſſa, vt probatur cap. ſequenti num. 32.

29 QVAERES. An ratificatio profeſsionis ex natura rei reſtituat inualide profeſſum ad priſtinum ſtatum, ac ſi ab initio valide profeciſſet, ita quod reualidentur actus, & contractus antea celebrati, fiatq; habilis ad re-

ceptio-

ceptionem ordinum, & ad ſuſceptorum exercitium?

℞. Reſtituit, ſuadetur. Tũ quia ratificatio eſt eſſentialiter profeſsio, ergo eoſdem effectus producit, quos profeſsio ſimpliciter dicta. Tum quia factum tempore inhabili relatum in tempus habile, valet cum peruenit ad eum ſtatum, ſeu caſum, à quo poteſt habere efficax principium, cap. 12. de conuerſ. coniug. l. in tempus ff. de hęred. inſtit. Sed prædicta licet facta ſint tempore in habili, ſtante nullitate profeſſionis, ad eum tamen caſum peruenerunt, mediante nimirum ratificatione profeſſionis, à qua habuerunt efficax principium, ergo conualuerunt. Tum quia noua profeſſio per ratificationem facta retrotrahitur, ac ſi ab initio valida fuiſſet, argumento reg. 10. in 6. ergo conualidantur acta eo tempore, ad hoc enim datur retroceſſio. Tum quia licet non firmetur tractu temporis, quod ab initio non ſubſiſtit cap. 18. de reg. iur. conualidatur tamen, ſi de nouo adueniat conſenſus, remotis impedimentis, vt docent omnes ſuper dictam regulã. Nec obſtat Breue Sanctiſsimi, quia ex abundanti cautella, & ad tollendas opiniones & vt nulliter profeſſos animet ad nouam profeſsionem, mandat Papa in illo ſpeciali eos reſtitui ad euitandas lites. Ita de renuntiationibus docent Ricc. deciſ. 146. cur. Archiep. Neap. part. 4. Sanch. lib 5. cap. 5. nu. 16. ex Barb. ſuper Seſſ. 25. cap. 16. num. 18.

30 QVAERES. An per ſententiam iudicis competẽtis legitime dimiſſus, rata ab eo poſtmodum profeſsio teneat, an requiratur noua profeſsio cum omnibus ſuis requiſitis, ac ſi nunquam alias profeciſſet.

℞. Nullius eſt momenti ratificatio. Tum quia in eo caſu dimiſſus ſe habet ac ille, qui nunquam fuit religionẽ ingreſſus, qui dicitur non poſſe proficere, niſi eius profeſſio acceptatur à prælato regulari, cum alijs requiſitis; ſiquidem per illam ſententiam illa prior profeſſio nulla ita euacuata fuit, & extirpata, ac ſi nunquam emiſſa fuiſſet Tum qua ratificatio actus inualidi ſupponit eius nullitatẽ permanſiſſe in ſuo ſtatu, quod tamen verum non eſt in caſu

ſu noſtro, cum per ſententiam euanuerit, & amplius ſub conſiderationem cadere non valeat. Quæ procedunt licet eum actum ratificationis egerit nondum habitu abiecto. Et ita cenſuit Sacra Congregatio anno 1631. die primo Februarij de eo religioſo tribus horis ante completum annum probationis à religione diſcedente, qui laudabiliter in habitu clericali viuendo, ſi redeat ad religionem, debet ratificare profeſſionem refert Barboſa ſuper Seſſ. 25. cap. 15. n. 14.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM

De Reclamatione Profeſſionis nullæ.

PRæcedenti capite q. 4. reſponſum fuit volentem exire prætextu nullę profeſſionis non teneri ratificare profeſſionem, ideo in hoc capite agendum eſt de modo tenẽdo in exeundo à religione, quem docet Sacrum Conciliũ Seſſ. 25. cap. 19. his verbis. *Quicumq; regularis prætendat per vim, & metum ingreſſum eſſe religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam profeſſum, aut quid ſimile, velitq; habitum dimittere, quacumq; de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia ſuperiorum, non audiatur, niſi intra quinquennium tantum à die profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram ſuperiore ſuo, & ordinario. Quod ſi ante habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandum quamcumq; cauſam admittatur, ſed ad monaſterium redire cogatur, & tamquam apoſtata puniatur, interim vero nullo priuilegio ſuæ religionis iuuetur.* Hæc ille. Particula *quicumq;* comprehendit etiam fæminas, Zerola in praxi epiſc. part. 1. v. Monialij §. ad 2. ex Barb. ad cap. 19. Seſſ. 25. num. 2. Habet locum præſens decretum etiam in Militaribus Gonz. ad reg. 8. Cancell. gloſ. 8. n. 62. vbi refert ita deciſum ex Barb. cit. num. 3.

1 QVAERES. Quid ſit Reclamare?

℞. Reclamare eſt cauſas probantes nullitatẽ ſuæ profeſſionis non ratificatæ deducere coram ſuo ſuperiore, & ordinario eo fine, vt illum dimittant liberum à religione declarata ab illis nullitate ſuæ profeſſionis. Ita colligitur ex citatis verbis Concilij, & cap. 2. de regul.

2 QVAERES. An reclamatio Sacri Concilij habeat locum reſpectu cuiuſlibet exitus à religione? Nam triplex aſſignari poteſt exitus. Primo, quãdo quis agnoſcens nullitatem ſuæ profeſſionis, intendit recedere à re-

ligione

ligione. Secundo, quando licet profeſſionem emiſerit nō poteſt tamen remanere, ſed tenentur ſuperiores eum reijcere. Tertio quando vti morbida pecus incorrigibilis vere profeſſus expellitur à religione.

℞. Concilium habet locū ſolummodo in primo exitu hoc enim eſt priuilegium conceſſum vtriq; nempe inualide profeſſo, quatenus optionem habet exeundi, vel remanendi, & religioni in quantum poteſt eum licentiare, non tamen cogitur eum dimittere modo profeſſionem ratificet, immo quinquennio peracto tenetur manere in religione, conſequenter religio eum expellere non poteſt Itaq; reclamatio hæc ita ſe habet, quod inualide profeſſus poteſt exire intra illud ſpatium, ſi vult, religio autē eum eijcere non poteſt, ſed tantum poſt quinquennium cogere, vt maneat, iuxta inferius dicenda. De ſecundo exitu nihil diſponit Sacrum Concilium, ideo fæmina in religione virorū profeſſa nulliter, cognito ſexu fæmineo, ſtatim à ſolo religionis prælato expelli debet, etiam ſi per centum annos manſiſſet in religione. Similiter tempore Sixti V. expellebantur illegitimi, obnoxij criminib. quibuſdam, debitis, & ratiocinijs, quia illos nullo modo permittere volebat in religione permanſuros, de quibus infra q. 22. De tertio pariter nichil diſponit, quia Concilū loquitur de inualide profeſſis, incorrigibiles autem expellendi, ſunt valide profeſſi, & hos expellendi facultas eſt apud Generalem ſolum de conſilio, & aſſenſu ſex patrum ex grauioribus religionis eligendis in ſingulis capitulis generalibus, præmiſſis tamen vnius anni ſpatio in ieiunio, & penitentia probatos in carceribus, & ſecundū ſtilum, & conſtitutiones fabricato proceſſu. Ita decreuit Sacra Congr. ex ordine Sanctiſſimi Vrbani VIII. in ſuo decreto. Sacra Congregatio. Dat. 21. Septembris 1624.

3 QVAERES. An licita ſit reclamatio, & exitus à religione?

℞. Ita, quia peccatum non eſt factum lege probante, cap. Qui peccat, 23. q. 4. cum autem lex Concil. & citatum

tum caput 2. de regul. concedant huiuſmodi inualide profeſſis facultatem reclamandi, & exeundi, ergo licita eſt; quamquam huiuſmodi exitus potius ſit vitandus, quã imitandus. Tum quia multa licent, quæ tamen non expediunt, ſecundum Apoſtolum. Tum quia regulariter loquendo quiſq; religionem ingreditur ea intentione, vt Deo ſpecialiter inſeruiat, & ideo quantum eſt ex ſe, & in ſe habet animum valide profitendi, vnde ſi poſtea aliunde accidit profeſſio nulla, non ideo expedit illi mutare priorem voluntatem, Diuina conſulente Sapientia, manete in vocatione, qua vos Deus vocauit. Tum quia quæ malo ſunt inchoata principio, difficile eſt, vt bono per agantur exitu, cap. Principatus, diſt. 25. Tum quia nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Tum quia ab hoc quemque experientia retrahere debet, nam à profeſſione, quæcumq; ea ſit, recedentes fere omnes in præcipitium ruunt.

4 QVAERES. Quot conditiones requirantur in volente reclamare, & exire à religione probando nullitatem ſuæ profeſsionis, iuxta Sacrum Concilium?

℞. Quatuor conditiones. Prima, eius profeſſio debet eſſe nulla, reclamatio enim ſupponit nullitatẽ profeſsionis. Secunda, quod reclamatio fiat ſolum intra qninquẽnium. Tertia, cauſas nullitatis ſuæ profeſsionis debet deducere coram ſuo ſuperiore, & ordinario. Quarta, Reclamatio facienda eſt cum habitu religionis, aliter ſine illo non auditur male profeſſus. Colliguntur ex loco citato initio huius capitis, & aſsignantur à Sanch. lib. 7. diſp. 37. ſub initio à Bonac. q. 2. de clauſ. p. 10. diff. 3. Rodr. tom. 3. q. 17. art, 17. com. 4. de regul. num. 77. alias addentibus, quæ non ſunt huius quæſiti.

5 QVAERES. A quonã die incipiat hoc ſpatiũ quinquennij ad reclamandum à die profeſsionis, an à die ſciẽtiæ nullitatis profeſsionis, an à die quo poteſt incipere reclamare, ſi ante non potuit, quamuis habuerit cognitionẽ nullitatis ſuæ profeſsionis?

℞. Incipit à die profeſsionis. Suadetur. Tum quia

Sacrum

Sacrum Concil. vtitur clauſula. *A die profeſſionis*, quæ refertur ad diem actus geſti, non ad diem ſcientiæ, & ſublati impedimenti. Tum quia licet ſufficiebat dicere à die profeſsionis, tamen præpoſuit dictionem. Tantum, quæ excludit quodcumq; aliud tempus nō expreſſum l. 1. C. de patr. pot. & indicat iſta replicatio miſterium quoddam gloſ. Diæceſanis Clem. I. de Iurepatr. Tum quia quinquennium hoc datum eſt fauore religionis, ne vlterius perturbetur, & cum non ſit in odium negligentiæ profeſsi, ſed potius & ipſi fauorabile, ſequitur quod profeſſo etiam iuſte impedito currat tempus, quia illa propoſitio. Impedito agere non currit præſcriptum tempus l. 1. in fine C. de Annal. except. locum habet, quando tēpus præſcribitur in odium negligētię volentis agere, gloſ. Numerandum, cap. Statutum, de Præbend. in 6. cū alijs citatis in re noſtra à Sanch. lib. 7. diſp. 37. nu. 19. Bonac. q. 2. de clauſ. p. 10. diff. 4. num. 3. Sic docent præcitati. Graff. tom. 1. conſil. 6. de regul. num. 9. & conſil. 7. eod. num. 1. Portel. part. 3. caſu 42. Barb. ad cap. 19. Seſſ. 25. num. 7. Siue ergo ſciat nullitatem ſuæ profeſsionis, ſiue eam ignoret, aut ex alio capite ſit impeditus etiam per totum quinquennium audiri non poteſt iure ordinario Sacri Concilij, niſi intra quinquennium numerandum à puncto profeſsionis; docet Bonac. cit. num. 2. currere de momento ad momentum, hoc tamen Sanch. cit. num. 2. relinquit ſub dubio, an dies termini cumputentur in termino.

6 QVAERES. Cum vltra quinquennium iure ordinario non concedatur reclamatio inualide profeſſo, an ſaltem remedio extraordinario, nempe beneficio reſtitutionis in integrum, vti poſsit, petendo reſtitui intra quinquennium, vt poſsit reclamare? A quo autem iudice petenda ſit iſta reſtitutio, dicitur infra ſub queſtione 20.

℞. Vti poteſt. Modo non ratificauerit profeſsionē. Probatur. Tum quia licet Concilium deneget audientiā poſt quinquennium, quaſi quod vna via fuit prohibitum,

alia

alia non debeat concedi, ex Reg. 84. nichilominus id intelligendum eſt via ordinaria, & iure Concilij, non remedio extraordinario beneficio reſtitutionis in integrũ, quia hoc remedium non excluditur, niſi de eo in excluſiua fiat ſpecialis mentio, vt docent Molina lib. 3. de Primog. cap. 13. num. 65. Gutier. lib. 3. q. 88. num. 3. & lib. 3. q. 32. num. 15. & q. 34. num. 9. & alij cum Sanch. cit. in re hac num. 22. in arg. 6. Sed in Concilio nulla fit mentio expreſſa, excludens hoc remedium extraordinarium; neq; illa regula habet locum in remedijs extraordinarijs excluſis ordinarijs, notat Imola in cap. Coram, de reſt. in integrum num. 6. Tum quia licet contra præſumptionẽ iuris de iure, in qua videtur fundari Concilium, non detur probatio iure ordinario, datur tamen iure extraordinario ad probandam iuſtam cauſam ad hoc, vt reſtituatur in integrum, docent Ruinus conſil. 68. num. 26. vol. 1. Socinus Iunior. conſil. 104 num. 18. vol. 3. Menoch. lib. 1. de Præſumpt. q. 70. & alij communiter. Ita ſentiunt Nau. com. 4. de regul. num. 71. & conſil. 6. de ijs, quę vi. nu. 2. Conſil. 23. de regul. num. 3. Rodr. tom. 3. q. 17. art. 17. §. Ex quibus. Diana reſol. 53. de dubijs regul. contra Bonac. cit. p. 10. diff. 4 num. 4. §. Ego vero, probantẽ 1. quia Concilium excludit omne remedium, ſed errat 2. quia in pari cauſa reſtitutionis in integrum inter duos minores melior eſt conditio poſſidentis; religio autem, & profeſſus ſunt duo minores, ſed id non habet locum quando agitur de vitando damno ex parte petentis, & de lucro non aquirendo ex parte altera, vt accidit hic, docet Sanchez num. 29. præterea dictum illud habet locum, quando ambo ex æquo ſunt minores, modo religio non eſt minor, ſed illi comparatur, & eius iure fungitur argumenta cap. 3. de integr. reſtit. vbi dicitur quod eccleſia petit reſtitutionem contra aliam, ergo eo magis religioſus putatus contra religionem. 3. probat quia eo remedio dato moleſtaretur religio contra finem Concilij. Dic tamen finem eius non excedere viam ordinariam; alias rationes elude ex dictis.

7 QVAERES. An remedium hoc extraordinariū, competat non ſolum Minoribus quales ſunt infra 25. annum, ſed etiam maioribus eam ætatem excedentibus?

℞. Vtriſque, cum ea tamen differentia, quod minoribus conceditur, licet potuerint reclamare etiam intra quinquennium, eo quod cognouerint nullitatem ſuæ profeſſionis, & ex negligentia non reclamarint. Ratio quia illis hoc beneficium competit præciſe reſpectu minoris ætatis argumento cap. Conſtitutus, de in integr. reſtit. in his igitur ſpectatur læſio præciſe reſpectu ætatis, vt docet Couar. in regula poſſeſſor. part. 3. §. 3, num. 3. in 2. aduert. Maioribus autem non conceditur, niſi ex illa generali clauſula. *Si qua michi iuſta cauſa*, l. 1. in fine ff. ex quibus cauſis maior. ſed non habent iuſtam cauſam ſcientes nullitatem ſuæ profeſſionis, & negligentes reclamare cum poſſint intra quinquennium, ergo illis non poteſt ſuffragari hoc beneficium apud iudicem. Ita ſentit Sanch. lib. 7. diſp. 37. nu. 23.

8 QVAERES. Cum maior effectus non poſſit vti hoc beneficio niſi ſit legitime impeditus, ita quod ignorauerit nullitatem ſuæ profeſſionis, aut ſi eam agnouerit, non potuerit intra quinquennium reclamare, an teneatur iudici probare hoc impedimentum?

℞. Tenetur, quia huiuſmodi præſupponuntur ignota iudici, ergo illi manifeſtāda ſunt probatione per inualide profeſſum, ad quod probandum præter iuramentum, requiruntur adminicula, & coniecturæ, vt colligitur ex cap. Vidua, de regul. iuncta gloſa Licet ſacramento. Docet Sanch. cit. diſp. 37. num. 27. Quamuis enim iuramento veritas in animo latens inquiratur, ſi alio modo haberi non poteſt ex cap. 1. 33. quæſt. 1. docent multi cum Farinacio de Inquiſitione q. 8. num. 113. hoc tamen non habet locum, quando agitur de graui præiudicio, plenior enim probatio requiritur, vt multis relatis probat Farin. num. 114. Et in re noſtra de nullitate profeſſionis docent Panor. in cit. cap. Vidua, Caiet. 2. 2. q. 88. art. 1. ſub finem.

Compend.

Compend. Reſol. 101. nu. 72. Portellus v. Profeſſio nu. 49. & 50. cum ſuo authore Rodr. Tom. 4. Sum. cap. 65. concl. 6. Homob. part. 2. Reſp. 17. & alij communiter cum Sanch. nu. 14. loquentes præcipue de eo, qui finxit ſe profiteri; ſolo autem iuramento probatur negatiua ratificatio profeſſionis; hoc enim Iudices petunt à reclamantibus, quos à religione dimittunt, dummodo non ratificauerint profeſſionem, quam clauſulam iuramento iuſtificant, probata nullitate profeſſionis alijs medijs.

9 QVAERES. An maior, qui intra quinquennium habuit cognitionem nullitatis ſuæ profeſſionis, & ex negligentia non reclamauit potens, cupiens reſtitui ad quinquennium poſſit iurare æquiuocando, ſe eam ignoraſſe, ſeu habuiſſe iuſtum impedimentum reclamandi?

℟. Poteſt æquiuocare, ſi non ratificauit profeſſionem, quia quotieſcumq; Iudex procedit ex falſa præſumptione, non cenſetur iuridice interrogare, conſequenter requiſitus iurando æquiuocare poteſt, ſe ignoraſſe nullitatem ſuæ profeſſionis, quatenus ea non fuit coniuncta cum ratificatione. Docent in ſpecie Sanch. lib. 7. diſp. 37. n. 28. Diana Tom. 2. Tract. 2. Reſol. 53. Sanct. lib. 1. Variar. Reſol. q. 48. num. 15. & 16. Portellus Profeſsio num. 51. Compend. Reſol. 101. nu. 73.

10 QVAERES. Quotum tempus habeat ad petendum hoc beneficium, tranſacto iam quinquennio?

℟. Quadriennium, poſita tamen ignorantia, & iuſto impedimento, & colligitur ex l. fin. C. de Temp. in integr. reſtit. & cap. 1. & 2. eod. in 6. & Clem. Vnica eod. in quibus locis conſtituitur tempus quadriennij ad petendã reſtitutionem in integrum, modo non fuerit negligens in ea petenda quare ignorantia, & impedimento excluſis, quinquennio tranſacto, ſtatim debet reclamare, aliter præſumitur ratificaſſe profeſsionem, & tempus in eo caſu præfigendum eſt à Iudice, docet Nau. com. 4. de regul. nu. 71. & cum eo Sanch. lib. 7. diſp. 37. num. 26. quia tempus indefinitum à lege determinatur arbitrio Iudicis l. 1. ff. de iure deliber. cap. 4. de off. deleg.

11 QVAE-

11 QVAERES. An Concilium profeſſis denegans audientiam poſt quinquennium, fundetur in præſumptione ratificatæ profeſſionis, ita quod habeat locum ſolummodo in foro externo, an etiam in foro conſcientiæ, ita quod poſt illud tempus teneatur remanere in religione?

Nota autem hic breuiter, quod præſumptio eſt iudiciũ intellectus moti ex actibus externis ad concludendum aliquid ſe ita habere, & non aliter. Et eſt triplex Hominis proueniens ex varijs eius coniecturis: Legis, quæ vocatur præſumptio iuris, & eſt probabilis coniectura procedens ex ſigno à lege præſcripto accepta pro veritate, quando oppoſitum non probatur. Tertia vocatur præſumptio iuris de iure à lege inducta, vt certum ius, contra quam non admittitur probatio, quia lex in eo caſu fundatur in præſumptione veritatis, cui ſtandum eſt à ſubdito, qui à Iudice nequaquam auditur. Vide Menochium lib. 1. de Præſumpt. q. 3. & Sanch. cit. n. 7. & 8.

℞. Fundatur, ſuadetur. Tum quia videtur inconuenientiſſimum eſſe, hominem ſua libertate priuari contra ſuam voluntatem, naturale eſt enim homini libertas l. Libertas, ff. de ſtatu homin. Sed in eo caſu nulliter profeſſus, contra ſuam voluntatem maneret obligatus, & tamen vere non ſe obligaſſet. Tum quia eccleſia non poteſt ſupplere conſenſum profeſſi, cum ſit ita perſonalis actio, vt ipſum conſentientem non excedat. Tum quia verba Concil. referuntur ſolum ad forum externum, eſt autem hęc præſumptio iuris de iure contra quam non admittitur probatio iure ordinario, vt conſtat ex illis verbis. *Non audiatur*. Sic ſentiunt Sanch. lib. 7. diſp. 37. nu. 9. vbi citat Sà religio 71. Henr. lib. 11. de Matrim. cap. 6. & cap. 8. num. 9. Nau. com. 4. de regul. num. 77. conſil. 22. de regul. num. 25. & conſil. 89. num. 6. & 7. & alij communiter.

12 QVAERES. An non valens reclamare, vel ea omiſſa tranſacto etiam quinquennio poſſit inualide profeſſus fugere?

℞. Poteſt duobus excluſis, ſcandalo, & ratificatione.

Proba-

Probatur rationibus adductis cap. 6. q. 3. ſiquidem nullam habet obligationem manendi, præciſo ſemper ſcandalo, quia cum eo nichil faciendum eſt cap. 2. de Præſumpt. & ratificatione, per quam ita manet obligatus religioni, vt nequaquam poſſit fugere, & licet præſumatur ratificata poſt quinquennium, vt probaui præcedēti quæſito, hoc tamen non habet locum in foro conſcientiæ, nec illa lex obligat, quando adeſt veritas in contrarium ex cap. 26. & 30. de ſponſ. Nau. cap. 23. num. 62. §. Decimo. Ita ſentiunt Nau. com. 4. de regul. num. 75. in 4. aduert. vbi de ficte profeſſo, Sanch. alios citans lib. 2. diſp. 39. num. 11. & lib. 4. diſp. 15. num. 5. Rodr. part. 2. cap. 95. nu. 5. & alij communiter ab illis citati Compend. reſol. 101. num. 69. Mirand. tom. 1. q. 30. art. fin. concl. 2. Nau. cit. num. 77. §. Super, vbi ait etiam ante reclamationem fugere poſſe, & conſil. 89. nu. 6. ait poſſe poſtea ducere vxorem, ſi non ſit in ſacris, & num. 8. ad euitandum ſcandalum puſillorum docet monendos eſſe illos, qui ignorant nullitatem profeſſionis, & ſic ceſſare ſcandalum. Vecchius diſp. 14. dub. 2. num. 5. de mente Sanch. lib. 2. diſp. 39. num. 11. Suar. tom. 3. de relig. lib. 7. cap. 2. num. 6. cum alijs docet hoc procedere, licet per publicam ſententiam cogatur remanere in religione, quia ſententia in præſumptione fundata nō obligat apud Deū, quando adeſt veritas in contrarium, quamquam ad euitandum ſcandalum, quod in eo caſu videtur ineuitabile, teneatur remanere, cum ſententia obliget ad actus externos.

13 QVAERES. An Sicut ipſe fugere poteſt, iuxta mox dicta, ad hoc poſſit ſuperior illi facere copiam fugiendi, occulte dimittendo illum?

R. Poteſt occulte illum dimittere. Tum quia religio cuius partes agit ſuperior, ius non habet ad illum. Tum quia, ſicut iudex certo ſciens reum eſſe innocentem, eum occulte dimittere poteſt, docent Cord. lib. 1. q. 37. §. Ex hac opinione, Sotus lib. 5. de iuſt. q. 4. art. 8. concl. 2. ita, & ſuperior hunc inualide profeſſum; quod etiam verum

eſt, licet ſuperior actu ex officio in foro externo contra ipſum procederet. Tum quia non magis peccat ſuperior, quam ſubditus fugiens, qui nullo modo peccat, cum fuga ſit illi licita, ex præcedenti quæſtione, ergo neq; prælatus, docet Sanch, lib. 7. diſp. 37. nu. 13.

14 QVAERES. Cur quinquennium expectandum ſit ad præſumendum profeſſionis ratificationem, cum ex cap. Viduæ, de regul, habeatur per annuam delationem habitus profeſſorum ſtatim cenſeri, & præſumi profeſſioné tacitam?

℟. Expectandum eſt, quia ita expreſſe determinatur in Concilio, & tempus à lege præſcriptum ſeruandum eſt, argumento cap. 4. de off. deleg. & hoc fauore ingreſſi, vt habeat tempus conſulendi ſuæ libertati. Iure autem antiquo illius capitis poſt annũ præſumebatur tacita profeſſio, quia ibi de ea ſola ſermo erat, vnde nunc ſtandũ eſt decreto huic nouo.

Aduertit autem Nau. conſil. 28. de regul. num. 6. & 7. quod profeſſio difficilius præſumitur ratificata reſpectu expreſſæ, quam tacitæ, hæc enim facilius infertur ex facto ipſo, nam finito nouitiatu alia voluntas præſumi non poteſt in nouitio niſi profitendi, proſequendo geſtationé habitus profeſſorum, aut ſe ingerendo actibus profeſſis tantum proprijs; quod non contingit in expreſſa, in qua poſtea non præſumitur profeſſio ratificata, ſed profeſſum, vtcumq; habitum geſtare, & actus profeſſis proprios facere, non vt proficiat, cum iam ſic profecerit, ſed tamquam vere profeſſum illa præſtare.

15 QVAERES. An aliquando nulliter profeſſus, dimiſſo habitu, reclamare poſſit? nam ſub q. 4. dictum fuit non poſſe hunc audiri ſine habitu.

℟. Poteſt, ſi habuit iuxtam cauſam dimittendi habitũ, vt quia cum habitu non poteſt ſuum intentum habere, Concilium enim prohibet temerariam ſolum depoſitionem habitus, non rationabilem. Quod ſi habitum etiá ſine cauſa dimittit, eo reſumpto auditur, quia aliud eſt, reclamantem, dimiſſo habitu, non eſſe audiendum, durã-

te depoſitione, in quo ſenſu loquitur Concilium, aliud eſt eo reſumpto, ſi poteſt comodè reſumi, quod à Tridentino non negatur, docent Nau. com. 4. de regul. ad finem, Sanch. lib. 7. diſp. 37. num. 3. & 4. Diana reſol. 53. de dub. regul. Rodr. tom. 3. q. 17. art. 17. Miranda tom. 1. q. 30. art. 6. Barboſa ad caput dictum nu. 27. vbi alios citat.

16 QVAERES. An Concilium diſponat de reclamatione reſpectu cuiuslibet impedimenti ex quo ſequitur nulla profeſſio, ita quod data quacumque nullitate profeſſionis reclamandum ſit coram vtroque iudice, regulari, & ordinario loci?

Pro reſolutione huius quæſiti, vide præced. cap. q. 19. vbi diſtinxi impedimentum in perpetuum, & ad tempus, illud ſemper durat, etiam finito nouitiatu quacumq; non obſtante ratificatione, cum habeat tractum ſucceſſiuum continuè impedientem non ſolum profeſſionem, ſed etiã poſt eiuſdem ratificationem attentatam deſtruendo; exemplum ſit in conditione ſexus, nam ſexus fæmineus perpetuo impedit profeſſionem, & eiuſdem ratificationem ita quod inter viros attentatam omnino deſtruat, & è cõtra; huius generis erant impedimenta obnoxiorum criminibus, debitis, ratiocinijs tempore Sixti V. vſque ad Clem. VIII. qui eius conſtitutionem, quo ad hoc, reduxit ad terminos iuris communis, iuxta dicta cap. 2. q. 52. & 58. Hoc ſolum pro eo tempore impedit, & attẽtatam non permittit ratificari, dum actu durat; & hoc impedimentum ad tempus eſt duplicis generis, nam aliqua non ſolum impediunt profeſſionem, ſed etiam eius ratificationem, habentia tractum ſucceſſiuum, cuiuſmodi ſunt metus, qui dum durat deſtruit profeſſionem, & eiuſdem attentatam ratificationem; item ætatis defectus, vt ſiquis proficiat, vel ratificet in decimo quinto, vel decimo ſexto nondum expleto. Alterius generis impedimẽta ſunt, quæ profeſsionem attentatam non proſequuntur, ſed ſolum illam impediunt cum clauſula nullitatis, quam poſt ſe relinquunt, ratificationi non repugnantia,

non habentia tractum ſucceſſiuum, ſed ſolum impedientia vſq; ad annum probationis expletum cum attentata profeſſione, cuiuſmodi ſunt, defectus anni probationis, deputationis loci, integritatis nouitiatus, & huiuſmodi. hi defectus licet dirimant profeſſionem, non tamen obuiant ratificationi, quia ex parte profeſſi ceſſant poſt attentatam profeſſionem, cum cæteris paribus melius ſit ratificare profeſſionem, quam illam impedire.

His præpoſitis quæſtio duplicē habet difficultatem; vna eſt, an reclamare volens debeat producere ſuas rationes coram vtroq; ſuperiore, reſpectu cuiuslibet impedimenti, ſiue ad tempus, ſiue perpetui? altera eſt, an Concilium negans audientiam nulliter profeſſis poſt quinquennium, habeat locum reſpectu quorumcumq; impedimentorum?

℞. In reclamando, ſeruandum eſt decretum hoc reſpectu impedimentorum ſolū ad tempus; non vero perpetuorum; audientia poſt quinquennium negatur reſpectu cuiuslibet impedimenti.

Primum, de reclamatione reſpectu impedimentorum ad tempus, probatur, quia de illis expreſſe fit mentio in illo decreto, vbi exprimuntur defectus metus, & debitæ ætatis, ergo de his ſermo eſt; & non de *alijs*, cum ab eo decreto excludantur impedimenta perpetua, vt mox probatur, & in hoc nulla eſt difficultas, neq; aliquis contra dicit.

Secundum, de impedimentis, probatur, Tum quia Concilium loquitur de illis, qui dimittendi ſunt, ſi volūt exire, non autem de expellendis, cuiuſmodi ſunt habentes perpetuum impedimentum, ratione cuius religio tenetur illos expellere, & ipſi coguntur exire, vt colligitur ex dictis in propoſitione quæſiti. Tum quia iſti alio modo expelluntur vt dicam infra, ſub q. 22. Tum quia illæ duæ clauſulæ, *aut quid ſimile*: Item, *quacumq; ex cauſa*, poſitæ in eo capitulo, referūtur ad impedimenta ad tempus ibi non expreſſa, & reſtringuntur ad perſonas habiles non habentes perpetuum impedimentum. Vide Sanch.

lib. 7. diſp. 37. numero 32. vbi alias rationes adducit ad hoc propoſitum.

Tertium, quod audientia negetur poſt quinquennium reſpectu cuiuslibet impedimenti, ſuadetur, Tum quia de impedimentis ad tempus non habentibus tractum ſucceſſiuum nullus dubitat. Tum quia neq; eſt ratio dubitandi de habentibus tractum ſucceſſiuum, nam ratio, quã adducit Sanch. lib. 7. diſp. 37. num. 34. per quam contra nos probat decretum Concilij non eſſe intelligendum de laborantibus impedimento ad tempus, quod irritauit profeſſionem, toto illo quinquennio permanens, & conſequenter impediens eiuſdem ratificationem, quia Tridentini decretum fundatur in præſumptione ratificationis profeſſionis nullæ, quæ per illud quinquennium inducitur; at durante eo impedimento, quod irritabat profeſſionem expreſſam nõ poteſt profeſſio tacita effici valida; eadem enim eſt ratio, & par virtus taciti, & expreſſi, nec tacitum plus operari poteſt, quam expreſſum, vt tradunt omnes ſcribentes in l. Cum quid, ff. ſi certum pet. Ratio, inquam, hæc Sanch. non obſtat. Tum quia conceditur reclamatio infra quinquenniũ reſpectu cuiuslibet impedimenti, ergo à contrario ſenſu poſt illud tempus negatur reſpectu omnium. Tum quia terminus quinquennii præfigitur non præciſe, quia præſumatur ratificata profeſſio, ſed ad limitandum, & finiendũ ius, quod habent iudices ſuper hanc cauſam, & cum ius Concilij reſpectu quorumcumq; impedimentorum ad tempus præſumat ratificatam profeſſionem, ſine dubio aufert hanc facultatem iudicibus per negationem audientiæ. Tum quia ſi præciſe terminaretur hoc tempus ex præſumptione ratificatæ profeſſionis, & non quia minime habent vlterius hanc facultatem, ſequeretur neque Pontificẽ quoſcumq; nulliter profeſſos, probata nullitate, poſſe poſt quinquennium audire, & dimittere, ſiquidem hæc præſumptio talis eſſe debet reſpectu cuiuslibet iudicis. Tum quia loquendo de metu, videtur incredibile, quod duret etiam poſt quinquennium, tempore enim hoc aſcendente

poteſt metu profeſſus ex ſe, ſponte mutare priorem voluntatem, & libere de nouo conſentire, facile enim metus eneruatur peracta profeſſione, & violentum præſumitur paruo tempore durare, & metus in tantum durat, in quantum minans ius habet ſuper patientem, vt docet Graff. lib. 2. de arb. cap. 39. num. 4. & 5. loquendo de metu reſpectu profeſſionis, profeſſus autem non amplius ſubditur conſanguineis aut alijs ſecularibus metum incutientib. conſequenter potius præſumitur viuere ſine metu, quam cum metu. Tum quia caſus de defectu ætatis non videtur habere locum in praxi, ſed tantum ſpeculatiue, de quo non eſt curandum, quia ſumus in moralibus, & neceſſe eſſet, quod profiteretur in anno ætatis, vndecimo, ex quo non videtur caſus dabilis. Nobiſcum ſentiunt Pariſius lib. 13. de reſign. benef. q. 5. num. 46. Armend. lib. 2. tit. 18. lege 7. de relig. num. 19. Bonac. q. 2. de clauſ. p. 10. diff. 4. num. 4. quos refert ad hoc caput n. 9. Barboſa contra multos alios cum quib. eſt Sanch. cit lib. 7. diſp. 37. num. 34. Compend. reſol. 101. nu. 68. à Barboſa citatos loco allegato num. 8.

Demum, quod in eo decreto non comprehendantur impedimenta perpetua patet ex eo, Tum quia Concilium nichil de illis diſponit quo ad audientiam infra quinquennium ex probatis hic §. Secundum, ergo neq; de eius negatione extra hoc tempus. Tum quia diuerſa abſurda ſequerentur, de quibus Sanchez cit. diſputatione 37. numero. 32.

17 QVAERES. An defectus loci deſignati reddens nullam profeſſionem ex Conſt. Clem. VIII. & Vrbani pariter VIII. iuxta dicta cap. 4. q. 21. ſit impedimentũ perpetuum? Quamquam ex mox dictis conſtet apud me eſſe ad tempus, durans tempore anni probationis, nichilominus id probandi anſam michi præbuit quædã allegatio D. Franciſci Miceni I.C. Brixienſis ibi, & Mediol. typis ſubiecta, qua intẽdebat probare potuiſſe ordinarios locorũ in eo caſu dimittere nulliter profeſſos ex præmiſſo nouitiatu in loco non deputato, etiam poſt quinquennium

non obſtante Tridentino, & adducit duas propoſitiones. Prima eſt, quod Concilium fundatur in præſumptione ratificatæ profeſſionis; ergo nihil diſponit circa præſentem caſum, in quo non poteſt cadere ratificatio profeſſionis. Secunda. Hoc præſens impedimentum eſt perpetuum, non ad tempus, Concilium autem non loquitur de perpetuis, ſed ad tempus: Iſte bonus vir duo probare debebat vnum huiuſmodi impedimentum non admittere præſumptam ratificationem, alterum illud eſſe perpetuum, neutrum autem probauit, & ideo vocaui eius dicta propoſitiones, & quidem falſas, non autem rationes. Et in hoc caſu eum ſequitur ſuus aduerſarius infra citandus multa congerens ſatis inepte; quæ digerere non valet.

℞ Non eſt impedimentum perpetuum, ſed ad tempus, nec habens tractum ſucceſſiuum, ſed tantum durans pro anno nouitiatus. Suadetur. Tum quia perpetuum impedimentum inhabilitatis eſt illud, quod perſonæ inhæret vti eius defectus, & cum eo, vt ita loquar, eſt perpetuo deambulatorium habens tractum ſucceſſiuum, continuo impediens, & deſtruens profeſſionem, ita quod ratificari non poteſt; & hæc propoſitio ſufficienter inducitur exemplis, præcedenti capite adductis ſub q. 19. & hic q. 16. defectus autem non feciſſe nouitiatum in loco deſignato non eſt tale impedimentum, ſed circumſtantia extrinſeca, & ad tempus præimpediens profeſſionem, ſiquidem notum eſt non perpetuo durare, cum impediat ſolum pro anno nouitiatus, ad quem tantum refertur. Tum quia locus, & annus nouitiatus omnino æquiparantur, cum ſint inſeparabilia, & de iure in idem recidant, non enim poteſt fieri annus nouitiatus extra locum deſignatum, neq; locus deputatus de iure ſpectatur ſine anno probationis, in ordine ad quam ſolum, & non alias refertur, ergo eodem iure cenſendi ſunt, argumento cap. 19. 12. q. 2. cap. 30. de Decim. cap. 22. de Priuil. Sed defectus contingens ex parte anni probationis non eſt impedimentum perpetuo inhabilitans, neq; habet tractum

ſucceſſiuum, cum vt quid negatiuum ſuum eſſe habeat ſolum pro illo tempore nouitiatus, & poſt ſe relinquit tãtummodo effectum nullitatis profeſſionis ratificationi non reſiſtens; ergo idem dicendum eſt de defectu loci. Tum quia defectus anni probationis cognoſcitur iuxta diſpoſitionem Sacri Concilij, docet Mirand. tom. 1. q. 30. art. 2. & Bonac. q. 2. de Clauſ. p. 10. diff. 2. §. 2. ergo, & defectus loci, qui non eſt ſeparabilis ab anno, conſequenter is defectus non poteſt eſſe perpetuum impedimentum, quia cadit ſub diſpoſitione Conciliari ex probatis hic ſub q. 16. Tum, quia aliud eſt legem impedimento addere inhabilitatem perpetuam in perſona patiente defectum, aliud eſt ex defectu circumſtantiæ, ſeu formæ non ſeruatæ actum eſſe nullum, de primo genere ſunt impedimenta matrimonij Seſſ. 24. cap. 1. & propoſita in conſtitutione Sixti V. de quibus tetigi hic ſub q. 16. & cap. 2. q. 52. 58. 59. & 60. in quibus locis actus contra legem factus non ſolum irritatur, ſed etiã perpetuo inhabilitatur perſona; de ſecundo genere ſunt defectus ætatis, libertatis, anni, loci, &c. de quibus loquens Papa ſiue in Concil. Seſſ. 25. cap. 15. & 19. ſiue Clem. in ſuo decreto irritat quidem factam profeſſioné, ſed perſonas non inhabilitat efficaciter, quod ſignum eſt nolle Papam poſt factũ eijci à religione, quia poteſt eorũ profeſſio aliunde conualeſcere, ſed tantum dimitti poſſe ſi reclament, iuxta diſpoſitionem Sacri Concilij; & ſicut defectus integritatis nouitiatus non impedit ratificationẽ vt de communi probat Sanch. lib. 7. diſp. 37. à num. 45. ita neq; defectus loci; & in caſu hoc expreſſe docet Breue Sanctiſſimi, non eſſe iterandum nouitiatum, & admittit de nouo profeſſionem alias inualidam, quæ locum habere nõ poſſunt in habentibus perpetuum impedimentum, ergo defectus loci deputati non eſt tale impedimentum. Tum demum, quia impedimentum perpetuum ſupponit defectum intrinſecum in perſona etiam antequã procedat ad actum ſibi interdictum, vt de ſe patet ex allatis in præcedentibus exemplis; ſed in caſu noſtro nullus præ-

ſuppo-

ſupponitur intrinſecus, aut vitioſus defectus in perſona ante receptionem habitus, ergo non eſt perpetuum impedimentum. Nec dicas Clem. VIII. per ſuum decretum poſterius editum præcipere huiuſmodi nouitiatū peragentes extra locum deputatum expellēdos eſſe, quod videtur arguere, loci defectum eſſe perpetuum impedimentum, quia loquitur ſolum de illis, qui tunc recepti fuerant contra prius decretum, & ſermo ibi eſt de nondum profeſſis, noſter autem diſcurſus directus fuit ad profeſſos.

18 QVAERES. Cum certum ſit ſuperiorem regularem, & ordinarium loci eſſe ſimul competentes iudices in hac cauſa infra quinquennium; ex probandis q. 24. an hæc facultas illis competat iure ordinario, an delegato ſedis Apoſtolicæ?

℟. Competit iure delegato ſedis Apoſtolicæ. Probatur, Tum quia licet in eo capite 19. nulla fiat mentio huius delegationis, ſed ſolum quod prætendes ſuam profeſſionem eſſe nullam, debet deducere huius cauſas corā ſuo ſuperiore,& ordinario,omiſſio tamen huius clauſulæ non facit difficultatem; Tum quia clauſula, quæ tacite ineſt parum refert ſiue exprimatur, ſiue non, cap. 2. de Reſcr. Tum quia hæc clauſula in multis alijs locis ſupprimitur, vt cap. 1. & 2. Seſſ. 5. cap. 15. Seſſ. 23. cap. 1. Seſſ. 24. cap. 4. 11. & 14. Seſſ. 25. in quibus locis ius habet epiſcopus ſeu ordinarius ſuper regulares,quo ad examen, licentiam prædicandi, legendi, & facultatem eos corrigendi,& puniendi,& tamen certum eſt in huiuſmodi cauſis non procedere iure ordinario cum ab eo dicantur exempti, ergo iure delegationis; è contra in alijs locis exprimit delegationem, vt cap. 3. Seſſ. 6. cap. 8. & 14. Seſſ. 7. cap. 8. Seſſ. 21. & in alijs; quare ſiue exprimatur, ſiue taceatur parum refert, cum par ſit virtus taciti, & expreſſi l. Cum quid, ff. de reb. cred. Tum quia iuriſdictio ordinaria generalis eſt reſpectu cauſæ, & perſonæ gloſ. Si dicat cap. 59. de Appell. ſed in præſenti caſu eſt ſolum quo ad vnum articulum, nempe quo ad nullitatē

profeſ-

profeſſionis, ergo non eſt ordinaria; nec facit quod ſit à lege conceſſa, & ideo ordinaria, nam id ſequeretur ſi perpetua eſſet, non limitata, vt hæc ad quinquennium. Tũ quia tunc iudex dicitur delegatus, cum alias ex officio ſuo ius non habet ſuper alium, ſed illud aquirit per facultatẽ ſibi conceſſam, ratione cuius is, qui non erat ſubditus, ſed exemptus, ſubditur in cauſa cõmiſſa, vt colligitur ex Tit. de off. iud. deleg. Sed regulares, vt notum eſt, eximuntur, & de facto exẽpti ſunt ab epiſcopis, & ordinarijs reſpectu omnium cauſarum ſiue criminalium, ſiue ciuilium, ſiue ſpiritualium, ſiue temporalium, docent de communi Confect. tit. 5. cap. 1. 2. 3. Rodr. tom. 2. q. 63. per totam præſertim art. 6. Bertius in practica crim. regul. tit. 2. cap. 14. num. 9. & alij v. Exemptio. ergo ſi in aliquo caſu, vt in hoc iudicant regulares, hoc faciunt iure delegato, non ordinario, & hoc magis confirmatur in ſequentibus quæſitis.

19 QVAERES. An tranſacto quinquennio poſſint præfati Iudices audire nulliter profeſſum reclamantẽ vti eius Iudices competentes?

℞. Non, quia ſunt Iudices competentes ſolum intra quinquennium, & non vltra, vt aperte docet Concilium, dum præcipit, ne raclamans audiatur, niſi intra quinquennium tantum à die profeſſionis, non enim datur Iudex ſine audientia. Confirmatur; Tum quia quoties in iure fit mentio de cognoſcenda cauſa nullitatis profeſſionis, vel de egreſſu à religione, prætextu nullitatis, iudiciũ refertur ad Summum Iudicem, à quo etiam dirimitur, vt videre eſt cap. Porrectum, cap. Cum ſimus, cap. Sicut tenor, cap. Sicut nobis, cap. Ex parte, de regul. in quib. locis Papa reſpondet diuerſis prælatis, tum ordinarijs locorum, tum regularibus, quibus ſi competeret hoc iudicium ex eorum officio, non recurriſſent ad ſupremum in terris Iudicem. Tum quia nullus extat de hac re textus aſſerens, vel diſponens Epiſcopos eſſe iudices competentes ad dimittẽdos regulares nulliter profeſſos vltra quinquennium. Neq; hæc limitatio ponitur præciſe ex præ-

ſumta

ſunta ratificatione profeſſionis, ſed præcipue ad finiendũ ius ex eodem motiuo, quod reſtringi, & extendi poteſt à ſupremo Legislatore.

20 QVAERES: Ad quem iudicem ſpectet reſtituere reclamantem poſt quinquennium, iuxta dicta quæſtione ſexta?

℞. Ad Summum Pontificem: Probatur; quia ius reſtituendi competit ſolis iudicibus ordinarijs, ex cap. Cauſa reſtitutionis, de in integr. reſtit. ſed ſolus Papa eſt iudex ordinarius, ergo is ſolus reſtituere poteſt. Quare inualidè profeſſus cupiens poſt quinquennium à religione exire, debet à Sede Apoſtolicâ impetrare Reſcriptum quod limitate ſolet concedi, nempe; modo non ratificauerit profeſſionem, & non ſit longum tempus tranſactũ, e. g. decennium, vt vidi obſeruare Vrbanũ VIII. in diuerſis Reſcriptis ſuper hac re conceſſis. Et ſic practicari docet Portel. v. Profeſſio n. 45. §. Circa, & ex eo Compend. reſol. 101. n. 71. Diana reſol. 62. de dub. regul. Barboſa ad caput *19.* Seſſ. 25. num. 10. & 11.

21 QVAERES. Licet poſt quinquennium religioſo reclamanti negetur audientia, & recurſus ad allegandum cauſas nullitatis ſuæ profeſſionis, an admitti poſſit ſaltem ad probandam cauſam cur non reclamauit intra quinquennium?

℞. Non: Tum quia negato principali, prohibentur ea omnia, per quæ ad illud perueniri poteſt, ex Reg. 39. in 6. Sed allegatio cauſæ, cur non reclamauit, eſt via ad allegandum cauſas nullitatis profeſſionis, quas non poteſt audire Ordinarius vtrq; poſt quinquennium, ex iam ſæpius probatis, ergo nullo modo admittitur. Tum quia iudicium finiendum eſt ab eo, à quo ceptum fuit l. Vbi ceptum, ff. de iur. om. iud. Gloſ. Citatus, cap. 19. de foro comp. allegans alias leges: ſed non poſſet finiri defectu iuriſdictionis, ergo neq; incipi, principium enim ponens, totum ſupplere debet, ex cap. 57. diſt. 1. de Conſecr. Tum quia hæc admiſſio videtur fruſtratoria, cum admiſſus non poſſit poſtea obtinere ſuum intentum. Ita

ſen tit

ſentit Bonac. q. 2. de clauſ. p. 10. Diff. 4. nu. 4. §. Ad rationem, contra Rodr. Tom. 3. q. 17. art. 16. cum ſuo compend. Reſol. 101. nu 68. Portel. v. Profeſſio nu. 45. §. Circa. Mirand. Tom. 1. q. 30. art. 1.

22 QVAERES. Quiſnam ſit Iudex ſuper impedimentis perpetuis ſub Concilio non comprehenſis? An ſolus ſuperior regularis poſſit, immo debeat illos expellere?

℞. Solus regularis debet illos expellere. Quod aperte colligitur ex verbis conſtitutionis Sixti V. *Iubemus* (inquit) *eos, qui ſic de facto recepti erunt habitu ſpoliari, & à religione expelli*, & paulo poſt. *Licere quibuſcunq; Iudicibus, curijs etiam ſecularibus, ad quos ſpectat, contra eos, vt prius iuris, vel facti remedijs opportunis ex officio, &c.* Ex quibus verbis bene infertur hanc expulſionem ſpectare ſolum ad ſuperiores regulares, cum poſſint contra eos nō expulſos procedere Iudices eccleſiaſtici, & ſeculares. Cōfirmatur autem, quia de his non loquitur Concilium, vt probaui q. 16. ergò neq; eius decretum, & forma ſequēda ſunt, ſed ſuperior cognito impedimento ſiue intra, ſiue extra quinquennium tenetur expellere; quamquam hiſce noſtris temporibus nullum de facto ſit perpetuum impedimentum, præter defectum ſexus, in alijs enim, ſi qua ſunt, conceditur ratificatio profeſſionis, & talis præſumitur poſt quinquennium, vnde cautius inquirendum, conſequenter duo Iudices conceduntur, integrum enim eſt illud iudicium, quod plurimorum ſententijs confirmatur cap. Extra, diſt 64. cap. 21. de off. deleg. Clem. 1. de ſent. excom. §. Quod etiam. Ita videtur ſentire Nau. conſ. 26. nu. 13. & conſ. 48. de regul. nu. 3.

23 QVAERES. An ceptum iudicium infra quinquennium terminari poſſit tranſacto quinquennio?

℞. Poteſt. Tum quia re cepta. i. ſi iudex cepit vti ſua iuriſdictione, ſi finiatur officium, poteſt proſequi, & terminare iudicium, Gloſ. cap. Licet de off. deleg. Tum quia delegatus, cauſa cepta poſt mortem delegantis proſequitur ſuum officium cap. Relatum, cap. Gratum, cap. Si

delega-

delegatis, eod. in 6. ergo multo magis in caſu noſtro.

24 QVAERES. An ſolus ſuperior regularis ſine ordinario, vel is ſine illo poſſit valide in hac cauſa procedere, an vero ita ſint coniudices, vt nullum ſit factum iudicium ab vno ſine altero?

℞. De eſſentia huius iudicij eſt ſimultas vtriuſq; Iudicis, aliter nulla eſt lata ſententia. Probatur tum ex claris verbis Concilij. Tum ex cap. Cauſam de off. deleg. vbi dicitur, quod ſi cauſa ſimpliciter ſit delegata duobus ſententia vnius non tenet. Faciunt dicta inferius ſub q. 27. Vnde ſi profeſſio declaretur nulla à ſuperiore regulari tantum, & non ab ordinario loci, inquit Bariola v. Profeſſio, & Barb. ad cap. 19. ſeſſ. 27. num. 25. ex Riccio reſol. 10. quod talis declaratio Prælati religionis non eſt attendenda, ſed tenetur religioſus reuerti ad ſuum monaſterium, quod intellige, & è contra, ſi à ſolo ordinario nulla declaretur, & eo magis cum profeſſus etiam nulliter magis ſubijciatur ſuo ſuperiori, quam Ordinario, etiam in hoc, vnde Concilium loquens de hac re prius nominat ſuperiorem regularem, qui adhuc talis eſt reſpectu nulliter profeſſi, quam ordinarium, ex eo inſinuare volens, huiuſmodi cauſas magis ſpectare ad regularem, quam ſecularem ordinarium, cùm agatur de perſona adhuc illi ſubdita, & ab ordinario exempta, & ordo ſcripturæ ſemper attendi debet in diſpoſitionibus. Barboſa lit. O. nu. 16. multis textib. & peritis citatis. Ita omnes cum Graff. Tom. 1. conſ. 7. de regul. num. 3. Beia part. 4. caſu 18. §. Neq; obſtat Nauar. conſ. 23. de regul. n. 3. & 4. Sanch. lib. 7. diſp. 37. initio Rodr. Tom. 3. q. 17. Aphor. Epiſcop. Profeſſio 4.

25 QVAERES. An ſaltem in aliquo ſpeciali caſu poſſit ſolus ordinarius procedere, nam quidam Iuriſconſultus Brix. de quo ſupra ſub q. 17. in facti contingentia, ſine interuentu ſuperioris regularis dimiſit plures nulliter profeſſos, ex non præmiſſo nouitiatu in locis deputatis, iuxta Conſt. Clem. & Vrbani VIII. de quib. cap. 4. q. 21. ob rationes allatas, & ſolutas ſupra cit. q. 17.

℞. Non

℟. Non. Probatur ex rationibus adductis in præcedenti quæſito, ſiquidem huiuſmodi impedimentum continetur ſub diſpoſitione Sacri Concil. ex probatis cit. q. 17. & dato quod non contineretur, neſcio, quo iure is ordinarius id potuerit facere, cum nemo ſit Iudex contra exemptum, niſi ad hoc ſit delegatus, de qua delegatione non conſtat in hoc caſu, niſi virtute Sacri Concilij. Quare Sacra Congr. die 8. Iul. 1632. mandauit Vicario Capitulari Brixienſi, vt abſtineret ſe à licentiando regulares, & licentiatos procuraret, vt redirent ad ſua clauſtra. Litteræ quas tranſmiſit Emin. & Réu. Cardinalis S. Onuphrij, ad verbum referuntur in quadam reſponſione typis mandata Mediolani hoc anno 1634. à R. Patre Ioanne Franciſco Caſtello Minor. Obſeru. S. Franc. contra Doctorem D. Franciſcum Micenum Brix.

Nec obſtant obiecta præf. Doctoris in ſua allegatione, hoc anno typis recuſſa Mediolani apud Columnam. Obſtat 1. quia Concilium nichil diſponit de hoc impedimento defectus loci deputati, ſed hoc falſum, ſupra q. 17. reieci 2. Obſtat, quia ſuperiores regulares ſunt ipſo facto priuati iuriſditione, dignitate, & officijs, ex quo admiſerunt prædictos male profeſſos contra formam Decretorum Clem. VIII. Reijcitur id, aut enim ad illos non ſpectat, quia forſan finierũt ſuum officium, & ſic ad alios pertinet dimiſſio, aut ſi ad illos, ſine dubio poſſunt procedere in hac cauſa, quia huiuſmodi pęna non incurritur, niſi poſt ſententiam à Iudice datam, vt probaui cap. 3. q. 40. Obſtat 3. quia ſuperiores regulares ſunt partes, & nemo in cauſa propria poteſt iudicare .l. Vnica, C. Ne quis in ſua cauſa. Sed facile recurritur, negando ſuperiores regulares in eo caſu eſſe partes, ſunt enim vere Iudices, aliter in quibuſuis alijs cauſis non valerẽt procedere, quod tamen abſurdum eſt. Obſtat 4. quia in Breui Papæ Vrbani datur facultas Ordinarijs locorum diſiunctiue à ſuperioribus regularibus, de nouo admittendi ad profeſſionem nulliter profeſſos defectu loci deputati pro nouitiatu; ergo, & eoſdem dimittendi. Sed non tenet con-

ſe-

ſequentia; eſt enim hoc ſpecialiter expreſſum in eo Breui, & cum ſit quid diuerſum, & omnino oppoſitum noſtro caſui non eſt in conſequentiam trahendum, cum ex diuerſis, & oppoſitis non fiat illatio, ſecundum vulgata jura, maxime cum agatur de re odioſa. Obſtat 5. quia omnes cauſæ in prima inſtantia ſpectant ad Ordinarium, ex Seſſ. 24. Cap. 20. Sed non habet locum in cauſis regularium, aſſerũt Aldrete in alleg. pro omnimoda exempt. regul. pert. 1. cap. 7. nu. 4. Ricc. part. 4. deciſ. 237. nu. 7. ad finem, Nouar. in ſingul. iur. can. concl. 53. num. 12. apud Barb. ad dictum cap. nu. 9.

26 QVAERES. An in eo Breui intentio Summi Pontificis fuerit, vt nulliter profeſſi defectu loci deſignati nouitiatus expellantur à religione, vt voluit dictus Doctor Brixienſis, quod alia ratione non probat, niſi quia alias decreta dicti Papæ Clementis non ſeruarentur, ſi huiuſmodi male profeſſi retinerentur in religione?

℞. Mens Papæ fuit vt remanerent, & nequaquam recederent, aut expellerentur à religione. Suadetur, tum quia intentio Papæ in ſuo Breui eſt, vt de nouo profiteantur, quia illis præſcribit modum profitendi. Tum quia vt ad id alliciat, eoſdem poſt factam de nouo profeſſionẽ reſtituit ad honores, gradus, & quæcumq; alia, ac ſi prima eorum profeſſio fuiſſet valida. Tum quia expreſſe dicit, quod illud Breue condidit, vt religioſi in vocatione, qua eos Dominus vocauit, permaneant. Tum quia Curia Romana, & ſuperiores regularium ex ordine Sanctiſſimi, mandant ſuperioribus localibus, ne permittant ſic inualide profeſſos exire, & dimiſſos reuocent, vt habetur ex citatis litteris Sacræ Congr. præcedenti quæſito. Nec his obſtat, quod dictum Clem. decretum ſeruandum ſit, vt iubet etiam Vrbanus VIII. in ſuo Breui, ad finem quia eius obſeruatio refertur ad recipiendos, vtitur enim dictione, *impoſterum*, non autem ad receptos, ita quod expellendi ſint. Demum nullus expellendus eſt, niſi præceſſerit cauſa proueniens ex aliquo perſonali defectu profeſſi; neq; expulſio præcipitur in dictis Decretis, ſolũ

enim in ſecundo præcipitur eiectio eorum, qui tunc temporis recepti fuerant contra primum Decretum loquendo de nondum profeſſis.

27 QVAERES. An altero Iudice nolente procedere, & dimittere nulliter profeſſum, iam profeſſionis nullitate probata, poſſit alter coniudex dimittere reclamantem?

ꝶ. Nullum eſt iudicium, quando alter procedit, altero omnino nolente ſe ingerere in hac cauſa, vel non requiſito. Conſtat expreſſe cap. Cauſam; cap. Prudentiam, §. Adijcimus, de off. deleg. in quibus locis dicitur, quod ſi cauſa eſt ſimpliciter delegata duobus, non tenet ſententia vnius; & hoc notat etiam Gloſ. in caſu cap. Si contra vnũ, eod. in 6. Sed in Sacro Concilio cauſa hæc reclamationis committitur ſimpliciter duobus, ergo altero reſiſtente, nulla eſt ſententia. Facit Reg. 56. in pari, & communi cauſa potior eſt conditio prohibentis, & reſiſtentis. Quod ſi ab vtroq; iudicium ſit ceptum, & probata nullitas profeſſionis in eo iudicio, tenet ſententia vnius, altero in eo caſu irrationabiliter nolente intereſſe. Tum quia Iudex efficere debet, ne iudicium reddatur nullum ex cap. 7. de Iud. efficeretur autem nullum, ſi ab aliquo eorum non terminaretur. Tum quia ceptum iudicium ab aliquo terminandum eſt l. Vbi ceptum ff. de iuriſd. omn. iud. Quare regulari ſuperiore contradicente iniuſte, vel ſubterfugiente, poteſt ordinarius poſt biennium ſolus terminare hanc cauſam, aſſerit deciſum Armend. lib. 2. tit. 18 leg. 7. de Relig. nu. 40. cum Riccio par. 4. deciſ. 272. Curiæ Archiep. Neap. nu. 6. ex Barb. ad cap. 20. Seſſ. 24. num. 18.

28 QVAERES. An hanc facultatem dimittendi nulliter profeſſum poſſint alijs eccleſiaſticis iudicibus etiã extraneis committere?

ꝶ. Poſſunt. Colligitur ex cap. Quamuis, de off. deleg. vbi dicitur, quod ſi cauſa committatur duobus, etiamſi non apponatur, vt vnus ſine altero procedat in ea, nichilominus vnus ex ipſis, ſiue ſuo coniudici, ſiue alij vices ſuas poteſt committere.

29

29 QVAERES. Coram quibus ſuperioribus faciẽda ſit reclamatio?

℞. Sacra Congregatio, quod regulares profeſſionis nullitatem prætendentes, illam probare tenentur coram ſuperiore monaſterij, in quo profeſſionem emiſerunt, & coram eiuſdem loci ordinario. Ita refert Bariola v. regulares, & Barb. ad cap. hoc 19. Seſſ. 25. num. 23. ex Armend. in Addit. ad recomp. legum Nau. l. 7. de relig. num. 18. referente deciſum die prima Decemb. 1593 Bonac. autem q. 2. de clauſ. p. 10. diff. 3. num. 3. Nomine ſuperioris intelligit immediatum prælatum conuentus, qui profeſſionem eius admiſit, vel eum, qui in ipſius locum ſucceſſit; nomine ordinarij intelligit epiſcopum, vel ipſius vicarium in cuius diæceſi religioſus domicilium habebat, antequam religionem ingrederetur, & in horũ defectum capitulum, ſeu eius vicarium ſede vacante, itẽ in locis nullius diæceſis prælatum habentem iuriſditionẽ quaſi epiſcopalem. Sed non eſt recedendum à reſponſione Sacræ Congr. Et non placet, dictum Bonac. cum ſepe accidat hos coniudices loco multum diſtare inter ſe, & ſic reclamationẽ, reddi incommodam. Neque admitto ordinarios inferiores, & nullius diæceſis poſſe iudices eſſe quia iſti ſuper regulares nullũ ius odioſũ, neq; fauorabile habent, vt in ſimili de ratificatione probaui præcedenti capite ſub q. 25 Superior ergo localis illius monaſterij vbi profecit, ſiue ille profeſſionẽ receperit, ſiue non, debet ſimul cum ordinario eiuſdem loci audire reclamantem; & non alius, ſiue ſit Prouincialis, ſiue Generalis, ex ex eodem Barb. refert deciſum 7. Apr. 1629. Sellius in ſelectis canon. cap. 80. nu. 10.

30 QVAERES. An qui apud ſe nullam profeſſionẽ ratificauit poſſit reclamare?

℞. Non poteſt. Ratio eſt manifeſta, quia ſolis nulliter profeſſis conceditur reclamatio, ille autem, qui profeſſionem ratificauit, non dicitur nulliter, ſed valide profeſſus, ergo non poteſt reclamare; & colligitur ex decreto Sacri Concilij, quod ideo eam reclamationem reſtrin-

xit ad quinquennium, quia poſt id tempus præſumit nulliter profeſſum ratificaſſe profeſſionem, ergo poſita ratificatione aufertur facultas reclamandi, & id sẽper ſuppoſui in præcedentibus.

31 QVAERES. An volens reclamare ſi nullum habeat medium ad probandum nullitatẽ profeſſionis, poſſit vti iuramento?

℞. Non ſufficit ſolum iuramentum, ſed alia adminicula requiruntur, vt probaui quæſtione 8. & eſt expreſſus textus cap. Viduas autem, 27. quæſt. 1. & cap. Vidua, de regul.

32 QVAERES. An quinquennium datũ intra quod profeſſio ab eccleſia non præſumitur ratificata, ſed tantũ poſt, habeat locum in profeſſione non ſolum expreſſa verum etiam tacita?

℞. In vtraque. Quia ibi dicta applicari poſſunt vtrique definitioni; & ita docent Nau. com. 4. de regul. nu. 73. §. Secundo Sanch. lib. 7. diſp. 37. initio. Neq; eſt maior ratio, cur præſumatur ratificata infra quinquenniũ tacita, & non expreſſa, quam ratificatio æque ſupponit factum, ac verbum.

33 QVAERES. An regulares pro nouitijs profeſſuris ad euitandam impoſterum reclamationem ob nullitatem profeſſionis, poſſint condere ſimile ſtatutum in ſequentia verba à nouitio recitandũ ſecuta profeſſione. Ego N. iuro, me non contrauenturum huic meæ profeſſioni, etiamſi deinceps venero in cognitionem nullitatis eius, ex quacumq; cauſa, quia nunc pro tunc ratifico illam, & volo valere. Ratio dubitandi eſt: Tum quia hoc ſtatutum videtur deſtruere decretum Sacri Concilij de reclamatione, eo enim poſito nullus reclamare poteſt. Tum quia vt quis ratificet profeſſionem debet præſciuiſſe eius nullitatem ex cap. 6. q. 9. ſed is eam ignorat, ergo non tenet hoc ſtatutum ex hoc capite. Tum quia ſi tempore profeſſionis ei incutiatur metus ad profitendum, conſequenter ille metus extendetur ad hoc ſtatutum, & ſic ad iuramentum, & ratificationem, & ita neutrũ ſubſi-

ſiſtere poterit, quia metus ille, qui irritat profeſſionem; annullat etiam reliqua ei adiuncta.

℞. Regulares in ſuis capitulis generalibus poſſunt cōdere ſimile ſtatutum. Suadetur, Tum quia conditionē juſtam quilibet poteſt apponere ſuis contractibus, modo non ſit contra bonos mores, & nulli fiat iniuria l. In traditionibus ff. de Pact. ergo & profeſſioni, cum ſit contractus; neque enim nouitio fit iniuria, cum ab eo volente recipiatur iuramentum, & conſolidetur profeſſio fauore animæ, in quantum non poteſt reclamare; neq; eſt contra bonos mores, aut legem aliquam præcipue Sacri Concilij, in quo reclamatio non præcipitur, ſed tantum conceditur, & permittitur nulliter profeſſo volenti exire; modo non ratificauerit profeſſionem ex q. 30. ſi ergo nulliter profeſſus priuatim de ſe poteſt per ratificationem renuntiare huic decreto, & quare non etiam id efficere mediante ſtatuto à religione facto? vnde ceſſat prima ratio dubitandi. Tum quia ex eo nullum ſequitur abſurdū ſed valde vtile eſt ſaluti animarum eorum, qui zelo inſeruiendi Deo, religionem ingreſſi ſunt, & pariter maxime proficuum religioni, cuius tranquillitati, & paci conſulitur remotione litium, & diſcordiarum inter ſuperiores, & reclamantes, quę vt plurimum in huiuſmodi reclamationibus accidere ſolent, vt experientia rerum magiſtra nos edocuit hiſce temporibus occaſione Breuis Sanctiſſimi Vrbani VIII. multa contentione orta inter regulares, & ordinarios locorum indifferentes quoslibet incompetenter dimittentes. Tum quia licet ratificatio ſupponat ſcientiam nullitatis profeſſionis, ſufficit tamen ſcientia conditionata, ſeu in actu ſignato, in quantum quis actu profeſſionem ratificat, ex ſuppoſitione ſi nulla eſt, quāuis de facto ignoret nullitatem, vt inſinuaui ſuperius q. 9. & ſic tollitur ſecunda ratio. Demum deſtruitur tertia, dicendo iuramentum relatum ad ratificationem, metu graui ſubſiſtente, non tenere, conſequenter ratificationem nullam eſſe, cum facta ſit coacte, neq; iuramento mediante, accedat conſenſus, iuxta quæ dixi cap. 2. q. 33. ſi

vero referatur ad reclamationem, ſine dubio tenet, ita quod nulliter profeſſus reclamare non poteſt, niſi prius petat relaxationem iuramenti, & ſi enim iuramentum adiectum profeſſioni, ſeu eius ratificationi inualidis non validet eas, quia per hoc illis conſenſus nō accedit, adhuc tamen tenet, quia cadit præciſe ſuper reclamationem, cui non obſtat metus quamtumuis grauis, quia libertas neceſſaria eſt ad efficiendam profeſſionem, non autem ad eam deſtruendam, quod contingit per reclamationem, cui aliquis cogi poteſt valide ad renuntiandum, cum id non ſit proficere, ſed ſolum reſiſtere eius deſtructioni.

34 QVAERES. An à religione dimiſſus nullitate probata ſuæ profeſſionis ſecum transferat ea omnia, quæ habebat in religione?

℟. Certum eſt, ea quæ ſponte & abſolute donauit religioni remanere, quia ea reliquit præſcindendo ab actu profeſſionis; quæ vero ſecum portauit, & ratione profeſſionis religio ſucceſſit, referre poteſt; Tum quia religio ſuccedit in quantum profeſſio tenet, ſed in caſu noſtro nō tenuit, ergo redeundo ad ſeculum omnia ſecum transfert. Tum quia in hoc nouitio æquiparatur, cui reuerſo ad ſeculum omnia debent reſtitui, quæ ſua erant ex cap. 16. Seſſ. 25. vbi in fine dicitur, quod epiſcopus, ſi opus erit, per cēſuras eccleſiaſticas regulares ad eam reſtitutionem compellere poteſt. Tum quia aquiſita in ſecunda religione, in qua nulliter fuit profeſſus ſunt prioris religionis, cum poſterius monaſterium nullum ius aquiſierit in bonis nulliter profeſsi, docent Ang. v. religioſus nu. 44. Roſella 4. num. 11. Silu. 4. q. 10. Arm. num. 17. Tab. q. 27. Nau. com. 4. de regul. num. 24. §. Vndecimo, ergo idem dicendum eſt, quando in priori religione nulliter fuit profeſſus. Ita ſentiunt Anch. & Decius quos citando ſequitur Rodr. tom. 3. q. 52. art. 27. cum ſuo Compend. reſol. 123. nu. 82.

Difficultas præcipua conſiſtit in aquiſitis poſt ingreſsū, nam ea videtur aquiſiſſe non vt talis perſona, ſed intuitu profeſsionis v. g. confeſſiones, lectiones, conciones, & ſimilia

milia exercendo, emendo ex pecunijs eorum prædia, domus, aut cenſus, aquirendo relicta ſibi ex teſtamento donatione, legato, vel alia via. In hic diſtinguerem, proprietatem eorum remanere perpetuo apud religionem, cum eius titulo prædictæ emptiones factę ſint, quo ad dominium translatæ in iura religionis; Vſumfructum autē pertinere ad vitam dimiſsi, eo quod huiuſmodi diſpoſitiones ſic fiunt in gratiam ipſorum profeſſorū, poſt mortē remanere religioni. Si vero ſint relicta à conſanguineis, & cognatis, cum potius perſona vt ſic ſpectata ſit, quam monaſteriū, ideo iſta totaliter veniunt reſtituēda egreſſo, cum potius ipſi ratione cognationis, quam intuitu religionis præſumantur relicta.

35 QVAERES. An illegitimus dimiſſus poſsit ſine diſpenſatione recipere ordines, & beneficia, cum in religione fuerit diſpenſatus ratione ingreſſus, non ſolum profeſsionis ex cap. q. 10. ſed etiam probationis ex quæſtione 11.

℞. Non poteſt, quia illis diſpenſationibus gaudebat intuitu profeſſionis, quæ cum fuerit inualida, conſequens eſt etiam dicere, diſpenſationes non tenuiſſe, quia inualida profeſſio nullum verum effectum producere poteſt, ex probatis cap. 5. q. 65. Præterea diſpenſatus in vna religione tranſiens ad aliam, non cenſetur ibi diſpenſatus Rodr. tom. 1. q. 13. art. 13. ergo multo minus nulliter profeſſus tranſiens à religione ad ſeculum.

36 QVAERES. Tranſacto quinquennio non poteſt nulliter profeſſus reclamare, an religio ſaltem poſſit illū expellere, ſeu dimittere?

℞. Non. Tum quia huiuſmodi dimiſſio vel fit iure Sacri Concil., vel extraordinario, non illius iure, quia poſt quinquennium non poteſt amplius audiri defectu poteſtatis in iudicibus, ergo neque admitti, quod auditionē ſupponit; neq; alio, cum non ſit aſſignabile niſi iure reſtitutionis in integrum hoc autem ſpectat ad Summum Pontificem ex probatis hic q. 19. Tum quia cum quid vna via prohibetur alicui, ad id alia admitti nō debet 84.

de reg. iur. Sed ex Sacro Concil. prohibetur reclamatio per quam peruenitur ad exitum religionis, ergo prohibetur etiam dimiſſio. Tum quia non poſſunt dimittere eum, de quo præſumitur ratificaſſe profeſſionem, vt cenſetur ratificata in præſenti caſu. Tum quia aliud eſt expellere, quod illis ex nullitate profeſsionis minime licet, aliud dimittere, quod fieri nequit prætermiſſa reclamatione. Oppoſitum ſentit Laurent. Peirinus de ſubdito q. 1. de obed. cap. 25. §. 4. & ex eo Ioannes Baptiſta Lezana Carmelita in ſua Summa quæſt. regul. cap. 2. num 7. ea ratione, quia Concilium illud quinquennium pro reclamatione profeſſorum tantum determinare videtur: ſed non ſubſiſtit, quia ſi quid eſt prohibitum vni, prohibitum cenſetur & alteri, Menoch. conſ. 136. num. 10. & 11. Gonzali ad regul. 8. Cancell. gloſ. 50. nu. 12. ſed profeſſo poſt quinquênium negatur reclamatio, ergo & dimiſsio Prælatis; præterquamquod nullo iure cauetur, quod nulliter profeſſus debeat dimitti, niſi reclamet, exceptis caſibus tempore Sixti V., impedimenta enim irritantia profeſsionem eam impediunt, ita quod attentata nulla efficitur, non tamen ſignificant, iam profeſſum eſſe à religione expellendum.

37 QVAERES. An iuſte licentiatus à religione ſit capax beneficij, ſicut ſunt cæteri ſeculares clerici?

℟. Eſt. Tum quia per legitimum receſſum in hoc nichil differt ab alijs clericis, qui ſunt capaces. Tum quia nouitius ſponte exiens, etiam ſine cauſa, aptus eſt ad beneficia, & miniſteria eccleſiæ, cap. Poſtulaſti, de regul., ergo & licentiatus, æquiparatur enim nouitio, cum quo nunquam vere profecit.

Dixi (iuſte) quia exeuntes iniuſte, vt ſi ſunt vere profeſsi, licet probent oppoſitum, incapaces ſunt beneficiorum ſecularium clericorum, quia de iure adhuc ſubiecti ſunt Prælatis regularibus, & tenentur redire, regularia enim beneficia regularibus, & ſecularia ſecularibus conferenda ſunt, Concil. Trident. Seſſ. 14. cap. 10. & 11. Vide Barboſam ſuper dicta capita.

38 QVAE-

38 QVAERES. An nouitius approbatus ad profitendum, ea conditione, vt non profiteatur, niſi poſt habitum à Sacra Congregatione reſponſum circa valorem nouitiatus, ſi nunquam obtineatur reſponſio, eo perſeuerante in religione inter profeſſos, illorum geſtando habitum, incurrat tacitam profeſsionem, ita quod poſt quinquennium non poſsit reclamare?

℞. Incurrit tacitam profeſsionem poſt quinquennium, ita quod ipſe non poteſt retrocedere, neq; prælatus illum dimittere. Primum probatur. Tum quia ad profeſsionem hanc præſumitur acceſsiſſe conſenſus interpretatiuus ſuperioris, & conuentus abſolute, hoc ipſo quod non reijcitur, ſed tractatur more profeſſorum, & hoc per illam regulam iuris. Conſentire videtur, qui tacet, quæ habet locum, quando factum eſt tale, vt fieri non poſsit aliquo prohibente, ſi enim tunc fiat, ille qui prohibere poteſt, tacendo conſentire videtur, vt doceut gloſæ ſuper dictam regulam; procedit autem in caſu noſtro, nam ille nouitius non poteſt proficere, ſuperiore, & conuentu contradicente, qui cum non prohibeant expellendo nouitium, aut retinendo intra nouitiatum, cenſentur præſtare ſuum conſenſum. Tum quia eſto expreſſe, & poſitiue non conſentiant, adhuc tamen eſt tacite profeſſus, quia licet ad profeſsionem etiam tacitam non ſufficiat ſola habitus profeſsorũ geſtatio, viuendo quoq; inter profeſſos, ſed præter alia, inſuper approbatio ſuperioris, & monaſterij, vt conſtat ex allatis, cap. 1. q. 28. pag. 23. quæ videtur adeſſe in præſenti caſu, cum nõ fuerit abſolute præſtitus conſenſus, ſed ſub conditione, ſi haberetur reſponſum, quod cum nondum habitum ſit, & conſequenter conditio non fuerit impleta, ſuſpenditur cõſenſus vſq; ad illius aduentum, argumento. l. Cedere diẽ, ff. de verb. ſign. ita quod non poteſt ſequi profeſsio; tamen poſt quinquennium illa approbatio, conditione nõ obſtante, neq; adimpleta, de conditionali fit abſoluta, quia eccleſia illum conſenſum perficit. Summus enim Pontifex ipſius eccleſiæ caput, in quo plenitudo omnis

poteſtatis reſidet immediate à Deo, vti ſupremus omniũ religionum Pater Generalis ſupplet tranſacto quinquennio, iuxta decretum 19. Seſſ. 25. omnem defectum, & conſenſum ſuperioris, & monaſterij in fauorem nouitij perſeuerantis per illud tempus in religione, vt vtriuſque paci, & tranquilitati conſulat, & hunc conſenſum vti legalem, & canonicum me docuit Sanch. lib. 7. diſp. 37. n. 64. & dixi cap. præced. q. 11. Quare cum ex eo ſolum patiatur quæſtio hæc difficultatẽ, quod deſit conſenſus, inferendum eſt ex probatis, eo conſenſu ſubſiſtẽte; præfatũ eſſe tacite profeſſum.

Ex quibus infertur poſterius, nempe neutrũ poſſe reſiſtere huic profeſſioni, neq; nouitium, neq; ſuperiorem, quia Concilium illi non concedit audientiam, neq; huic iudicium, & dimiſſionem, quæ ſupponit audientiam, quod probaui fuſius præced. quæſt.

Duo autem obſeruanda ſunt, vnum, prædicta procedere in foro fori, nam nouitius, qui in corde ſuo, vel alias non intellexit per geſtationem habitus, & continuationẽ tacite proficere, apud Deum nichil profecit cum ad ſui valorem requirat conſenſum etiam profitentis, ſiue ſit expreſſus verbis, ſiue tacitus facto, & geſtatione habitus, ex probatis cap. 1. q. 28. pag. 23. & cap. 2. q. 1. pag. 53. ſi enim non conſentit, poteſt etiam poſt quinquennium iuxta dicta hic ſub q. 12. fugere.

Alterum eſt, quod licet Concilium expreſſe loquatur, de ijs, qui iam profeſſionem emiſerunt, ſed nullam, non excludit tamen, qui illam non emiſerunt, ſed perſeuerauerunt in religione, ſiue fuerint ab initio reprobati, ſiue eorum profeſſio dilata ſub ea, aut conſimili conditione, aut alio impedimento; ratio eſt quia paria ſunt aliquid nulliter fieri, & non fieri cap. 8. de reg. iur. l. Quoties, C. Qui ſatiſd. cog. gloſ. Inutilem, cap. 2. de Tranſl. prælat. Mar. Ant. 2. var. reſol. 11. num. 10. Barb. lit. N. n. 32. ergo Concilium loquendo de illis qui nulliter profecerũt, non excludit qui nunquam profecerunt, cum parium ſit eadem iuris diſpoſitio, & iudicium, cap. Inter corporalia

cit.

cit. cap. Sicut ergo, de Tranſl. prælat. Et eorum eſt eadem natura; l. Si ſocer. ff. ſol. matr. Et eadem eſt potentia, nec maior; l. 1. §. Veteres, ff. de acquir. poſſ. Quare ſi hoc quinquennium præſumit ratificatam profeſſionem in eo, qui nulliter profecit, ſi per quinquenniũ manſit in religione, iudicabit etiam profeſſionem tacitam in caſu noſtro.

Tranſacto igitur quinquennio nouitius præſcripſit ſuã profeſſionem, ita quod non poteſt amplius expelli à religione neq; ipſe reclamare, id prohibente Sacro Concilio, & ſi enim præſcriptio inducta ſit in alijs rebus fauore præſcribentis, ita quod huic iuri adepto renuntiari poſſit, tamen res non ſe habet ita, quando eſt mutua præſcriptio, vt in caſu noſtro, in quo religio iuuenem facit ſuum, & iuuenis facit ſuam religionem, & neuter poteſt renuntiare, quia inducta fuit fauore publico in communem vtriuſq; vtilitatem, quibus negatur ceſſio, cap. Si diligẽti de foro comp. De hac præſcriptione tangit Sanch. lib. 7. diſp. 37. num. 19. Sed is, in cuius fauorem hæc compo. ſui, reſcriptum obtinuit, & profecit ſub die 27. Aprilis 1635.

39 QVAERES. An prędictus nouitius in religione perſeuerans poſſit à ſuperiore, non obſtante illa conditione nondum adimpleta, admitti ad profeſſionem?

℞. Poteſt. Tum quia conditio habetur pro impleta quando non ſtat per eum ad quem pertinet, quo minus impleatur, 66. de reg. iur. in 6. ſed per nouitium nõ impeditur eius complementum, cum obnixe inſtet, vt procuretur à ſuperiore, & couentu, ad eos enim pertinet, cum dubitauerint de valore nouitiatus. Tum quia conditio pendens ex voluntate principis, & prælati, reputatur impoſſibilis, per l. Apud Iulianum, §. Conſtat. ff. de legat. 1. conditio autem impoſſibilis habetur pro non adiecta, cap. fin. de cond. appoſ. & impoſsibilium nulla eſt obligatio, l. Impoſsibilium ff. de reg. iur. cap. Nemo, eod. in 6. ergo ſuperior cum non obligetur ad eam conditionẽ poteſt illum recipere ad profeſsionem.

40 QVAE-

40 QVAERES. An iſte ſic tacite profeſſus, & quilibet alij habeant ius ad ſe faciendum recipere ad profeſſionem expreſſam, quinquennio tranſacto?

℟. Habent. Tum quia tacite profeſſus cogi poteſt ad profeſsionem expreſſam, vt probaui cap. 1. q 37. pag. 29. ergo vice verſa profeſſus inſtare poteſt, vt ad eam admittatur, eſt enim profeſsio contractus, & ideo claudicare nõ debet. Tum quia cogitur ſubire parem diſciplinam cũ expreſſe profeſsis, ergo & ius habet petẽdi parem doctrinam, & fauorem argumento Reg. 55. in 6. Commodũ ſentire debet, qui ſentit onus, expreſſe enim profeſsi habent ius ad prælaturas, ergo iſte priuandus non eſt huiuſmodi iure negando illi profeſsionem expreſſam. Tum quia in vno, eodemq; officio non debet eſſe diſpar profeſsio cap. 22. 16. q. 7. ergo inſeruiendo Deo in eadem religione omnes debent eſſe pares in profeſsione.

41 QVAERES. An renuntiationes, & aliæ obligationes, ſeu contractus facta iuxta decretum 16. Seſſ. 25. ſint nullius effectus, ſi reclamans probando nullitatẽ ſuæ profeſsionis dimittatur?

℟. Sunt nullius momenti, ſiue reclamet, ſiue non, hoc ipſo quod profeſsio nulla eſt, probatur, tum quia ex eodẽ decreto, non intelliguntur ſortiri ſuos effectus, niſi ſecuta profeſsione, quod intelligendum eſt de profeſsione vera, & valida docent multi cum Barb. ad dictum decretum 16. num. 17. non inualida, quia paria ſunt aliquid nulliter fieri, & non fieri, ex citatis iuribus ſub q. 38. §. alterũ ſed ſunt nullius momenti, quando non ſequitur profeſſio, ergo & cum ſequitur inualida. Tum quia deſtructo principali deſtruitur acceſſorium, ex vulgatis iuribus, ergo quoties non tenet profeſſio, neq; renuntiatio, quæ dependet ab illa. Et ita tenet Rodr. tom. 2. q. 47. art. 11. vbi ait, quod ſicut non poteſt poſt quinquennium reclamare, quia præſumitur ratificata profeſſio, ita & corroborati illi contractus, quod procedit in foro externo, ait Sanch. lib. 7. cap. 5. nu. 57. in fine; procedunt licet ſcienter inualide profecerit, docet ex Lopez Sanch. cit. nu. 55.

42 QVAE-

42. QVAERES. An è monaſterio dimiſſus per Pontificiam diſpenſationem profeſſionis validæ, recuperet ea bona, quæ alijs renuntiauit intuitu ingreſſus iuxta dicti decreti formam? dico intuitu ingreſſus, quia ſub alia ratione nulla eſt difficultas.

℞. Non. Probatur, tum quia ex dicto decreto habetur, quod ſecuta profeſſione vera, renuntiatio ſuum ſortitur effectum. Tum quia diſpenſatio ſtricte interpretanda eſt, & ſi aliquid operetur, ſufficit, ita quod vlterius extendenda non eſt, cap. 1. de fil. presbit. vt de communi docet Sanch. lib. 8. diſp. 1. num. 3. quia quæ à iure exorbitant reſtringenda ſunt, cap. 28. de reg. iur. in 6. hæc autem diſpenſatio maxime exorbitat, cum ſit circa ius naturale, & Diuinum, & tentetur extendi in præiudiciũ tertij. Tum quia licet concedatur à Summo Principe, etiam motu proprio, & ſic videretur extendenda, per textum in cap. Si motu proprio, de præbend. in 6. ex Ant. in cap. Cum in cunctis, §. cum vero, de elect. num. 14. & ibidem Decius & Hoſtienſis num. 29. Ioannes Andreas num. 18. cum in eo caſu procedat de plenitudine poteſtatis, & ex mera liberalitate, tamen res ita ſe non habet in re noſtra, cum agatur de diſpenſatione circa ius naturale, & Diuinum, in quo Papa non diſpenſat ex motu proprio, neq; ex mera liberalitate, ſed ex vrgentiſſima cauſa, & ob bonum commune reipublicæ, ita quod alio modo diſpẽſare non poteſt. Tum quia licet renuntiatio ſit intuitu religionis, ſeu profeſſionis, & conſequenter illi acceſſoria, ratione cuius diſpenſatio videtur extendenda ad illam, vnde diſpenſatio ad plura beneficia extenditur ad non reſidendum in vtroq;, ſed in altero tantum, gloſ. Retinere, cap. Non. poteſt, de præbendis in 6. & canoniſtæ communiter, tamen non extenditur in caſu noſtro, quia acceſſorium quando ſeparabile eſt, non ſequitur naturam principalis, Menoch. de interd. remed. 6. recup. poſſeſſ. num. 45. & ſufficit in eo caſu, ſi diſpenſatio circa principale obtineat ſuum effectum, vt de cõmuni docet Sanch. cit. num. 20. qui num. 21. aſſerit hoc eſſe verum, licet

non

non ita plene, & facile ſicut id accideret, ſi eſſet diſpenſatum ſuper acceſſorio, per doctores ab eo citatos.

Hanc reſponſionem videtur inſinuare Nau. conſ. 82. dum in argumentis contra ſe obiectis ait, quod donatio non valet in aliquo caſu, quo profeſſus exiret per diſpenſationem, cum ea clauſula, quod eo egrediente in aliquo caſu, non teneat facta renuntiatio, ergo ea clauſula non expreſſa, cũ neq; ſubintelligatur, firma manet facta renuntiatio ab eo, qui egreditur per diſpenſationem.

Nec obſtat deciſio ſub die 11. Ian. 1631. ex Aldano in ſuo Comp. can. reſol. lib. 2. tit. 9. num. 10. apud Barb. ad cap. 16. Seſſ. 25. num. 19. quod profeſſus epiſcopus factus recuperat ius ſuccedendi in legitima renuntiata, ad fauorem tamen ſuæ eccleſiæ; quia non diſpenſatur, vt in caſu noſtro.

43 QVAERES. An hermaphroditus qui habet vtrũq; ęqualem ſexum, ratione cuius ęqualitatis eſt incapax profeſſionis, expelli poſſit à religione non ſeruato ordine Sacri Concilij?

℞. Expelli poteſt à ſolo ſuperiore regulari, cognita tamen prius æqualitate vtriuſq; ſexus, ſicut ſi ſolum vera fæmina ſexu ementito proficeret inter viros, & è contra vir inter moniales. In his enim expulſio incontinenti neceſſaria eſt, ad euitandum proximum incontinentiæ periculum; Sacrum autem Concilium non loquitur de neceſſaria expulſione, ſed de dimiſſione eius, qui inualide profecit, aptus tamen ad profitendum, ſi velit exire. Vide, quæ dixi cap. 2. q. 35. pag. 76. & cap. præced. q. 19. & hic q. 16. & Sanch. lib. 7. diſp. 37. n. 32. & expreſſius lib. 5. cap. 4. num. 41.

Propoſui poſtremo loco hanc quæſtionem in pręcitatis locis iam reſolutam, vt occurrerem ſequenti dubio, quod finem opuſculo huic imponendo legi apud Portellũm, in ſuis dub. regul. v. Profeſſio hermaproditi, eſt autem tale.

In quadam perſona, quæ profecit inter moniales tunc

ſolum

ſolum fæmina habens ſexum fæmineum, tranſacto vno, vel duobus annis poſt profeſſionem, humeros ſupponente oneri cuidã graui, ſexus maſculinus ex vi põderis erupit, & ſic poſtea manſit hermaphrodita. Hæc eſt ſumma dubij in ſubſtantia rei, de quo quærit quinque I. An teneat eius profeſſio? II. An poſſit manere inter moniales? III. An ſi non poteſt manere, expelli non poſſit ſine licẽtia Papæ? IV. An in ſeculo manens teneatur ſeruare tria vota ſolemnia? V. An dos ſit illi reſtituenda?

Primum affirmatiue probat. 1. quia ſuperueniens impedimentum dirimens, matrimoniũ iam cõtractum nõ dirimit, de communi doctorum, ergo à ſimili idem dicẽdum de illius profeſſione, ſi fuit ab initio valida, ſi ſuperueniat impedimentum dirimens, quamuis alias eam annullaſſet. 2. Si quis valide profeſſus, poſtea committat homicidium, non ideo irritatur eius profeſſio, quamuis homicidium ſit impedimentum dirimens futuram profeſſionem (loquendo iuxta conſtitutionem Sixti V.) 3. quia fæmina habitu virili diſſimulando proprium ſexum valide profitetur inter viros, vt docet Comitolus tom. 1. reſp. moral. lib. 2. q. 8. citans Anton. Silu. Tab. Arm. ergo eo magis profitetur fæmina inter moniales, licet poſtea euadat vir, maior eſt enim incapacitas in fęmina, ſexu mentito, quam in hac hermaphrodita.

Hæc reſponſio, vt ex eius diſcurſu num. 1. & 2. & ex reſponſione ad ſecundum quæſitum colligitur, ſupponit dictam fæminam præualere in ſexu fæmineo, non autem habere æqualem ſexum, quia etiam ex eius ſententiam æqualitas promiſcui ſexus reddit hermaproditum incapacem profeſſionis, & in hoc bene diſcurrit, ſed argumẽta ſunt nullius momenti non probantia directe neq; ex obliquo intentum; nam primo, priora duo argumenta ſupponunt profeſſionem ab initio fuiſſe validam, quod erat probandum, cum ſit in quæſtione, & per ſuperueniens impedimentum non irritari debebat enim probare profeſſionem tenuiſſe ab initio, conſequenter etiam probaſſet ſuperueniens impedimentum eamdem non irritare.

quia nullus caſus dabilis eſt, in quo profeſſio ab initio valida, infringatur per quoduis ſuperueniens impedimentũ, tum quod de eius eſſentia eſt perpetuitas cap. 1. q. 42. pag. 33. tum quod matrimonium validum per nullum ſuperueniens impedimentum irritatur, quod enim Deus conjunxit, homo non ſeparet, ergo neq; valida profeſſio.

Secundo ſupponit ſuperuenientem ſexum eſſe impedimentum dirimens, quod tamen falſum eſt etiam in eius ſententia, quia ſexus erumpens non excedit alterum, ſed exceditur, vt ex eius diſcurſu colligitur, dum vult valere profeſſionem, quod non eſſet verum ſi eſſet impedimentum dirimens; vnde in ſecundo quæſito tribuit falſo Sanchez lib. 7. diſp. 106. valere profeſſionē habentis vtrumq; ſexum equalem, argumento deducto à matrimonio, quod tenet in perſona vtriuſq; æqualis ſexus ex n. 3. nam nu. 10. affert diſparem rationem, nam in vſu matrimonij adeſt ſolatium, quod inter profeſſos omnino exterminandum.

Tertium argumentum ſupponit vnum, quod ſine dubio inconueniens eſt, & falſum nempe valere profeſſionem ementiti ſexus, cuius falſitas probatur, tum quia ex diuerſitate ſexus perſona eſt inhabilis, & incapax ad profitendum cum perſonis alterius ſexus, vir quidem inter moniales, & mulier inter viros, cum id ſit contra bonos mores, & maximum ad libidinem incentiuum, Nau. conſ. 47. de regul. nu. 3. & ex eo Sanch. lib. 7. diſp. 37. num. 30. & lib. 5. cap. 4. num. 40. Tum quia in huius profeſſione non conſentit monaſterium, credens, immo in perſonā ſui ſexus conſentire intendens, nichil enim conſenſui magis eſt contrarium, quam error, & ignorantia. leg. Si per errorem, ff. de iuriſdict. om. iud. ex qua ratione multum efficaci aduerſariorũ opinio omnino euertitur. Tum quia fæmina vere non eſt profeſſa inter viros, neq; inter moniales, cum non fecerit nouitiatum apud iſtas, ergo ſimpliciter profeſſa non eſt, cum ad valorem profeſsionis nouitiatus ſit præmittendus. Tum quia rationes aduerſariorum relatæ à Sanch. nu. 40. ſunt

omnino

omnino vanæ, fundatæ in eo, quia nullibi irritatur ſimilis profeſſio, non in cap. Definimus 18. q. 2. vbi ſolū prohibetur cohabitatio regularium perſonarum vtriuſq; ſexus; ſed id non obſtat, quia ius naturæ ſufficienter dictat diuerſitatem ſexus efficere incapacem perſonam profeſſionis inter diuerſos ſexus, ratione proximi periculi incōtinentiæ, vnde ſaltem ex eo capite, vbi dicta ratio exprimitur, ſufficienter colligitur irritatio huiuſmodi profeſſionis.

Idem Portellus poſt reſponſum ad vltimum quæſitū, ſupradictū caſum, quem credebat loqui de hermaphrodito, refert ſe poſtea audiſſe, eſſe non de hermaphrodito, ſed illam perſonam poſt illam eruptionem manſiſſe cum ſolo ſexu maſculino, dicitq; eſſe caſum diuerſum à præcedenti, & indigere diuerſa doctrina, diuerſis remedijs, ac reſolutione, nihilominus reſoluit valore profeſſionem, & eiſdem medijs, quibus prioris reſolutionem ſuaſit probat, ſolum addendo expellendum ſtatim eſſe à monialibus.

Ego autem dico profeſſionem huius fuiſſe nullā, quod probo. Tum quia ſi talis caſus accideret in matrimonio carnali, iudicaretur ab initio fuiſſe inualidum, quia matrimonium ſubſiſtere non poteſt inter perſonas eiuſdem ſexus, non autem dirimeretur per ſubſequens hoc impedimentum, ſi tamen ſuperueniens dicendum eſſet, an potius coexiſtens celebrationi matrimonij, quia matrimonium firmum, & ſtabile maxime conſumatum diſſolui non poteſt, dato quouis poſtea impedimento dirimente ex probatis à Sanch. lib. 2. diſp. 13. num. 2. & 11. niſi per mortem naturalem, vt etiam id inſinuat lib. 7. diſp. 102. initio, ergo dicēdū idē in hoc ſpirituali matrimonio, ab eo enim ad hoc tenet argumentum, ita enim eſt indiſſolubile matrimonium ſpirituale, ſicut carnale, cum neutrum ſtabile poſſit diſſolui niſi per mortem naturalem, & ambo perpetuitatem includant, non ideo tamen nego poſſe relaxari profeſſionem per diſpenſationem pontificiam.

Tum

Tum quia in illa perſona ſexus vere fæmineus nõ erat, ſed fictus, & apparens, & locus ille, à quo prodijt tentum vulua non erat, ſed pars parti contigua figurans ſciſſurã vuluæ, eo modo, quo e. g. membra teſtudinis exeunt, cũ cepit incedere, natura enim potius protendit animalium partes, quam ad ſe attrahat, & deficiat, ergo valide non profecit, cum tunc habuerit ſexum maſculinum, ex quo erat inhabilis ad profitendũ inter moniales. Tum quia ille partes genitales coexiſtebant profeſſioni, & ex eorũ occultatione non fuit ſecuta profeſſio valida, quia ſicut actuale erat impedimentum, ita & actualiter impediuit valorem profeſſionis, quod autem membrum illud de nouo apparens præfuerit ab exordio palam eſt, quia in animali nulla pars de nouo generatur, ſed tantum ad generatur, & incrementum recipit, ſecundum Phiſicos, & videmus animalia monſtruoſa ab initio ſic edi in lucem. Tum quia actus vitiatur, ſi deuenitur ad eum caſum, à quo incipere non poteſt, l. Pro parte, ff de ſeruit. l. Pluribus, §. Et ſi placeat ff. de verb. oblig. non eſt autem dicendum, quod profeſſio vitietur tunc cum apparet ſexus maſculinus, à quo non poteſt incipere profeſſio inter moniales, quia profeſſio ſemel valida infringi non poteſt per quodcumq; ſuperueniens impedimentum à pari de matrimonio, iuxta dicta, ergo vitiata fuit ab initio.

Ex hactenus dictis facilis eſt reſponſio ad reliqua quæſita ab illo propoſita, à me ſuperius relata.

Secundo, & tertio ſiquidem ſatisfacit, dicendo iuxta primum caſum, remanere poſſe inter moniales, ſi præualeat ſexus fæmineus, non autem maſculinus, ſi vero ſit æqualis, eijcienda eſt à conuentu monialium, petita ſtatim, licentia à Papa, vel eius nuntio, vt euitetur proximũ incontinentiæ, & laſciuiæ periculum: iuxta vero ſecundũ caſum, in quo detegitur ſexus ſolum maſculinus, ſtatim expellenda eſt ſine alia licentia. Loquitur conſequenter ad primum, tamen falſo ait ad expellendum æqualem ſexum habentem requiri licentiam Papæ, vel Nuntij, quia quoties in his caſibus non tenet, profeſsio, neq; neceſſaria

ceſſaria eſt licentia ad expellendum; Neq; Nauar. ab eo citatus in reſponſione ad quæſ. 3. ex conſil. 47. nu. 4. non 5. loquitur de hermaphrodito æquali, ſed præualente, vt ex eius diſcurſu colligitur, ad quid enim diſpenſatio, vbi non præceſſit obligatio, cum ea huius ſit relaxatio?

Quarto reſpōdet huiuſmodi perſonam iam expulſam teneri in ſeculo ſeruare tria vota eo modo, quo poteſt quia in vtroq; caſu fuit ſecundum ipſum valida profeſſio, quę remanſit impedita ſolum quo ad cohabitationem inter moniales; loquitur conſequenter ad reſpōſionem primi. Secundum autem meam reſponſionem ad nichil tenetur, quia non valuit profeſsio. Iuxta ſecundum caſum, aſſerit perſonam illam poſt profeſsionem detectam cum ſolo ſexu maſculino, eiectam à monialibus debere ingredi religionem virorum, vt integre ſeruet vota ſua, & ad id cogi poſſe, vt videre eſt n. 5. & 6.

Quod iſta perſona profeſſa inter moniales poſt effecta vir tātum expulſa, teneatur ingredi religionem virorū, & ad id cogi poſſit. Probat multis, quæ reduco ad quatuor rationes, prima probat quod teneatur ingredi, reliquæ vero, quod cogi poſſit.

Prima eſt, vt ſeruet debite tria vota, quæ per profeſſionem promiſit, & confirmat, tum exemplo ſimulantis ſexum, qui tenetur ingredi monaſterium ſui ſexus, vt docent quamplures doctores; quos citando ſequitur Comitolus tom. 1. reſp. moral. lib. 2. q. 8. num. 3. qui hoc ipſo, quod eam profeſſionem tenere, conſequenter habent fateri, hunc debere ingredi in monaſterium virorum; tum per cap. Non ſolum, & cap. Conſtitutionem, de regul. in 6. vbi profeſſus in vna religione, remanet in quodā caſu obligatus religioni in genere.

Sed reijcitur, quia nulla huiuſmodi extat obligatio. Tum quia etiam in ſeculo vota debite ſeruari poſſunt, vt habemus exemplum in cap. Inſinuante, qui cler. vel vou. de illa muliere, quæ profecit in manu cuiuſdam fratris Sancti Auguſtini, conditione adiecta, quod volebat ma-

nere in domo propria cum omni ſua ſubſtantia, & tamē re delata ad ſummum Pontificem, quod maritum duxerat, mandauit, vt huiuſmodi mulier male dimiſſum habitum reſumeret, & quod vouit, ſeruaret nequaquam illi præcipiendo, vt religionem ingrederetur, ad quam coegiſſet illam, ſi in ſeculo non potuiſſet debite ſeruare ſuum votum.

Tum quia præcitati doctores non omnes tenent profeſſum ementito ſexu eſſe obligatum ad ingreſſum monaſterij ſui ſexus, nam Tabiena Armil. & Ang. v. Profeſſio conſcriptores nullam mentionem faciunt de hac obligatione, immo expreſſe dicunt ſic profeſſum manere extra monaſterium, & Silu. v. Religio 3. q. 9. ait non obligari niſi quando habuit intentionem profitendi quo ad eamdem religionem in ſpecie, ſed non in ſexu, vel ſaltem in genere, in his caſibus tenetur, & non in alijs; & in hoc ſenſu intelligendi ſunt præcitati textus, quibus profitens infra annum probationis, non eſt obligatus religioni, in qua votum emiſit, vbi nulla eſt, ſed religioni in genere, non ſimpliciter, ſed ſolum, & præciſe ſi intendebat ſe obligare ingredi aliquam per illam profeſſionem, & hæc obligatio eſt ſolum ſimplex votum religionem ingrediēdi, ex probatis à me cap. 1. q. 17. & 18. & cap. 5. q. 2. in præſenti autem caſu non intendit ſe obligare niſi ad religionem, in qua profitetur, ergo obligationem non habet ingrediendi aliam. Tum quia actus vnius non eſt actus alterius, l. Si non ſortem, §. Libertus, ff. de cond. indeb. ex gloſ. Ad eum pertinet extr. 3. de Verb. ſig. ergo actus profitendi inter moniales nō eſt ſe obligandi inter viros. Tum quia actus quilibet regulatur ſecundum naturam ſubiecti, ſuper quod cadit, l. Eius, ff. de oper. libert. Sed tempore probationis, & profeſſionis illa perſona, vt ſe credebat certo fæminā, ita & præſumenda eſt aliud non intendiſſe, quam profiteri inter moniales, & ſolum cum illis viuere, quia vnus non præſumitur intendere alterius ſtatum. Tum quia factum ad vnum finem, non debet operari oppoſitum, opponuntur autem profeſſio virorū,

& mo-

& monialium, ergo profeſſio inter moniales non poteſt operari obligationem viuendi cum viris religioſis. Tum quia obligatio nõ extenditur ad inſolita, l. Fiſtula, §. frumenta ff. de contr. empt. ex gloſ. Inſolitam, extr. com. de dolo, & in obſcuris inſpicimus, quod veriſimilius, & quod plerumq; conſueuit fieri, regul. 45. in 6. in ſolitum autem, immo irrationabile eſt, quod quis ingrediatur, & profiteatur in monaſterio vnius ſexus, & ſimul intendat ſe obligare ad ingreſſum conuentus alterius ſexus. Tum quia actus agentium nonquam operantur vltra eorum intentionem, l. Non omnis, ff. Si certũ petat. ergo profitens inter moniales intendebat ſe obligare ſolum ad earum profeſſionem, maxime cum actus ſemper iudicetur à principali intentione agentis, l. Si quis nec cauſam, ff. eod. quæ in caſu noſtro fuit ſe obligare religioni in monaſterio monialium.

Nec verum eſt, quod Portel num. 8. exponendo hoc dictum, ait procedere, quando vouens expreſſe intendebat ſe obligare ſolum inter moniales, ſi vero hoc non expreſſit, teneri monaſterium virorum, & concludit, moraliter loquẽdo, nonquam de illo poſſe credi, habuiſſe expreſſam intentionem viuendi ſolum in conuentu monialium: Verum, inquam, non eſt, illud dictum reſtringi ad intentionem expreſſam, & fruſtra limitatur, quia non plus operatur vna, quam altera, cùm intentio ſit tã tacita, quam expreſſa, cap. Quemadmodum, de iureiur. l. Cum quid, ff. ſi certum petat. Beia part. 3. caſu. 17. §. Non, & axioma locum proprie habet in dubio, an extendenda ſit voluntas agentis; & præterea veriſimilius eſt, intentionẽ non habuiſſe obligandi ſe profeſſioni inter viros, quam ſe obligandi, cum tunc nullum actum ageret ordinatum ad profeſſionem virorum.

Denique profeſſio, ſicut & alia vota, eſt interpretanda, vt minus obliget, iuxta illud, in obſcuris ſequendum eſt minimũ, regul. 31. in 6. vnde cap. Ex parte, de cenſ. in dubio quantitatis menſuræ voto ſubiectæ venit minor: Nec reſpondet Portel ad rem, dum ait minus eſſe huic

perſonæ ingredi religionem virorum, in qua non eſt obligatio ſeruādi clauſurā, ſicut inter moniales, quæ per illā quarto voto adſtringuntur; quia non eſt dubium de ingreſſu reſpectu illorum monaſteriorum, ſed de ingreſſu inter viros, & manſione in ſeculo, vt de ſe notum eſt.

Secunda primo probans poſſe cogi, eſt quia eccleſia cogit moniales ad clauſuram, ad quā alias non ſe obligarunt, cap. 1. de ſtatu regul. in 6. ergo eo magis cogere poteſt hanc perſonam, cum iam ad id teneatur. Poteſt negari conſequentia, quia moniales coguntur ad clauſuram, quam non vouerunt, vt occurratur illarum diſcurſui per ſeculares viros, quod illis eſt graue periculum incontinentiæ, quod non accidit in caſu noſtro, vbi non timetur hoc periculum, & poteſt commode ſeruare promiſſa.

Tertia ſecundo probans eſt, quia cogendo hunc ad ingreſſum nō obligat ad aliquid, ad quod nō tenebatur, ſed ad id, ad quod ſe voluntarie adſtrinxit. Negatur hoc, quia neceſſario debet denuo profiteri, & viuere ſecundum regulam virorum, ergo ad aliquid amplius obligatur, neq; hunc religio admitteret, niſi regulam profiteretur.

Quarta tertio probans eſt, quia quis ſolo ſimplici voto publice adſtrictus cogitur ad illud exequendum, & ſi eſt religionis tenetur ad ingreſſum, docet Henr. tom. 2. lib. 2. cap. 9. num. 9. lit. Q. ergo eo magis iſte cogi poteſt, qui profeſcit ſolemniter. Negatur iſta coactio, quia obligatio non excedit limites profeſſionis inter moniales, vt pluribus probaui, cum quibus cum non poſſit conuiuere, ſatisfacit ſuæ obligationi, remanendo in ſeculo, ſi tamen eſt obligatio, quod non ſuſtineo.

Recolligendo prædicta hactenus, certum eſt apud me in ſecundo caſu non valere profeſſionem, & iuxta eius ſententiam, poſito valore vtriuſq; profeſſionis, non teneri religionem virorum ingredi, ſed bene obſeruare poſſe, quod promiſit, manendo in ſeculo. Verum cum in mea ſententia ſufficienter ſolidis rationibus firmata, nulla omnino ſit emiſſa profeſſio, in hoc caſu, poteſt hæc perſona de

na de muliere effecta vir manere in ſeculo ſine vlla obli-gatione, & ducere vxorem, ſeu ordines recipere, vt de ordinibus docet Suar. tom. 5. diſp. 51. ſect. 2. nu. 2. Filiuc. tract. 19. cap. 6. num. 162. quos referendo ſequitur Bonac. q. 2. de irregul. p. 2. nu. 13. §. Verum.

An autem contingere poſsit è contra virum euadere fæminam, puto, quod ſi virilia retraherentur, non ideo reuerteretur fæmina, ſed adhuc vir remaneret, quia illa retractio eſſet cauſa ſolius occultationis illarum partium, quæ efficiunt non vuluam, ſed orificiũ, vt ita dicam, cuiuſdam burſæ reſtringentis intra ſe virilia; neq; de nouo generari poteſt, cum nulla pars animalis proprie generetur, ſed coæua ipſi toti ſolum ad generatur, & creſcit.

FINIS.

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

Primus numerus indicat caput, ſecundus quæſitum, tertius paginam.

A

ABbas non profitetur ſine licentia Papæ, cap. 2. quæſt. 67. pag. 101. eius eſt tota poteſtas monaſterij, & quomodo 3. q. 9. 124.
Abbatiſſa recipit ad profeſſionem 3. q. 7. 121.
Abſolutio datur nouitijs à quibuſcumq; 4. q. 56. 221. etiam extra Sacramentum ibid. 227. non à caſibus in Bulla cænæ 227. non reincidunt recedentes 226.
Abſoluendi facultas in Concilio facta epiſcopis, extenditur ad regulares 4. q. 56. 222.
Abſtinentia à carnibus eſt grauis auſteritas. 4. q. 40. 210.
Acceptatio ad profeſſionem eſt actus duplex. 3. q. 1. 118.
Actus agentium non operantur vltra eorum intentionem 4. q. 16. 195.
Aeris nomine quid veniat. 2. q. 59. 94.
Aetas nouitiatus 4. q. 7. 181. profeſſionis. 1. q. 28. 24. 2. q. 46. q. 47. 81. Statuta à Trident. ſufficit non obſtantibus ſtatutis ſpecialibus. 2. q. 49. 82.
Alimenta recipit etiam inualide profeſſus. 2. q. 36. 77. cum patrimonio coincidunt. 2. q. 19. 68. eorũ negatio irritat profeſſionem 2. q. 19. 68.
Alius dictio exponitur. 3. q. 17. 131.
Amens nullus in dubio præſumitur 2. q. 20. 69. non recipitur 2. q. 75. 115. quid de eius nouitiatu. 4. q. 39. 209. eius profeſſio nulla 2. q. 20. 69.
Analogatorum vnum alio perfectius 1. q. 10. 14.
Angela Beata inſtitutrix religioſarum T. ord. 1. q. 49. 46.

Ante-

Antecedens volens, vult etiam conſequens 1. q. 33. 28. *ex-*
ponitur. 2. q. 9. 58.
Argumentum ab electione, et à Matrimonio tenet ad pro-
feſſionem 1. q. 50. & 51. 48.
Auſteritates omnes in ſpecie experiēda nō ſunt 4. q. 40. 210.

B

BAptiſmus fundamentum reliquorum ſacramentorum 2. q. 45. 81. *in eo facta abrenuntiatio non eſt votum*. 1. q. 49. 43.
Baptizatus nondum, inualide profeſſus. 2. q. 45. 81.
Benedictinorum forma profeſſionis. 1. q. 47. 36.
Beneficia an profeſſione tollantur 5. q. 36. 270. *eorum eſt in-*
capax profeſſus. 1. q. 43. 33. 5. q. 38. 271. *non vero di-*
miſſus 7. q. 37. *ſecularia ſecularibus, regularia regulari-*
bus. 5. q. 38. 271. *eius nomine non veniunt prælaturæ re-*
gulares. 1. q. 43. 33. *neq; profeſſio*. 1. q. 44. 33.
Bigamus efficitur religioſus ducens vxorem. 1. q. 51. 49. *à*
quo diſpenſetur 4. q. 56. 223.
Biſextilis dies quomodo computetur 4. q. 10. 184.
Bona fortunæ ſunt quædam vitæ hominis 2. q. 13. 64.
Bona profeſſi tranſeunt in religionem capacem 5. q. 22. 259.
remanent apud priorem, ſi tranſit ad ſecunda vota 5. q.
44. 276. *aduentitia quænam ſint*. 5. q. 29. 265.
Bonorum ſtabilium omnes religiones ſunt capaces exceptis
Min. de Obſeru. & Capucinis. 5. q. 4. 250.
Breue Vrbani 8. *ſuper profeſſionibus extenſum*. 3. q. 37. 149.

C

CApitis diminutionē non patitur profeſſus. 5. q. 17. 257.
Capucini non audiunt in confeſſione ſeculares. 4. q.
67. 240
Caputij ablatio pœna grauiſſima. 4. q. 62. 233.
Carcer æquiparatur morti. 4. q. 13. 192. *illo non eſt puniē-*
dus nouitius. 4. q. 13. 192. & q. 62. 233. *aliquando ſic*
5. q. 43. 275.
Cartuſianus fere ſemper ægrotus, & carnes comedens inuali-
de profitetur. 2. q. 69. 102. *dicitur nullus eius nouitiatus*.
4. q. 40. 209.

Caſibus reſeruatis in religione ligatur nouitius 4 q. 52. 216.
Caſtitas triplex 1. q. 10. 13. inter aſperitates maxima 4. q. 7. 181.
Cauſa ſaltem natura præcedit ſuum effectum. 2. q. 4. 55.
Cenſura non impedit ſuperioritatem, licet iuriſdictionem. 3. q. 15. 128. illa ligari poſſunt nouitij. 4. q. 53. 219. tollitur à prælatis maioribus. 4. q. 66. 238.
Character profeſſione non aquiritur 2. q. 43. 80.
Circumſtantia caſtitatis ex voto aperitur in confeſſione. 1. q. 7. pag. 9.
Ciuis eſt religioſus loci, vbi habitat. 5. q. 47. 279.
Claudus diſpenſatur. 4. q. 56. 222.
Clauſula irritans reſtringitur. 2. q. 65. 99.
Clauſuram ſeruare debent profeſſi. 2. q. 38 78.
Clemens conſtitutiones Sixti reduxit ad terminos iuris communis. 2. q. 52. 89. & q. 58. 91. & 92.
Clericus nouitius an profiteatur, vt conuerſus. 3. q. 53. 80.
Cognatio profeſſione non perditur. 5. q. 42. 273.
Compater eſſe non poteſt. 5. q. 42. 274.
Conditio de præſenti, vel præterito non ſuſpendit actum. 3. q. 50. pag. 164.
Confeſſarius electus pro ſecularibus non audit regulares. 4. q. 64. 236. non eget approbatione epiſcopi pro ſuis. 4. q. 67. 240. ſed tantum ſui prælati. q. 65. 236. ſpectat autem ad maiores, ibd. dimiſſa prælatura non amplius audit ibid. 237. non audit prælatus nouitios, ibid. 235. eligunt ſacerdotes extraneos de conſenſu ſuorum prælatorum. 6. q. 5. pag. 296.
Congregatio Sacra non poteſt recipere ad profeſſionem. 3. q. 3. 120. mandat Vicario Brixienſi, vt remittat dimiſſos ad religionem. 7. q. 25. 334.
Coniugatorum profeſſio quomodo fiat. 2. q. 74. 110. coniugatus non profitetur ante annum. 4. q. 34. 205.
Conſenſus eſt de eſſentia profeſſionis. 3. q. 50. 163. ex parte admittentiũ non debet eſſe neceſſario liber. 3. q. 19. 132. vltimus præcedentes confirmat. 3. q. 55. 169.
Conſuetudo non tollit decretum irritans. 4. q. 5. 180.

Con-

Contractus eſt vltro, citroq; obligatio 1. q. 4. 7. *non debet claudicare*. 3. q. 19. 133.
Conuerſus educatur in loco deputato. 4. q. 14. 193. & q. 72. 246. *valide profitetur ante* 21. *annum*. 2. q. 49. 83. *præceditur à clericis etiam nouitijs*. 5. q. 56. 285. *non poteſt recipi in numero clericorum*. 3. q. 52. 166. *ſi recipiatur quem locum teneat*. 5. q. 55. 284.
Criminoſi quomodo profiteantur. 2. q 58. 91. *tales in re ſed nō bona fide adhuc inabiles*. 3. q. 39. 154.
Cruciata non gaudent profeſſi neq; nouitij. 4. q. 70. 244.
Cum eſt dictio coniungens. 2. q. 49. 84.
Curatus quomodo profiteatur 2. q. 67. 101.
Cuſtos prelatus non eſt, officium eius eſt ſuffragandi. 5. q. 64. pag. 289.

D

Datum ſub conditione ne alienetur tranſit cum profeſſo. 5. q. 24. 261.
Debitor an poſſit profiteri. 2. q. 59. 93. *an teneatur ſoluere debita poſt profeſſionem*. 2. q. 59. 95. & cap. 5. q. 15. 257.
Definitio conuertitur cum ſuo definito. 1. q. 49. 43.
Definitores Generales ſuffragantur nouitio 3. q. 47. 161.
Definitor an præcedat 5. q. 64. 289.
Delegatur cauſa ſpiritualis laico 3. q. 1. 119.
Deliberatio quid. 2. q. 2. 54. *reſpicit conuenientiā faciendi*. 2. q. 6. 56. *quænam requiratur ad profeſſionem*. 2. q. 2. & 3. pag. 54.
Denominatio fit à cauſa proxima. 3. q 1. 119.
Deſcendentes ex Iudeis an profiteri poſſint. 2. q. 73. 109.
Deus inſpicit animum, non factum. 2. q. 9. 57.
Dignitas in ſeculo an profeſſione amittatur. 5. q. 39. 273.
Diſcretatus eſt officium oneris non honoris. 5. q. 64. 289.
Doctoratus eſt dignitas. 5. q. 58. 286. *profeſſione remanet*. q. 40. 273.
Dolus aliquando vitiat profeſſione. 2. q. 23. 70.
Domiciliū contrahitur à nouitio. 4. q. 52. 216. & q. 53. 218.
Dominij eſt incapax profeſſus. 5. q. 4. 249. *aliquorum tamen actuum eſt capax*. 5. q. 4. 250.

Donare

Donare cauſa mortis ſtricto modo non poteſt. 5. q. 32. 268.

E

EBrij profeſſio quando teneat. 2. q. 21. 69.
Electio eſt actus vnius perſonæ ex multis. 3. q. 49. 162.
Eleemoſyna quæritur à nouitijs. 4. q. 14. 193.
Emphiteuſis profeſſione non extinguitur. 5. q. 28. 264.
Epilepticus qis dicatur. 2. q. 75. 116.
Epiſcopatus, & prælatura regulares æquiparantur. 4. q. 56. pag. 221.
Epiſcopo regulares prælati ſunt maiores quo ad iuriſditionē. 4. q. 56. 221. illis olim ſubdebantur religioſi. 5. q. 46. 279. ſine licentia Papæ non profitetur. 2. q. 66. 100. neminem recipit ad profeſſionem. 3. q. 5. 120. quomodo dimittat nulliter profeſſos. 7. q. 18. 329. an vltra quinquennium. q. 19. 330. an iure extraordinario. q. 20. 331.
Error quando cauſa finalis. 2. q. 23. 70. quando vitiet profeſſionem. 3. q. 23. 70. contrarius conſenſui. 2. q. 23. 71.
Examinatio nouitiorum quomodo fiat. 2. q. 61. 96.
Ex communicatio pæna grauiſſima. 2. q. 13. 63.
Excommunicatus valide profitetur. 2. q. 36. 76. valide recipit profſſionem nouitij 3. q. 14. 127. eſt percutiens nouitium 4. q. 43. 211. nominatim nouitius ante ingreſſum nō abſoluitur. 4. q. 36. 225.
Exemptio regularium ab oneribus 5. q. 45. 278. à iuriſditione ordinarij 5. q. 46. 279. & cap. 7 q. 18. 330. Regia fruuntur nouitij. 4. q. 1. 177. duodecim fratrum 5. q. 20. pag. 259.
Exire poteſt nulliter profeſſus 5. q. 3. 248. & 7. q. 3. 314. quot tempus habeat ad deliberandum 6. q. 6. 297.
Expenſas petit conuentus à nouitio. 3. q. 23. 138.
Expulſus profeſſus rediens non tenetur profiteri. 1. q. 4. 8. & cap. 2. q 71. 102. non gaudet loco. 5. q. 52. 283. quomodo nunc ſint expellendi profeſſi. 7. q. 2. 314. expulſio nouitij ſine cauſa, eſt peccatum mortale. 3. 22. 125. expelli poteſt non ſoluens expenſas. 3. q. 23. 137. Expelli non poteſt nouitius, niſi pro re graui. 3. q. 45. 159. expulſio nouitij ad quem ſpectet. 3. q. 46. 160. Expulſus

iniuſte habet ius faciendi ſe admittere 3. q. 56. 169.

F

FAmuli, et Terzini confitentur approbatis ſolum à regularib. 4. q. 6. 240.

Fauor naturalis ciuili præfertur 5. q. 23. 261.

Fœminam cogens ad religionem eſt excommunicatus. 3. q. 42. 156. illi impediens ingreſſum in religionem eſt excommunicatus. 3. q. 43. 158. eius profeſſio inter viros eſt nulla, 2. q. 34. 76. expellitur à ſuperiore regulari 7. q. 2. 314. non dat nobilitatem. 5. q. 41. 273.

Feudum an tranſeat ad religionem. 5. q. 26. 262.

Fideicommiſſum an profeſſione tollatur. 5. q. 23. 260.

Filius ingrediens patre relicto in neceſſitate p. m. 2. q. 51. pag. 87. egreditur ad ſubueniendum illi. 2. q. 51. 87. magis ſubijcitur patri, quam Papæ. 1. q. 53. 50. quibus prohibeatur ingreſſus ex conſt. Sixti V. 2. q. 55. 90. & q. 56. pag. 91.

Firmatur minime tractu temporis, quod ab initio non ſubſiſtit. 3. q. 18. 132.

Franciſcus Sanctus quo tempore inſtituerit tres ordines. 1. q. 49. 45. an illi obediendum ex voto. 1. q. 49. 45.

Frnnciſcani conuentuales extincti fuerunt in Hiſpania. 1. q. 53. pag. 50.

Franciſcus Micenus arguitur. 7. q. 17. 326. male licentiauit quoſdam religioſos, 7. q. 25. 334.

Fratres duo valide profitentur in eodem conuentu. 2. q. 57. pag. 91.

Fruſtra nichil faciendum. 4. q. 19. 197.

Fuga an interrumpat nouitiatum. 4. q. 13. 187. quinq; dierũ, maxime prope finem non interrumpit nouitiatum. 4. q. 13. pag. 190.

Fugere poteſt inualide profeſſus. 7. q. 12. 320. Fugiendi copiam facere poteſt ſuperior. 7. q. 13. 321.

Furioſi profeſſio nulla. 2. q. 10. 69.

G

Generalis inualide profitetur in alia religione ſine licentia Papæ 2. q. 67. 101. ſolus non recipit ad profeſſione. 3. q. 20.

20. 134. *Suffragatur nouitio*. 3. q. 47. 161.

Genus, quod non poteſt niſi in vna ſpecie verificari, pro ſpecie habetur. 1. q. 10. 14. *reſtringitur per ſpeciem ſibi adiectam*. 1. q. 49. 43.

Graduum, honorum, & dignitatum nomine quid veniat in conſt. Sixti V. 3. q. 37. 148.

H

Habitare poteſt extra, ſi habeat adminiſtrationem. 2. q. 38. pag. 78.

Habitatio perſonarum vtriuſq; ſexus in eodem loco prohibetur. 2. q. 34. 76.

Habitus religionis quotuplex. 1. q. 16. 17. *non facit monacum*. 1. q. 29. 25. & 2. q. 37. 77. *nouitiorum non eſt neceſſario diſtinctus ab eo profeſſorum*. 4. q. 17. 196. *deferendus aperte*. 2. q. 37. 77. *ſine illo tenet profeſſio expreſſa, ibid. non tamen tacita*. 1. q. 23. 22.

Hermaphroditus an valide profiteatur. 2. q. 35. 76. *de eodem mutato ſexu multa dicuntur cap*. 7. q. *fin*. 348.

Homicida clerici abſoluitur. 4. q. 56. 222. *an diſpenſetur ab irregularitate ibid*. 223.

I

Ieſuitæ tribus addunt alia. 1. q. 48. 37.

Ignorans peccat ſumendo ſtatum clericalem. 3. q. 22. 136.

Illegitimi profeſſio tenet. 2. q. 52. 88. *viuente patre profeſſo valide profitetur*. 2. q. 56. 91. *ex vi profeſſionis eſt capax ordinis*. 5. q. 10. 253. *dimiſſus eget diſpenſatione*. 7. q. 35. 341. *non eſt illegitimus ex coniugatis profeſſis ſuſceptus*. 2. q. 55. 90.

Impedimentum requiſitus debet reuelare. 4. q. 54. 220. *perpetuum fere nullum*. 7. q. 22. 332. *dirimentia profeſſionem non omnia ſubſunt diſpoſitioni Trident. de reclamatione*. 7. q. 16. 323.

Impubes quomodo recipiatur ad religionem. 4. q. 9. 182. *non eſt aptus ad nouitiatum*. 4. q. 8. 182. *gaudet tamen priuilegiis profeſſorum*. 4. q. 42. 210.

Incerta diſpenſantur in pios vſus. 2. q. 59. 95.

Incorrigibilis quomodo eyciatur. 7. q. 2. 313.

Indulgentia plenaria profeſſione aquiritur. 5.q.9.252.
Infamis diſpenſatur. 4. q. 56. 224. *Infamiam inducentia.* 2. q. 75. 116.
Inferior non poteſt deſtruere factum ſuperioris. 3. q. 53. pag. 167.
Infirmitas an vitiet nouitiatum. 4. q. 40. 209.
Informationes non amplius recipiuntur ab ordinarijs. 4. q. 30. 204. *recipiuntur à ſuperioribus localibus.* 2. q. 76. 116. *eis omiſſis tenet profeſſio.* 2. q. 65. 99. *quæ à nouitijs recipiendæ.* 2. q. 61. 96. & q. 64. 98. *non ſunt recipiendæ à minorib. ſexdecim annis.* 2. q. 61. 98. *neque à tranſeũte ad ſecunda vota.* 2. q. 63. 98.
Ingratitudo profeſſione tollitur. 5. q. 13. 255.
Ingreſſus in religionem ſignificat profeſſionem. 1. q. 1. 2.
Ira impedit animum, ne ſciat cernere verum, explicatur. 2. q. 22. 69. *quando impediat profeſſionem.* 2. q. 22. pag. 69.
Irregularitas an profeſſione tollatur. 5. q. 10. 252. *an nouitiatu* 5. q. 11. 253.
Irregularitates diſpenſabiles in religione, quænam ſint. 4. q. 56. 222. *Irregularis an recipiatur ad religionem,* 2. q. 77. pag. 117.
Iudeorum deſcendentes an valide profiteantur. 2. q. 73. pag. 109.
Iudex in cauſa Reclamationis : v. Reclamatio.
Iura profeſſi tranſeunt in religionem. 5. q. 22. 259.
Iuramento non ſolidatur profeſſio nulla. 2. q. 33. 75. & cap. 7. q. 31. *neque probatur.* 7. q. 51. 338.
Iuriſditio contentioſa non eſt ſine coactione. 2. q. 42. 80. *nõ exercetur extra territorium.* 3. q. 54. 168. *eam habent prælati regulares ſuper nouitios.* 4. q. 53. 218.
Ius patronatus an profeſſione perdatur. 5. q. 25. 262.
Iuuenes recipiuntur, quidem, ſed non probantur niſi poſt quatuordecim annos. 4. q. 8. 182.

L

LEgatum, ſi nubat, aquiritur monaſterio, ſi ingreditur. 5. q. 35. 270.

Legatus à latere nòn recipit ad profeſſionem. 3. q. 4. 120.
Legitima an debeatur filio ſecuta patris profeſſione. 5. q. 31. pag. 266.
Lex ſimpliciter prohibens non irritat actum. 2. q. 49. 83.
Liber in quo ſcribitur profeſſio. 6. q. 14. 303.
Libertas profeſſionis, et electionis in quo differant. 3. q. 19. 133. Licentiam manendi extra dat Prior. 4. q. 14. 194.
Licentiam manendi extra ad ſubueniendum parentib. quis det. 2. q. 51. 88.
Licentiatus ſi reuertatur ſedet vltimo loco. 5. q. 62. 288.

M

Magiſter in Theologia præcedit ſimplices ſacerdotes. 5. q. 58. 286.
Magiſter nouitiorum indigno ex ſcientia confeſſionis nõ negat ſuffragium. 3. q. 25. 139. quomodo eligatur. 4. q. 57. ad 64. à 228. ad 234. illi ſubijciuntur nouitij conuerſi. 4. q. 71. quam poteſtatem habeat ſuper nouitios. 4. q. 61. 230. q. 61. 231. Non poteſt eos carcerare q. 62. 233. quo iure excipiat confeſſiones nouitiorum. 4. q. 65. ad 69. à 234. ad 241. non eget approbatione epiſcopi q. 67. 239. Illis non aſſignat confeſſarium. 4. q. 65. nu. 235.
Magiſtri ſocius qualis ſit, & quomodo eligatur. 4. q. 58. 229. q. 60. 230. q. 64. 234. non audit nouitios q. 65. 236.
Maioratus profeſſione non tollitur. 5. q. 27. 263.
Martyrium infert remiſſionem culpæ, & pœnæ. 1. q. 38. 30. quid eius laureola. ibid. 31.
Matrimonium à profeſſo contractum alias valebat, quod poſtea primo prohibuit Papa Siricius 1. q. 3. 5. q. 44. 35. quomodo cum monachatu ſtare poteſt, ibid. 34. eius nunc eſt incapax. 5. q. 5. 250. contrahentes ſunt excommunicati. 1. q. 49. 47 & 5. q. 6. 151. contrahens fit bigamus. q. 51. 49. non conſumatum irritat profeſſio. 5. q. 7. 251.
Maumetanorum deſcendentes an ſint capaces religionis. 2. q. 73. pagina 109.
Metus quid, & quotuplex. 2. q. 12. 59. in dubio huius materiæ cenſetur leuis q. 16. 66. ſufficit illatus initio probationis. q. 17. 67. irritat profeſſionem iure eccleſiaſtico, ibid. reueren-

nerentialis ſolus non irritat profeſſionem. 2.q.14. 64. irritat ratificationem. 6.q.22.307.
Militares ſunt vere religioſi 1.q. 10.15. profitentur infra annum. 4. q. 4. 178. & q. 31. 205.
Milites non prohibentur à religione. 3. q. 16. 130.
Minime addunt quartum votum. 1. q. 48.37. translatus comedit carnes. 2. q. 72. 104. ſemper infirmus non peragit nouitiatum. 2. q. 69. 102. & 4. q. 40. 209. eorum nouitij profitentur in anno decimo octauo. 2. q. 49. 83.
Monialis non examinata valide profitetur. 2. q. 70. 102.
Mores diuerſificantur diuerſitate temporis. 4. q. 19. 198.
Mortuus eſt mundo religioſus. 5.q.18. 258.
Mutilans diſpenſatur. 4. q. 56. 223.
Mutus valide profitetur. 2. q. 30. 74.

N

NAtalium defectus an tollatur profeſſione in ordine ad ſucceſſionem. 5.q.12. 253.
Neceſſitas triplex. 2.q. 51. 86.
Nobilitas ſanguinis profeſſione non tollitur. 5.q.41.273.
Nouitiatus locus deſcribitur. 4.q.1.175. eſt via, & diſpoſitio ad profeſſionem. 4.q. 1. 176.
Nouitiatus eſt ſtatus variabilis, & reuocabilis. 4.q.51. 215. eſt ſtatus medius inter ſecularem, & regularem. 4. q.51. 215. ad quem finem præmittitur. 4. q. 2. 177. vno perficitur anno. 4. q. 3. 177. Nec additur dies. 4. q. 35. 205. anno probationis non poteſt renuntiari. 4. q. 5. 179. fit de intentione vtriuſq; 4. q. 6. 184. fit abſq; intentione illum perficiendi. 4. q. 16. 195. fit in anno decimoquinto, nõ ante. 4. q. 7. 181.
Nouitiatus debet eſſe integer. 4. q. 10. 183. & q. 11. 184. non interrumpitur acceſſu ad ſuperiores. 4. q. 13. 187. neque à manente extra de licentia. 4. q. 14. 192. neque breui fuga. 4. q. 14. 185. 189. neque peractus in diuerſis locis. 4. q. 15. 194. fictus an teneat. 4. q. 16. 195. in veſte ſeculari non tenet. 4. q. 17. 196. non neceſſario coniungitur profeſſionis. 4. q. 18. 196. intruſi non teneat. 4. q. 20. 198.
Nouitiatus opere magis perficitur, quam intentione. 4. q. 16.

16. 196. per agendus eſt in loco deputato. 4. q. 21. 198. an alias fieri potuiſſet extra. 4. q. 22. 199. incipit à die ingreſſus in locum deputatum. 4. q. 26. 202. ex eius nullitate ſequitur nullitas profeſſionis. 4. q. 28. 204. tenet in conuentu licet non ſit factus in loco deputato. 4. q. 29. 204. reiterandus eſt à tranſeunte ad ſecunda vota. 4. q. 4. 179. & q. 32. 205 & quando à nouitio eiecto. 4. q. 12. 187. non eſt repetendus à recedente. 4. q. 19. 197. neque à dimiſſo redeunte 4. q. 36. 205. neque à ratificante. 4. q. 37. 208. & cap. 6. q. 12. 302. neq; repetendus eſt à reuertente. 4. q. 44. 211.

Nouitius quis ſit. 1. q. 2. 3. in fauorabilibus venit nomine religioſi. 4. q. 1. 176. q. 67. 240. gaudet priuilegijs profeſſorum. 4. q. 1. 176. 4. q. 42. 210. eſt perſona media inter ſecularem, & profeſſum. 4. q. 1. 176. eſt perſona eccleſiaſtica. 4. q. 46. 212. & 5. q. 43. 275. ſubditur prælatis regularibus, etiam in foro externo. 4. q. 53. 218. & 5. q. 43. 273. confitetur ſuo Magiſtro. 4. q. 70. 242. extra inualide confitentur. 243. recipitur etiam extra capitulum. 2. q. 61. 97.

Nouitius extra locum veſtiri poteſt. 4. q. 24. 199. finito probationis anno ſtatim profiteri debet. 2. q. 68. 101. nolens ſoluere expenſas expelli poteſt. 3. q. 23. 137. pernoctare poteſt extra. 4. q. 14. 193. & q. 45. 211. an officia amittat. 4. q. 47. 212. non tenetur obſeruantijs regularibus ex voto. 4. q. 53. 218. exiens peccat venialiter. 4. q. 45. 211. continuo probandus non eſt. 4. q. 39. 209. Nec omnes aſperitates probare tenetur. 4. q. 40. 209.

O

Obligatio naturaliter ſequitur ad promiſſionem. 2. q. 9. pag. 57.

Oculo carens dextro diſpenſatur. 4. q. 56. 222.

Officia an nouitiatu perdantur. 4. q. 47. 212.

Officia an profeſſione perdantur. 5. q. 39. 272.

Oracula viuæ vocis ſublata ſunt. 4. q. 56. 228.

Ordinarius nullius diœceſis nullum ius habet in regulares. 6. q. 25. 309.

Ordi-

Ordines poſſunt nouitij recipere. 4.q.48. 212.
Orthodoxus quis. 2. q. 75. 115.

P

PApa ſolus admittit ad profeſſionem. 3. q. 2. 119. *eſt ſupremus prælatus omnium*. 3. q. 2. 119. *ſolus approbat religiones*. 3. q. 2. 120. *habet plenitudinem poteſtatis à nullo limitabilem*. 3. q. 2. 119. *non poteſt cogere profeſſos ad ſtrictiorem profeſſionem*. 1. q. 53. 50. & *cap*. 2. q. 41. *pag*. 79.
Parentes an poſſint obligare filios religioni. 3. q. 32. 144.
Parentum paupertas impedit ingreſſum. 2. q. 51. *pag*. 86. *Licentiam egrediendi pro ſubueniendo illis quis det*. *ibid pag*. 88.
Parochus regularis efficitur per examen epiſcopi. 5. q. 38. *pag*. 272.
Parochus dicitur ſuperior localis. 4. q. 65. 237.
Patria poteſtate liberatur profeſſione filius. 5. q. 19. 259.
Patri an præiudicet. 5. q. 20. 259.
Patrimonium renuntiare poteſt inter profitendum. 4. q. 48. *pag*. 213.
Paupertas eſt abdicatio proprietatis. 2. q. 27. 72.
Pœna contra recipientes criminoſos. 3. à q. 37. *ad* 41. à *pag*. 147. *ad* 155.
Pœnæ contra cognoſcentem coniugatam extenduntur ad luxuriantem cum moniali. 1. q. 51. 48.
Pœnitens emiſſa profeſſionis peccat. 2. q. 40. 79.
Peccata profeſſione tolluntur. 5. q. 8. 252.
Penſiones extinguuntur profeſſione. 5. q. 37. 271. *an earum ſit incapax*, *ibid*. 272.
Percutiens nouitium eſt excommunicatus. 5. q. 43. 274.
Pernoctare extra poſſunt nouitij. 4. q. 14. 193. & q. 45. 211.
Philoſophorum doctrina tenetur in moralibus. 1. q. 10. *pag*. 14.
Poteſtas triplex. 4. q. 62. 231.
Preces importunæ qualificatæ vitiant profeſſionem. 2. q. 15. *pag*. 66.
Præcedentia profeſſione aquiritur. 5. q. 49. 280. *vbi in ſe-*

A a quen-

quentibus quæſitis de varijs præcedentijs agitur.

Præcepta primæ regulæ diui Franciſci non ſunt vota. 1. q. 48. pag. 37.

Prælati nomine non veniunt omnes maxime in rebus magni momenti. 2. q. 72. 106. in iuriſdictione æquiparatur epiſcopo. 4. q. 56. 221. creatus ex ſimonia non eſt excommunicatus. 1. q. 43. 34. ſine licentia Papæ non profitetur. 2. q. 67. pag. 101.

Præſcribi non poteſt profeſſio. 2. q. 44. 80.

Præſentandi ius quomodo tranſeat ad religionem. 5. q. 25. pag. 262.

Præſumptio quid, & quotuplex. 7. q. 1. 320.

Prior dat licentiam manendi extra. 4. q. 14. 194. ſuo prioratu finito non eſt amplius ex officio confeſſarius. 4. q. 65. 237. eſt proprie parochus, ibid.

Priuilegijs profeſſorum gaudent nouitij etiam impuberes. 4. q. 42. 210. cap. 5. q. 43. 274.

Procuratore nouitius poteſt profiteri. 2. q. 31. 74.

Prodere ſe nemo tenetur, niſi, &c. 2. q. 54. 220.

Prohibitio ſimplex factum non irritat. 2. q. 49. 83.

Profeſſio varijs nominibus dicitur. 1. q. 1. 1. quid ſit 1. q. 2. 2. illi eſt addita ſolemnitas ab eccleſia. 1. q. 3. 4. conſiſtit in perpetua vtrinq; obligatione. 1. q. 4. 7. eſt mutuus contractus. 1. q. 39. 31. eſt de eſſentia ſtatus religioſi. 1. q. 8. 10. perpetuitas eſt de eius eſſentia. 1. q. 42. 33. & cap. 2. q. 44. 81. dicit ſtabilitatem. 2. q. 7. 56. eſt opus excellentiſſimũ. 1. q. 38. 30. non eſt quid excellentius martirio, ibid. 30. Sacramentum non eſt. 1. q. 40. 31. eſt res eccleſiaſtica, & ſpiritualis. 1. q. 41. 32. non eſt beneficiũ eccleſiaſticum. 1. quæſt. 42. 33. ſimul eſſe non poteſt cum matrimonio. 1. q. 44. 34. quomodo eſt character. 2 q. 43. 80.

Profeſſio duplex tacita, et expreſſa. 1. q. 14. 17. de varijs modis profitendi. 1. q. 47. 36. tenet, licet tria non exprimantur. 1. q. 11. 15. non requirit determinata verba. 1. q. 12. 16. facta in communi non tenet. 1. q. 13. 16. in ſcriptis redigenda eſt. 1. q. 37. 29. cap. 6. q. 14. 303. pro-

rogari poteſt. 2. q. 68. 101. cogi poteſt ad expreſſam 2 q. 42. 79. non eſt, niſi tria cadant ſub voto 1. q. 9. 11. profeſſio eſt, licet tria vſquequaq; non obligent 1. q. 10. 12. ſtrictior indici non poteſt. 1. q. 53. 50.

Profeſſio ex parte profitentis non debet carere conſenſu. 2. q. 1. 53. qui debet eſſe perfecte deliberatus. 2. q. 2. 54. in dubio cenſetur talis. 2. q. 6. 55. non tamen diu iurnus. 2. q. 3. 54. deliberatio non debet præcedere. 2. q. 4. 55. ſufficit ſi virtualiter perſeueret. 2. q. 5. 55. debet eſſe liber. 2. q. 12. 59. an poſſit reuocari præſtitus conſenſus. 3. q. 27. 140. an teneat conſenſus conditionatus. 3. q. 50. 163.

Profeſſio conſurgit ex promiſſione. 2. q. 7. 56. licet ſine intentione adimplendi. 2 q 8. 56. non tenet ſine animo ſe obligandi. 2. q 9. 57. neq; eius qui putabat non habere adnexam obligationem. 2. q. 10. 58.

Profeſſio à quo ſuperiore recipiatur. 3. q. 6. 121. eſt actus ſuperioritatis. 3. q. 1. 118. non eſt actus electionis. 3. q. 49. 162. mortuo prælato, an ſolus conuentus recipiat. 3. q. 8. 122. requiritur conſenſus conuentus. 3. q. 9. 122. ſufficit maioris partis. 3. q. 10. 124. altero reſiſtente conuentu, vel ſuperiore non tenet. 3. q. 11. 125. non excluditur localis, cum maior habet facultatem. 3. q. 12. 125. poſſunt maiores licet de ſolis localibus fiat mentio. 2. q. 13. 126. excommunicatus valide recipit. 3. q. 14. 127. an valide recipiat contra prohibitionem ſibi factam. 3. q. 15. 127. cuique eſt delegabilis. 3. q. 17. 130. conſenſus admittentium non neceſſario liber. 3. q. 19. 132. reiectus à minori an recipiatur à maiori. 3. q. 20. 134. conſenſus ſecreto præſtandus. 3. q. 21. 135. recipi poteſt impotens ad obſeruantias regulares. 3. q. 24. 138. an diuiſio nouitiatus vtriuſq; loci requirat receptionem. 3. q. 55. 168. proteſtatione an impediatur receptio. 3. q. 51. 164. receptio poteſt manere in vno ſolo. 3. q. 48. 161. receptio vnius pro alio non tenet. 3. q. 33. 144.

Profeſſionis ratificatio quid ſit. 6 q. 1. 292. quibus modis ratificetur. 6. q. 2. 292. an eam teneatur ratificare. 6. q. 3. 293. quæ mala incurrat nolens ratificare. 6. q. 5. 294. an requi-

requiratur ſcientia nullitatis. 6. q. 9. 299. an conſenſus ex parte reprofitentis. 6. q. 10. 299. & q. 20. 306. an ex parte conuentus. 6. q. 11. 299. non reiteratur nouitiatus. 6. q. 12. 302 an præſumatur ratificaſſe diu manens. 6. q. 13 302. ratificatur ſecreto, vel publice. 6 q. 14. 303. ad quem ſpectet recipere ratificationem. 6. q. 15. 304. An ad ſolum Generalem in cauſa Breuis Vrbani 8. 6. q. 24. 308, cæremoniæ non ſunt repetendæ 6 q 17. 304. an eius valor retrotrahatur. 6. q. 18. 305. an impediatur perpetuo impedimento. 6. q. 19. 305. eccleſia non poteſt ſupplere conſenſum profeſſi. 6 q. 21. 307. creditur aſſerenti ſe eam ratificaſſe. 5. q. 23. 307. ratificatio non præſumitur infra quinquennium. 7. q. 32. 308. non ratificatur ſuſceptione ordinis. 6. q. 28. 310. An ratificatione reſtituatur ad priſtinum ſtatum quo ad omnia. 6. q. 29. 310. dimiſſus non poteſt ratificare profeſſionem. 6. q. 30. 311. facilius præſumitur ratificata tacita. 7. q. 14. 322. eam ratificans non perdit locum. 5. q. 50. 280.

Profeſſio non tenet in communi emiſſa. 1. q. 3. 16. neq; ordinata ad malum finem. 2. q. 28. 73. neq; doloſe facta, vt ibi. 2. q. 23. 70. neq; emiſſa in Franciſcana loco Dominicanæ 2. q. 24. 71. neq; eius qui putabat comedi carnes. 2. q 25. 72. neq; eius qui putabat votum non eſſe perpetuum. 2. q. 26. 72. infra annum probationis non tenet. 4. q. 4. 177. neq; eius, qui putabat poſſe retinere proprium. 2. q. 27. 72. neq; ſi ficte fiat. 2. q. 11. 59. quomodo eius nullitas probetur. 7. q. 8. 310. An iuramento æquiuocare. 7. q. 9. 310. inualida nullã inducit obligationem, aut effectum. 5. q. 1. & 2. 247. et q. 67 291.

Profeſſio expreſſa tenet ſine habitu emiſſa. 2. q. 37. 77. cũ pacto extra manendi tenet. 2. q. 38. 78. ad euitandum mortẽ à iudice inflictam tenet. 2. q. 12. 62. item ſimoniaca. 1. q. 41. pag. 32.

Profeſſio æquiparatur morti. 5. q. 18. 258. delet pænam culpis remiſſis debitam. 1. q 40. 31. obligat iuxta regulam, nõ conſuetudinem. 1. q. 52. 49.

Profeſſio tacita quot modis inducatur. 1. q. 15. 17. quomodo

doloſo habitus eam inducat. 1. q. 16. 17. an infra annum probationis alias teneret. 1. q. 17. 19. tridui delatio an ſit neceſſaria 1. q. 19. & 20. 20. & q. 24. 22. an petens expreſſam, cenſeatur tacite profeſſus. 1. q. 21. 21. quales actus inducant profeſſionem tacitam. 1. q. 22. 21. tacita profeſſio non fit ſine habitu religioſo. 1. q. 23. 22. ſola habitus delatio ſine exercitio actuum inducit profeſſionem. 1. q. 25. 22. ſufficit vnius actus cum intentione profitendi. 1. q. 26. 22. an dentur alij modi tacite profitendi. 1. q. 27. 23. conditiones ad eam requiſitæ. 1. q. 28. 23. non inducitur delatione habitus nouitiorum. 1. q. 29. 24. non fuit ſublata per Concilium. 1. q. 30. 25. an per non vſum. 1. q. 31. 26. nulla exiſtente expreſſa non tenet tacita. 1. q. 34. 29. an par vtriuſq. obligatio. 1. q. 35. 29. tacita non præſumitur ante quinquennium quoties præceſſit expreſſa. 1. q. 45. 35. facilius præſumitur tacita, quam expreſſa. 7. q. 14. 321. tacita an inducatur ſuſceptione ſubdiaconatus ad titulum paupertatis. 6. q. 28. 319.

Profeſſus in genere an retinendus. 1. q. 18. 20. vnam profeſſus aliam cogi poſſit. 2. q. 41. 79. nulliter profeſſus exire poteſt. 5. q. 3. 248. 7. q. 3. 314. cogi poteſt nulliter profeſſus ad profitendum ſi velit manere. 6. q. 4. 294. quæ mala incurrat. 6. q. 5. 294. volens exire quot tempus habeat. 6. q. 6. 297. nulliter profeſſus quomodo teneatur ſeruare regulam. 6. q. 8. 298.

Profitens ficte peccat mortaliter. 2. q. 11. 59. in mortali non peccat. 2. q. 39. 78.

Profiteor verbum ſignicat voluntarium pollicitationem. 1. q. 2. pag. 3.

Proprietatis eſt incapax religioſus. 5. q. 4. 249.

Promiſſio ficta non tenet. 2. q. 9. 57.

Promiſſio, et obligatio ſunt inſeparabilia. 2. q. 9. 58.

Pronomina is, & ille quomodo ſignificent. 2. q. 65. 99.

Propoſitum non ſufficit ad profeſſionem. 2. q. 7. 56. & ſui natura variabile eſt, ibid.

Proteſtatio prodeſt venienti contra proteſtatum. 1. q. 36. 29. & quid in cauſa profeſſionis 1. q. 33. 27. & q. 51. 263.

Pueri quomodo offerantur religioni. 4. q. 9. l. 182.
Puella non examinata iuxta Concilium tenet profeſſio. 2. q. 70. pag. 102.

R

R*Atificatio profeſſionis v. profeſſionis*.
Ratihabitione firmatur profeſſio. 3. *queſtione* 18. *pag*. 131.
Ratiocinijs obligati repelluntur à religione. 2. q. 60. 96.
Ratum quis, &c. explicatur. 3. q. 18. 132.
Recipientes inhabiles peccant mortaliter. 3. q. 22. 136. & *puniuntur male recipientes*. 3. q. 36. 146.
Reclamare quid ſit. 7. q. 1. 313. *an habeat locum reſpectu cuiuslibet exitus*. 7. q. 2. 313. *tempus reclamandi quando incipiat*. 6. q. 7. 318. *quot conditiones requirantur in reclamante*. 7. q. 4. 315. *à quo die incipiat quinquenniũ*. 7. q. 5. 315. *an detur reclamatio poſt quinquennium*. 7. q. 6. 316. *reſtitutio in integrum an competat etiã maioribus*. 7. q. 7. 318. *quotum tempus habeat ad reclamandum*. 7. q. 10. 319. *an Concil. fundetur in præſumptione ratificatæ profeſſionis*. 7. q. 11. 320. *fugere poteſt non valens reclamare*. 7. q. 12. 320. *Quinquennium cur expectandum*. 7. q. 14. 322. *quomodo audiri poſſit dimittens habitum*. 7. q. 15. 322. *an Concil. loquatur de omni impedimento*. 7. q. 16. 323. & q. 17. 324. *an poſt quinquenniũ nulliter profeſſus poſſit ſaltem allegare cauſas nullitatis*. 7. q. 21. pag. 331.
Reclamationis iudex intra quinquennium ſunt epiſcopus, & prælatus regularis. 7. q. 18. 329. & q. 19. 330. *quis iudex reſpectu impedimentorum perpetuorum*. 7. q. 22. 332. *an ceptum iudicium terminari poſſit poſt quinquennium*. 7. q. 23. 332. *ad quem ſpectet reſtituere poſt quinquenniũ*. 7. q. 20. 331. *ambo iudices ſunt de eſſentia huius iudicij*. 7. q. 24. 333. *an altero reſiſtente ferri poſſit iudicium*. 7. q. 27. 336. *an non contradicente vel renuntiante ſuperiore regulari procedat epiſcopus, ibid*. 336. *an fiat delegatio*. 7. q. 28. 336. *coram quibus prælatis fiat*. 7. q. 29. 337. *non poteſt reclamare qui ratificauit*. 7. q. 30. 337.

dimiſſus,

dimiſſus, quæ ſecum ferat. 7. q. 34. 338.
Recurſus ad ſuperiorem non diuidit nouitiatū. 4. q. 13. 187. fit ſine licentia 191.
Reiterare nouitiatum v. nouitiatus.
Religio eſt ſtatus perfectionis. 1. q. 9. 12. & honorificus. 2. q. 75. pag. 116.
Religioſus vt quis ſit debet promittere tria vota. 1. q. 9. 11.
Renũtiatio quomodo fiat iuxta decretum Concilij. 3. q. 57. 58. 59. à 169. ad 174.
Renuntiatio metu facta non tenet. 3. q. 53. 167.
Reſuſcitatus non eſt amplius religioſus. 2. q 43. 80.

S

SAcerdos factus ante tempus non præcedit. 5. q. 57. 285.
Sanguinis iura retinet profeſſus. 5 q 18. 258.
Saracinorum deſcendentes quando valide profiteantur. 2. q. 73. pag. 109.
Scientia minor requiritur in regulari, quam in ſeculari clerico. 3. q. 53. 167.
Scrutinium nouitij quomodo poſſit impediri. 3. q. 29. 142.
Scrutinium an feratur ſimul à prælato, & conuentu. 3. q. 30. pag. 143.
Seruitus profeſſione quando tollatur. 5. q. 16. 257.
Seruus quid. 2. quæſt. 50. 84. quando valide profitetur ibidem pag. 84.
Simoniaca profeſſio tenet. 1. q. 41. 32. non committitur à recipiente aliquid alio titulo quam pro ingreſſu, ibid. 32. ſimoniacus inter regulares non excommunicatus. 1. q. 43. 34. receptus, & recipiens quas pœnas incurrant. 3. q. 34. 145. habet ius ad alimenta. 3. q. 35. 146.
Solemnitas voti in quo conſiſtat. 1. q. 4. 7.
Statutum, quod profeſſus non ſuccedat nullum eſt. 5. q. 22. pag 260.
Statutum reſtringens ætatem profeſſionis. 2. quæſt. 49. pag 82.
Statutum impediens reclamationem an teneat. 7. q. 33. 40. inhabilitans perſonas non tenet. 3. quæſtione 16. 130. valet ſi referatur directe ad receptionem ibid. 128.

Studio applicari debent capaces. 3. q. 22. 127.

Subditus quis ſit ratione domicilij. 5. q. 53. 218.

Subſtitutio an profeſſione euaneſcat. 5. q. 23. 260.

Succedit religio in bonis profeſſi. 5. q. 22. 259. quid de profeſſo infra annum in articulo mortis. 4. quæſtione 50. pag. 214.

Succeſſio an concedatur profeſſo illegitimo. 5. quæſtione 12. pag. 253.

Suffragium negans nouitio ſine cauſa peccat. 3. quæſtione 22. 135. eo priuato non recipit nouitium. 3. quæſtione 26. pag. 139.

Suffragandi ius profeſſione aquiritur. 5. quæſtione 48. pag. 279.

Suitatis iura profeſſione non tolluntur. 5. quæſtione 21. pag. 259.

Supplicatio quædam ſubreptitia. 4. q. 25. 201.

T

Tantum dictio quid importet. 7. quæſtione 5. pagina 316.

Tempus currit impedito explicatur. 7. quæſtione 5. pagina 316.

Tertiarij confitentur approbatis ſolum à regularibus. 4. q. 68. pag. 240.

Tertij ordinis inſtitutio. 1. q. 49. 45. forma profeſſionis pro Flandrenſibus. 1. q. 32. 27. explicantur alia duæ. 1. q. 49. 38. quomodo profitentur mandata Dei. 1. q. 49. 38. profeſſio tacita apud hos non eſt in vſu. 1. q. 32. 27. eſt ſolemnis de tribus. 1. q. 32. 27. confirmauit inter religiones approbatas Ioan. 23. cum tribus ſolemnibus votis Sixtus 4. cap. 1. q. 49. 47. matrimonium contrahentes ſunt excommunicati. 1. q. 49. 47. nullum eſt. cap. 5. q. 5. 151. eorũ habitus benedicitur. 1. q. 16. 18. ſtatuta eorum neq; ad venialem culpam obligant. 1. q. 48. 37. ad pœnam tenentur ex vi voti. 1. q. 49. 46. quo tempore inceperint eſſe religioſi ibid. primum capitulum generale factum in Italia 1448. ibid. 47. primus conuentus Prouinciæ Bononiæ. 5. q. 66. 289. priuilegium vtrumq; habent, ibid. 47.

gaudent priuilegijs aliarum religionum. 2. q. 61. 97. conditiones requiſitæ in nouitio. 2. q. 75. 115. nouitius in Flãdria profitetur in decimo octauo. 2. q. 49. 82. recipiunt nouitios etiam extra capitulum. 2. q. 61. 97. quomodo tranſeunt ad monachos. 2. q. 72. 109. profeſſionem recipit ſolus generalis, vel prouincialis. 3. q. 6. 121. concurrit conuentus cum conſenſu. 3. q. 9. 124. an excludantur locales. 3. q. 12. 125. receptio ſpectat ad eum conuentum, vbi nouitius educatus fuit. 3. q. 20. 134. quando ſunt capaces ſuffragij. 5. q. 48. 280. ſuccedit religio in bonis ingreſſi. 5. q. 4. 250. ſunt incapaces Beneficij. 5. q. 38. 272. eſt capax ſucceſſionis ſi ab alia incapaci tranſeat ad hanc capacem. 5. q. 44. 278. Cuſtodiatus & Diſcretatus ſunt officia ad ſuffragandũ. 5. q. 64. 289 cogi non poſſunt ad profitendum primam regulam. 1. q. 53. 50. nouitij recipiuntur à ſuperioribus localibus. 2. q. 76. 116. abſolutionis forma pro nouitijs exponitur. 2. q. 77. 117. Abſolutio à cenſuris reſeruatur maioribus. 4. q. 66. pag. 238. Priores non approbant confeſſarios, ibid. 236.

Temere quid 3. q. 39. 153.

Teſtamentum condere non poſſunt. 5. q. 32. 267. an ſortiatur ſuum effectum ſecuta profeſſione. 5. q. 33. 268. an mutari poſſit. 5. q. 34. 269.

Tranſiens quomodo profiteatur. 2. q. 72. 103. conditiones liciti tranſitus, ibid. 104. ad laxiorem, vel æqualem fit cum diſpenſatione papæ, ibid. 107.

Tridui delatio habitus non eſt neceſſaria. 1. q. 19. 20.

V

VEl eſt dictio diſiunctiua. 3. q. 43. 159.

Veli nomine quid veniat. 3. q. 43. 158.

Violentum nullum perpetuum. 2. q. 18. 67.

Vir non profitetur inter fæminas. 2. q. 34. 76.

Virginem deflorans quomodo ingrediatur. 2. q. 59. 95.

Voluntas coacta voluntas eſt. 2. q. 12. 59.

Votum ſolemne, & ſimplex ſpecie non differunt. 1. queſt. 5. pag. 8. ſolemnizatur profeſſione, & ordine ſacro. 1. q. 6. 9. eius obligatio tolli non poteſt contraria conſuetudine.

1. q. 49. 42. ſolo voluntatis affectu ſeruari poteſt. 3. q. 24. 138. & cap. 4. q. 40. 210.
Votum ſimplex profeſſione tollitur. 5. q. 14. 256. de votis nouitiorum. 4. q. 66. 238. & cap. 5. q. 14. 257.
Vrbani Octaui Breue ſuper profeſſionibus extenſum refertur 3. q. 37. 149. exponitur cap. 4. à q. 21. ad 26. item cap. 6. q. 14. 15. 16. 24. 25. 26. & cap. 7. q. 17. 20. 25. 26.
Vſusfructus eſt ius perſonaliſſimum. 5. q. 29. 265. an profeſſione perdatur. 5. q. 29. & 30. 265.

Dictiones erratæ correctæ.

Quilibet	quælibet. pag. 8. linea 15.
Patre	pariter. 12. 24.
Ex tribus	ex alijs duob. expreſſo. 36. 27.
Coreuertantur	cor reuertantur. 47. 35.
Tiber	liber. 61. 5.
Et	eſt. 68. 2.
Nouiſſet	vouiſſet. 72. 12.
Ratio	ratione. 78. 28.
Oppoſitum	præpoſitum. 79. 21.
Filij	filius. 87. 13.
Abſolutis	abſoluti. 96. 15.
Licentia	voto 113. 35.
Poſſe	poteſt. 126. 15.
Eius	eorum. 141. 20.
Articeps	particeps. 143. 7.
Inueniunt	inuenit. 167. 24.
Difficultatem	difficultas. 180. 2.
Confirmari	conformari. 190. 32.
Intentionem	Intentione. 196. 2.
Alterum	altero 199. 1.
Eſſe	eſſet. 204. 17.
Orobabilius	probabilius. 207. 32.
Repetendum	repetendus. 208. 17.
Omne	omnes. 214. 21.
Deben	debent. 236. 7.
Militer	ſimiliter. 236. 33.
Ipſo	ipſi. 242. 7.
Forum	decretum. 242. 31.
Ad	an 245. 31.
Profitens	profitentem. 248. 4.
Et	eſt. 248. 25.
Proprietatis	paupertatis. 250. 15.
Reſpecte	reſpectu. 252. 31.
Aliam	alium. 260. 28.
Hunc	nunc. 279. 6.

Referat

Referat	refert. 281. 1.
Procedit	præcedit. 284. 33.
Dignus	dignius. 285. 7.
Qua	quia. 311. 36.
Indifferentes	indifferenter. 339. 27.
In hic	in his. 341. 3.
Amplias	amplius. 345. 9.
Sententiam	ſententia. 349. 28.
Valore	valere. 351. 16.

Dictiones delendæ.

Vt. 64. 15.
Cap. Ad apoſtolicam, eod. 111. 33.
Filius 144. 18.

Dictiones omiſſæ ſic reſtituantur.

Poſt verbum, expreſſam, adde, non. 35. 36.
Poſt verbum, quod, adde, non. 84. 28.
Poſt verbum, tamen, adde, ſi tamen. 90. 13.
Poſt verbum, loci, adde, non. 241. 18.
Poſt verbum, ſit, adde, ſi. 263. 7.
Poſt verbum, quod ſi, adde laicalis. 264. 23.
Poſt verbum, docent, adde, Suar. alleg. 20. nu. 27. Sanch. cum alijs lib. 7. cap. 8. nu. 11. contra Nau.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Licentia Reuer. Patris Generalis.

Frater Gregorius de Albertis à Maſſa Vmbriæ Doct. Theol. Tertij Ordinis D. Franciſci regul. obſeru. de Pænit. Generalis.

L*Ibrum hunc inſcriptum*. Tractatus de profeſſione regulari ad leges iuris cõmunis &c. *à Patre F. Frãciſco Bordono, noſtræ religionis profeſſo, ad publicam perſonarum præſertim regularium vtilitatem compoſitum, à deputatis ad id Patribus Theologis lectum, & approbatum, vt typis ſubijci poſſit, facultatem facio. Dat. Mediol. die* 28. *Nouemb.* 1634.

F. Gregorius de Albertis Gen.

Imprimatur die 1. Iulij 1634.

Fr. Fran. Carenus Commiſſ. S. Officij Mediolani.

Io. Paulus Mazuchellus pro Reuerẽdiſs. Capitulo Metropolitano.

Comes Maioragius pro Excell. Senatu.

Digitized by Google